

DE ANTIQUITATE
ECCLESIÆ HISPANÆ
DISSERTATIONES
IN DUOS TOMOS DISTRIBUTÆ

Iis præmittitur Codex Veterum Canonum Ecclesiæ Hispanæ ex genuina Conciliorum & Decretalium Epistolarum collectione S. ISIDORI HISPALENSIS

QUO ILLUSTRATUR

ANTIQUITAS ECCLESIÆ
PRÆSERTIM
OCCIDENTALIS

OPERA, ET STUDIO

CAJETANI CENNI
SACROS. BASIL. VATIC. PRESBYTERI BENEF.

TOMUS I







ROMÆ, MDCCXLI
APUD FRATRES PALEARINOS

SUPERIORUM PERMISSU

SANCTO PETRO
APOSTOLORUM PRINCIPI
PONTIFICUM ROMANORUM PRIMO.

CLIENS DEVOTISSIMUS CAJETANUS CENNIUS



Pectabilem in presbyterorum beneficiatorum ordinem VATICANÆ *hujus Basilicæ Tuo Martyrio sacratissimæ, maximæ, sempiternæ, quod ne optandum quidem*

mihi esse videbatur, Christi Vicarius successor tuus CLEMENS XII. *me maxime omnium humilem, atque abjectum cooptavit. Tantam vero, ac tam singularem optimi Pontificis largitatem, quam publica jampridem significatione oportuit palam fieri, nec pro beneficentissimi Principis dignitate, nec pro accepti beneficii conditione fecisse dicerer, nisi septimo jam demum mense ad divulgandam aggrederer. Neque id quidem ullas ei gratias aut referendo, aut agendo; Christi enim Vicario referri nullæ, agique nonnisi impares possunt: sed sapientissimis ejus imperiis obtemperando, qui singulari adeo munificentia Tuos inter clientes me designatum vehementer admonuit, ut quicquid officii, gratique animi conlatum in me beneficium exigebat, Tibi* APOSTOLORUM PRINCEPS, *persolverem.*

Diu equidem mecum reputans, quo præsertim obsequii genere utendum mihi esset, citra preces & vota, quæ cum

con-

conferta humani generis turba ad tuum martyrium procumbens quotidie effundo, successoris Tui CLEMENTIS *satis per me factum iri mandatis intellexi, si aliquid meo elaboratum ingenio Tibi demississime, ac subjectissime dedicavero. Quamobrem dissertationes aliquot de antiquitate Ecclesiæ præsertim Occidentalis, Tuo sacratissimo nomini dicatas audeo in lucem edere. Exiguum plane obsequium, mea quippe confectas industria; Tibi nihilominus congruens, atque aptum. In iis siquidem supremæ Tuæ potestatis hæredum Romanorum Pontificum Constitutiones de Fide, ac disciplina asseruntur, earumque ac Sacrorum Canonum autoritas ab studiis hominum vindicatur. Has vero inter Constitutiones locum habet facile principem Decretalis Epistola S. Innocentii I. qua Tibi ac Tuis successoribus fundationem Ecclesiarum omnium Occidentis jure tribuit*: Quum, *inquiens*, sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias,

ſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes. (S.Innoc. ep.1. ad Decent. cap.1.

Propterea vel niſi agerem lege maximi largitoris CLEMENTIS, *a quo plus mihi honoris, quam oneris fateor injunctum eſſe; nulli hoc obſequium, quantum quantum ſit, præterquam Tibi*, APOSTOLORUM PRINCEPS, *præſtandum mihi erat. Nil enim juvat res certas atque evidentes proferre, ſi eædem Patrono aut vacent, aut non utantur ſuo. Proh! quantum exiguo iſti obſequio additur incrementum cœleſti Tuo patrocinio! Quantam tenues iſtæ diſſertationes autoritatem aſſequuntur Tuo nomine! Ecquis mortalium genus omne non dicatur viciſſe audacia, ſi prærogativas Tibi, Tuiſque ſucceſſoribus conceſſas a Chriſto Domino, ac perpetuo totius Eccleſiæ veteris teſtimonio in his diſſer-*

dissertationibus confirmatas, non dicam convellere, sed cum novarum rerum cupidis in dubium vertere deinceps tentet, Te earumdem Patrono, Te vindice? Unum id scilicet me terrebat primo, fereque ab incepto revocabat, quod Scriptori cuivis vel dissertissimo, doctissimoque impervia conabar via incedere.

Quidni autem impeditiori, quam alacriori animo essem, singulare adeo consilium explicaturus? Enimvero Summi Sacerdotii majestas in te certissime constituta a Christo Domino, quem non frangat animum, atque consternet? Nonne ad Sacrosanctam hanc Tuam, Tuorumque successorum perpetuam SEDEM *Hierarchia Ecclesiæ omnis, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, ex toto quam longe lateque patet terrarum orbe statis temporibus confluens, reverentiæ, ac trepidationis plena prosternitur, atque abjicitur, Tibique ac Tuis successoribus obedientiæ, ac fidelitatis pactum instaurat? Nonne ibidem procubuisse*

buisse ipsos Reges ac Summos Principes, Tibi & Tuis successoribus Regia insignia, Regnum, ditionemque omnem suam subjicientes, Annalium monumenta testantur? Ego vero nullis, quæ ipse legerem, vestigiis, at sola inlectus argumenti fiducia indidem parvo isti obsequio, vulgarique officio nil timuerim? Inficiari non ausim, sola me CLEMENTIS *voce impulsum ad excelsum adeo fastigium pervenisse; soloque ejus consilio factum esse, ut immortale Tuum patrocinium implorans, summam hanc mihi, scriptisque meis felicitatem comparaverim. Quapropter ingenti hoc novo beneficio ab eodem cumulatus Te obsecro, ut quod Tibi obsequium ab Successore Tuo jussus præstiti, perpetuum grati erga eumdem animi monumentum simul esse non dedigneris.*

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Philippus Spada Episc. Pisaur. Vicesg.



JUssibus acceptis a Rmo P. Fr. Aloysio Nicolao Ridolfi S. A. P. Mag., perlustravi Tomum I. Libri eruditissimi Viri, in rebus Ecclesiasticis apprime versati D. Cajetani Cenni Sacros. Basilicæ Vaticanæ Presbyteri Beneficiati, cui titulus: *Codex Veterum Canonum Ecclesiæ Hispanæ &c. Et de antiquitate Ecclesiæ præsertim Occidentalis dissertationes*. Quo in opere quum omnia perquam diligenter selecta, Ecclesiæ utilia, & orthodoxæ doctrinæ conformia deprehenderim, in publicam lucem prodire posse judicavi.

Romæ e Cœnobio S. Mariæ super Minervam x. Kal. quintiles MDCCXXXIX.

Fr. Dominicus Vincentius Elefante S. Theol. Magister ejusdemque in Coll. Urb. de Propaganda Fide Professor, ac Sac. Congreg. Indicis Consultor, Ord. Præd.

LIbrum, qui inscribitur: *Codex Veterum Canonum Ecclesiæ Hispanæ ex genuina Conciliorum, & Decretalium Epistolarum Collectione S. Isidori Hispalensis; & de antiquitate Ecclesiæ præsertim Occidentalis Dissertationes, opera, & studio Cajetani Cenni Sacros. Basilicæ Vaticanæ Presbyteri Beneficiati*, luce publica dignissimum censeo, si ita videbitur Reverendissimo Domino Fr. Alolysio Nicolao Ridolphi Sacri Palatii Apostolici Magistro, cujus jussis obtemperans, opus

hoc inſpiciendum, atque excutiendum accepi. In eo enim nihil non conſonum Catholicæ fidei, & bonis moribus reperi: omnia vero ſingulari eruditione, ac veteri Eccleſiaſtica diſciplina referta. Lucidus ordo ubique nitet, ſumma ſplendet perſpicuitas; & par in ſcribendo elegantia. Quibus accedit, quod Cl. Author multis nominibus alias in literaria Rep. ſpectatiſſimus, ut bono publico, nudæ veritati, ac Hiſpalenſis Eccleſiæ decori conſuleret, primus omnium inquirendam ſuſcepit, ac tandem aliquando detexit genuinam S. Iſidori Canonum Collectionem, quam Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis nactus eſt quidem, & Eminentiſsimus Cardinalis Aguirrius in lucem edidit, demum Dominus Petrus Couſtant Monachus S. Benedicti ſuæ præfationi ad primum volumen Epiſtolarum Romanorum Pontificum inſeruit, ſed adhuc inexplorato ejuſdem Collectionis autore. Præterea in iſto volumine antiquitates Eccleſiæ Hiſpanæ ante S.Gregorium Magnum ſub Imperatoribus Regibuſque Gothorum Arianis egregie, de more, expenduntur. Quare ut typis quantocius edatur, vehementer ſuadeo.

Ex Ædibus Vallicellanis. Kalendis Julii Anno Domini MDCCXXXIX.

Joſeph Blanchinus Veronenſis, Presbyter Congregationis Oratorii Romani.



IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolphi Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſtolici Magiſter.

PRÆ-

PRÆFATIO.



Uum doctiſſimus Cardinalis Cæſar Baronius Annalib. Eccleſiæ adverſus Magdeburgenſes conſcribendis navans operam, innumeris Eccleſiaſticam rem documentis comprobabat; horum pars magna in mſs. codicibus latebat, quæ poſt ejus mortem ſtudio, atque induſtria eruditorum prodeuntia in lucem, hiſtoriam plurimum illuſtrarunt. Eoque jam devenimus noſtra ætate, ut nihil fere obſcurum in Chriſtianæ Religionis tam varia, ac tam diuturna ſerie temporum inveniatur. Nec defuit, qui tam multos eruditorum conatus hanc vel illam Annalium partem monumentis e ſitu erutis illuſtrantium, in unum colligeret, ac continuata rerum narratione Annalibus, inſtar commentariorum, ſubjiciendos digereret. Eſtque is toto orbe celeberrimus Antonius Pagius. Quem tametſi non ſemper movit ſtudium publicæ utilitatis, ubi Annales recenſuit (quamobrem ſæpe a Recentioribus arguitur, quandoque etiam in ordinem redigitur) qua nihilominus aut aliena, aut ſua ipſius opera ſilentium Baronii explet, prolatis rerum eventibus; obſcuris, dubiiſve illius narrationibus res certas atque perſpicuas ſubſtituit; ſuppoſita antiquis opuſcula, quorum artificium Baronius non olfecerat, proſcribit; atque, ut paucis multa complectar, quâ errores hiſtoricos emendat, non modo adverſarium habuit nullum, ſed etiam maximam ſibi apud omnes gloriam comparavit.

I. Monumenta poſt Baronium eruta hiſtoriam Eccl. illuſtrant.

Hac vero ex tanta monumentorum ſuppellectile parum emolumenti acceſſiſſe Eccleſiæ rebus perſuadent ſtudia hominum. Alii enim induſtriam operamque omnem perdunt aſſerendis iis, quæ ope documentorum neganda ſunt;

II. Eadem citra eruditorum commentaria conſulenda a Scriptoribus.

ſunt; alii novatorum objecta adverſus Baronium adoptantes, diſputationibus omnino ocioſis plura Hiſtoriæ capita in dubium revocant; alii demum parabiliori, quam utiliori methodo univerſam conſcribentes hiſtoriam, tum Baronio, tum eruditis tot editoribus monumentorum veterum vale dicendum eſſe contendunt. Itaque omnes boni apud ſuum animum ſtatuerunt, ut Annales Baronii, ne minimum quidem a Religione aberrantes, quibuſcumque eruditorum hiſtoriis præferrent: vetera autem monumenta aut publici juris facta, aut mſs. in Codicibus adhuc extantia, citra Recentiorum interpretationes raro vacuas omni ſtudio, conſulerent pura atque puta, ut videlicet certo ſcirent, num Baronio res narranti adhærendum, an ejuſdem opinio rejicienda, tanquam pugnans cum monumentis illi ignotis. Horum exemplum ſequi & mihi libuit, priorum octo Eccleſiæ ſeculorum hiſtoriam percurrenti; quem ſane laborem eruditionis gratia ſuſceptum, plures mihi cauſæ perſuaſerunt, ut publicam in lucem ederem; præcipue vero ingenium præſentis ævi, quo nullum fuiſſe unquam harum rerum cupidius, indigentius nullum perſpicue cernimus.

III. Multa enim ab iis in rem ſuam pertracta Eccleſiæ rebus ſecum faciunt.

Equidem Eccleſiæ annalibus ac monumentis inſiſtens deprehendi, minus recte diſputatum eſſe ab aliquibus de veteri Eccleſiæ Diſciplina; ac præſertim de forma Eccleſiaſtici Judicii; de præeminentia Epiſcoporum, ſeu de Vicariatu Apoſtolico, & Primatu; de Sacro Pallio Archiepiſcopali; de origine, fundatione, & inſtitutis Monaſteriorum Occidentis; de liturgia veteri Eccleſiarum Hiſpaniæ, & Galliæ; ac de aliis plurimis negociis, quæ nihil attinet referre ad certa capita. Quamobrem de unoquoque horum capitum operæ pretium fore arbitrabar, ſi aliquis publicæ utilitatis gratia diſputationem inſtauraſſet. Rem periclitari cupiebam ipſe; at horrebat animus ſcribendi genus multo operoſiſſimum ſuſcipere, meiſque impar humeris ſubire onus. Colligebam

gebam nihilominus quæ, nisi adimplendo consilio, saltem fovendo utilia essent. Hinc postea factum est, quod, causis metuendi omnibus ablegatis, disserere aggressus sum de iisdem rebus, quas pertractari ab aliis maluissem. Quumque jam confecerim dissertationes plures; nec pauciores, quibus ultima deest lima, me propediem expediturum videam; ideo ne aut scriptorum mole obruar, aut priora relegendi cupiditate impediar, quo cœpi, pergere; quotquot jam absolvi dissertationes, prælo committere deliberavi. Duobus justæ molis voluminibus comprehendentur quas confeci; uno ad summum altero amplectar eas, quibus dolandis insisto. Quamobrem tribus, fortasse quatuor voluminibus quidquid minus recte a recentioribus disputatum esse de Ecclesiasticis negociis supra indicatis per octo priora secula intellexi, &, quantum in me fuit, ad trutinam revocavi, publici juris faciam. Totius autem operis ratio sic se habet.

IV. Specimen hujus operis præsidio monumentorum confecti. To. I.

Exhibetur primum omnium genuina Canonum collectio S. Isidori Hispalensis nulli ante hunc diem nota, ejusque autoritate inutiles, atque ociosæ declarantur quæstiones innumeræ tum eorum, qui S. Doctori per summam injuriam suppositas a Mercatore Epistolas vindicant, tum eorum, qui in aliud labentes extremum, quamcumque collectionem veterem Isidoro Hispalensi abjudicant. Ejusdem deinde Collectionis vestigiis inhærendo, antiquitas Ecclesiæ Hispanæ ante Gregorium Magnum sub Romanis Imperatoribus, Regibusque Gothorum Arianis expeditur. Quæ quidem unius Diœcesis exacta consideratio Ecclesiarum omnium tam Occidentis, quam Orientis disciplinam, instituta, & errores summatim perstringendi occasionem præbet, simulque Scriptorum alia incedentium via aut detegendi errorem, aut nimiam fiduciam rejiciendi. Omnia hæc primo volumine comprehenduntur. Qui videlicet Conciliorum Canones, quæ Pontificum Romanorum Decreta Fidem, moresque Ecclesiæ illius veteris sustinerent, collectio ista Isidoriana

na planum facit. Canonum vero eorumdem, atque Epistolarum Decretalium causas, atque ætates; necnon Hispanorum Præsulum, aliorumve ardorem, sæpe etiam desidiam, queis novas subinde Ecclesiasticas leges acceptas referimus, tres omnino dissertationes amplectuntur. Nec vero rerum omnium eventus, quod fuisset immensum, enarrantur; sed apud Annales, recentioresque historias obvii, quando opus est, improbantur, novis patefactis earum initiis; plerumque autem, posterioribus hominum conjecturis, & ratiociniis levitatis argutis, atque amandatis, vindicantur.

V. Tomus secundus ejusdem operis.

Valde præclariora sunt, quæ volumine altero continentur. Huic siquidem præmittitur Dissertatio Historico-Critica de Ecclesia Hispana Regum Catholicorum tempore, a Reccaredo nimirum, qui omnium primus Arianam hæresim cum gente omni Gothorum detestatus est, usque ad Saracenorum invasionem. Primo Dissertationis capite illustre ac singulare principium Catholici Regni, ac florentissimæ illius Monarchiæ diuturna felicitas exhibentur: mirificam Sacerdotii, & Regni concordiam ex Principum reverentia erga Episcopos, exque horum obsequio erga Principes coaluisse ostenditur: Insigne illud agnomen *Catholici* ab Reccaredo eodem duxisse originem, sacram unctionem Regum cœpisse in Hispaniis, multaque alia quæ postea toto orbe obtinuerunt, indidem derivata esse, planum fit. Huic subjicitur caput alterum de Officiis Palatinis, eorumque cum Imperii dignitatibus discrimine; daturque integra, atque optima illius Monarchiæ administratio, qua præstantior, atque illustrior nedum inveniri apud veteres, excogitari nequaquam potest. Deinde proponitur Ecclesiæ regimen juxta latas antea leges aut a supremo Ecclesiæ capite in suis Epistolis Decretalibus, aut ab Episcopis simul congregatis in Conciliis tam Œcumenicis, quam localibus, opera Episcoporum, ac præcipue S. Isidori Hispalensis in illum Codicem relatis, qui primo tomo est exhi-

exhibitus. Dissertationem hanc de singulari Hispaniarum Ecclesia septimi seculi, excipiunt aliæ item Historico-Criticæ de Sacro Pallio Archiepiscopali; de origine & fundatione Monasteriorum; ac de antiqua liturgia; quatenus angusti unius tomi limites patiuntur, satis fusæ Dissertationes: clauditque hoc volumen Chronologia tum sacra, tum profana septem priorum Ecclesiæ seculorum, circa quæ utrumque volumen versatur.

VI. Cætera, quæ opus totum absolvent.

De reliquis dissertationibus, quibus materiam præbuit mutatio illa disciplinæ, quam optimo meritoque jure substituerunt veteri Successores Principis Apostolorum, nihil attinet hîc præfari: hauddum enim certum deliberatumve habeo, qua easdem methodo in lucem edam. Id solummodo mecum statui; quod, quemadmodum rebus per septem secula disputatis certam Hispanæ Ecclesiæ historiam objicere sum compulsus disputationibus Recentiorum, qui nulla suppositorum operum ratione habita, dubiis atque incertis plurimis implerunt libros, Hispanis præcipue institutis inhærentes; ita Anglicanæ, ac postmodo Germaniarum & Galliarum Ecclesiæ conditionem toto octavo seculo, atque initio noni, usque ad Caroli Magni obitum, loco principe expendam; atque hinc universas extra Italiam provincias, data disputandi occasione persequar, ut factum per me esse constabit in duobus his voluminibus, quæ modo in lucem prodeunt. Quare unum licet, idemque a me adhibitum disserendi genus comperiet lector; hoc nihilominus discrimen maximum his postremis dissertationibus cum primis illis intercedet, quod alia prorsus administratio civilium rerum, necnon Ecclesiasticarum aliquanto diversa, subjicietur oculis. Perinde autem hîc, quam ibi perspicuis valde documentis palam erit, quod quicquid institutum, instauratumve in provinciis (Occidentis præcipue) fuit, ab ipso Fidei centro, disciplinæque omnis fonte Apostolica Sede profectum est.

VII. Hispana Eccle-

Non defuturos arbitror, qui me percontentur, quare,

sia præstantior cæteris Occidentalibus, 7. primis seculis, Romana excepta.

re, quum stabiliverim Ecclesias Dioeceseon Occidentis pervagari, omnibus cœteris præposuerim Hispanam, non semel errore aliquo perturbatam, diuque vexatam a barbaris? Ratio autem præsto est. Nulli Occidentis Dioecesi majorem Catholicæ religionis antiquitatem, extra Italiam, tribuunt monumenta vetera, quod satis apertum erit ex Dissertatione prima voluminis item primi. Atque eapropter admirabundus Tertullianus Hispaniam provinciis reliquis præferebat suo ævo, idest secundo exeunte seculo: *Getulorum*, inquiens, *varietates*, *& Maurorum multi fines*, *Hispaniarum omnes termini*, *& Galliarum diversæ nationes*, *& Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita*. Quamobrem de Ecclesiarum Occidentis primordiis dicturus, Hispanam cum primis considerandam duxi. Præterea quosnam alios Episcopos Disciplinæ duces perpetuos septem seculis habuissem, præter Hispanos? Num Afros? Vix a tertio seculo jam provecto ad dimidium quinti viæ duces adhibuissem; nam Religionem aliquanto serius illuc advectam, nedum coalescentem inibi disciplinam pessumdederunt Wandali; deinde ad momentum excitatam, Saraceni penitus extinxerunt. Num Britannos? Fides illic minime antiquior secundo exeunte seculo: neque est certum num coaluerit; nam septimo demum seculo Augustinus Monachus Anglicanæ Ecclesiæ fundamenta jecit. Num Germanos? Anglicana etiam posteriorem apud eos Ecclesiam fuisse Bonifacius Moguntinus eorum Apostolus fidem facit. Num demum Gallos? Hi quidem antiquitate Fidei, ac disciplinæ constantia cum Hispanis certant. At præmature deficientes ab Romanis provinciæ, ac subinde septemtrionalibus barbaris patefacto aditu, quidquid disciplinæ in iis coaluerat, in Septimaniam rejecere. Quumque congruum meo instituto sit Dioecesim integram, sive, ut hodie obtinet, Regnum integrum, non ejus partem animadvertere, Galliæ Hispaniam jure prætuli.

Lib. adv. Judaos cap. 7.

Huc

VIII. At de eadem multa circumferuntur falsa, & supposita.

Huc accedit, quod Gallicanæ Ecclesiæ vetustatem tot Scriptores indigenæ illustrarunt, ut expendenda potius videantur aliqua eorum affirmata cum veteri disciplina pugnantia, quam dicta toties (dum unus alium exscribere utplurimum solet) referenda iterum, quod molestum foret. Contra Hispanæ antiquitatem Ecclesiæ, utquumque plurimis illustrem Monumentis, nescio quo fato, tum gentiles, tum exteri certatim depravarunt. Hispani siquidem nonnulli male admodum feriati (quorum conatus inutiles Joannes Mariana, & post eum eruditissimi tot Scriptores etiam Hispani, omnino rejiciendos demonstrarunt) suis fidem scriptis conciliaturi, redivivis antiquis Autoribus res suas adscribere non sunt veriti, quorum princeps agnoscitur, teneturque ab omnibus Architectus Chronici Dextro adjudicati, unde tot præstigiæ in sacram antiquitatem irrepserunt. Figulum vero istum præiverat Lucas Tudensis S. Ildefonso Toletano supponens conditum ab se Chronicum, multisque sui ævi disciplinis oppletum, quæ Thomassinum, cœtera eruditissimum, sæpe sæpius decepere. Alios hujusmodi recenserem plures, nisi ad eosdem rejiciendos satis futurum ducerem id pro certo asserere, quod quæcumque cum certis tot opusculis Patrum Hispanorum, cum Conciliis in Hispania celebratis, & cum Wisigothorum lege, quam vocant *Forum Judicum*, aperte pugnant, aut supposita, aut interpolata, aut depravata ab iis fuerunt, qui sua direxerunt consilia in scopum eorum aliquem, unde maximum veritas detrimentum accepit. Vulnus vero aliud nec minus altum, nec minus insanabile intulerunt exteri in sacram Hispaniarum antiquitatem, adjudicando Hispanis quidquid figmentorum habuerunt obviam, undecumque ducerent illa originem.

IX. Inepte adscribitur S. Isidoro Collectio Isid. Mercatoris.

Ea inter principe omnes loco habent Collectionem Canonum & Decretalium Epistolarum, quæ Isidori Mercatoris nomine circumfertur. Et quidem jure. Quamvis enim sancte, pieque conflatum sit quidquid in ea legitur;

gitur; mores tamen, atque instituta posterioris ævi in priora Ecclesiæ secula transmovisse; interpolandi inedita Sanctorum Patrum opuscula, sive etiam supponendi iis tanquam rediviva, siquæ credebantur excidisse, ansam dedit hujusmodi architectis, qui nulla hærentem autoritate immensam rerum seriem amandatum iri intelligebant. Collectio vero ista Hispanis passim tribuitur; quia scilicet, non unum indidem vindicem nacta est. Et, quamquam non deest, qui fetum Germanico-Gallicum recte olfecit; hanc nihilominus maximam Hispani acceperunt injuriam, neque ulli ante hunc diem in mentem venit Hispanam antiquitatem diligentius excutere, ut certo sciret, num Hispanis, aliusve nationis hominibus hujusmodi merces referantur acceptæ. Quin etiam & Hispani aliquot, & iis gratificaturi nonnulli exteri, velis ac remis contenderunt, ut farraginem istam Hispano Autori adscriptam, non dico ostenderent rebus, gentique Hispaniarum nullatenus convenire; sed adoptarent, vindicarentque acerrime Scriptori Hispano. Neque id quidem vulgari alicui homini, nulloque habendo in numero; at Scriptori Hispanorum omnium maximo, quem S. Sedes inter Doctores Ecclesiæ recensere dignata est, Sancto nimirum Antistiti Isidoro Hispalensi, cujus præclara opera versantur omnium manibus, nec tamen pseudo-Isidori vindicibus objiciuntur.

X. Eidem S. Isidoro supposita rejicienda, ac vindicanda quæ illi auferuntur.

Hunc ego Præsulem sanctissimum, & juxta doctissimum adhibui ducem in præcipuis Hispanæ antiquitatis rebus, tum præsertim, quum de Ecclesiasticis institutis agendum fuit. Ea propter quæ idem scripsit opuscula ab iis, quæ supposita eidem sunt, secrevi, hisque amandatis, ut æquum erat, illa acerrime vindicavi. Ita siquidem e re erat infallibilis judicii ab Apostolica Sede lati, dum Sancto Isidoro *egregii Doctoris* nomen adscripsit. Quantum sane detrimentum Apostolica eadem Sedes ab iis acceperit, qui Sancto Doctori adjudicarunt ignorationis plena opuscula, quantamque

que ſancto viro injuriam intulerint eorumdem opuſculorum vindices, apertum erit in utroque horum voluminum. Ex hujuſmodi ſcilicet ſuppoſitionibus Iſidorus ſecum pugnat, alibi affirmata deſtruit, ſacram Scripturam ignorat, antiquis demum Patribus, præſertim Eccleſiæ Doctoribus, quorum collegio eſt aggregatus, adverſatur. Itaque non modo ut S. Sedis judicium aſſererem, verum etiam ut egregii Doctoris famæ conſulerem, quicquid inepte ſuppoſitum eidem fuit a male feriatis hominibus, vindicatumque a parum emunctæ naris diſceptatoribus, eliminavi. Contra vero ſiquid intempeſtive abjudicatum eidem eſt ab iis, qui levi non ſemel ratione ducti, antiquis Patribus certa detrahunt opera, poſtliminio redire juſſi. Id genus eſt Collectio Veterum Canonum latens in eo Codice, quem Diſſertationibus his præmitto. Ejuſdem autem, quia velim lectores perinde judices, atque æſtimatores; idcirco enucleatius perſequar partes ejus omnes tum quæ Iſidoro adſcribendam, tum quæ abjudicandam videntur ſuadere. At primum omnium capita ejus ſingula numerando recenſeam.

XI. Collectio Canon. S. Iſidoro Hiſpal. aſſerenda exhibetur.

Codicis ejuſdem duæ partes ſunt. Prior Concilia tum generalia, tum localia continet; altera vero Decretales Romanorum Pontificum epiſtolas. Concilia, veterum inſtar Collectionum, enumerantur per capita, quorum tituli ſunt Canones plures, pauciorefve in iis confecti, capitibuſque omnino ſeptem & ſexaginta pars iſta prior abſolvitur. Aliam vero Partem Epiſtolæ centum duæ, totidem facientes capita ſuos pleraque in titulos diſtributa, exhibent. Has inter epiſtolas nonnullæ Auguſteæ, nonnullæ etiam Præſulum tam Orientis, quam Occidentis ad Catholicum Dogma ſpectantes recenſentur, ac ſervata rerum, temporumque ratione Pontificiis admiſcentur. Nec dubitare quiſquam auſit, quin colligi eædem potuerint a S. Iſidoro Hiſpalenſi, quippe quæ citra ævum S. Gregorii Magni non veniunt; immo S.

ejuſdem Pontificis quatuor dumtaxat afferuntur, tres ad S. Leandrum Iſidori fratrem, una ad Reccaredum Regem. Secus eſt de Conciliis; quamvis enim externa omnia præceſſerint S. Iſidori ætatem; Hiſpana tamen longe poſt ejus mortem celebrata enumerantur, ne ſeptimo quidem decimo Toletano poſtremo eorum, quæ extant, prætermiſſo. Quamobrem ſatis mihi erit faciendum erudito lectori, ne illius avertam animum a meis ſcriptis in ipſo lumine. Idque faciam ultro, & ni fallor, perſpicue; ubi Conciliorum, & Epiſtolarum capita quæque propoſuero, ut extant in Codice quem exhibeo, adjecta, perſpicuitatis ergo, chronologia, Romanorumque Pontificum ſerie in adverſa Conciliorum parte.

		Capita.	*A.Chr.*	*Pontifices.*
XII. Concilia Collectionis hujus, ac primum *Græca* 10.	Concilium *Nicænum*.	1	325	S. Silveſter.
	Ancyranum (Cod. *Ancyritan.*)	2	314	
	Neo-Cæſarienſe.	3	314	
	Gangrenſe.	4	324	
	Sardicenſe.	5	347	S. Julius.
	Antiochenum.	6	340	
	Laodicenum.	7	320	S. Silveſter.
	Conſtantinopolitanum.	8	381	S. Damaſus.
		9		
	Epheſinum.	10	431	S. Cæleſtinus.
	Chalcedonenſe.	11	451	S. Leo Magnus.
		12		
Concilia *Africana*. 8.	*Carthaginenſe* I.	13	349	S. Julius.
	Carthaginenſe II.	14	425	S. Cæleſtinus.
	Carthaginenſe III. al. II.	15	397	S. Siricius.
	Carthaginenſe IV. al. III.	16	398	
	Carthaginenſe V. al. IV.	17	398	
	Carthaginenſe VI. al. V.	18	418	S. Zoſimus.
	Carthaginenſe VII. al. VI.	19	419	S. Bonifacius.
	Carthag. VIII. ſeu Milev. II.	20	416	S. Innocentius.
Concilia *Gallic.* 10.	*Arelatenſe* I.	21	314	S. Silveſter.

Arela-

	Capita.	A.Chr.	Pontifices.
Arelatense II.	22	330	*Circiter*.
Arelatense III.	23	524	S. Joannes I.
Valentinum.	24	374	S. Damasus.
Tauritanum.	25	401	S. Anastasius.
Regiense.	26	439	S. Sixtus III.
Arausicanum.	27	441	S.Leo Magnus.
Vasense.	28	442	
	29		
Agathense.	30	506	S. Symmachus.
Aurelianense.	31	511	
	32		
	33		
	34		
	35		
	36		
	37		
Elliberitanum.	38	305	S. Marcellus. *Concilia Hispan.*
Tarraconense.	39	316	S. Hormisda.
Gerundense.	40	517	
Cæsaraugustanum.	41	380	S. Damasus.
Ilerdense.	42	546	Vigilius.
Valentinum. (Cod. *Valletan.*)	43	546	
Toletanum I.	44	400	S. Anastasius.
Toletanum II.	45	527	S. Felix IV.
Toletanum III.	46	589	Pelagius II.
Toletanum IV.	47	633	Honorius.
Toletanum V.	48	636	
Toletanum VI.	49	638	
Toletanum VII.	50	646	Theodorus.
Toletanum VIII.	51	653	S. Martinus.
Toletanum IX.	52	655	S. Eugenius.
Toletanum X.	53	656	
	54		
Toletanum XII.	55	681	S. Agatho.
	56		

	Capita.	*A.Chr.*	*Pontifices.*
	57		
	58		
Toletanum XVI.	59	693	Sergius.
	60		
Bracarense I.	61	561	Joannes III.
Bracarense II.	62	572	
Brac. III. seu *Excerpta Martini.*	63	572	
	64		
Hispalense I.	65	590	S. Gregorius M.
Hispalense II.	66	619	Bonifacius V.
Sententiæ quæ in veteribus exemplaribus non habentur, sed a quibusdam insertæ sunt.	67		

Epist. seu Capita.

XIII. Epistolæ Decretales Collectionis ejusdem

S. DAMASI. *Ad Paulinum Antiochenum.* De fide & formula libelli, cujusmodi qui ab hæresi revertuntur debeant profiteri. 1

Confessio fidei Catholicæ: ad eumdem Paulinum. 2

SIRICII *Ad Himerium* (Cod. *Eumerium*) *Tarraconensem* Ep. 1. 3

Ad universos (Cod. *diversos*) *Orthodoxos.* 3. 4

Ad Mediolanensem Ecclesiam (Cod. *ad diversos Episcopos*). 2. 5

S. INNOCENTII *Ad Decentium Eugubinum.* Ep. 1. 6

Ad Victricium (Cod. *Victoricum*) *Rothomagensem.* 2. 7

Ad Exuperium Tholosanum. 3. 8

Ad Felicem Nucerianum. 4. 9

Ad Maximum, & Severum per Brutios. 5. 10

Ad Agapitum, Macedonium, & Maurianum Apulos. 6. 11

Ad Rufum, Gerontium, Sophronium, &c. per Macedoniam. 7. 12

Ad Florentium (Cod. *Florentinum*) *Tiburtinensem.* 8. 13

Ad Probum. 9. 14

Ad Aurelium, & Augustinum Afros. 10. 15

Ad

Epist. seu Capita.

Ad

XIV. Animadversio brevis in eamdem Collectionem.

Eodem prorsus ordine, quo enumeravi Concilia, & Epistolas, tum has, tum illa in Codice laudari compertum erit. Quare autem neque exacta temporum ratio, neque ordo, quem hodie habent in Collectionibus, serventur in Codice, vix quærendum mihi esse videtur. Veterum quippe Collectorum solenne fuit rerum magis satagere, quam temporum. Quod mihi præstandum erat, non neglexi ætates Conciliorum, Pontificesque Romanos, sub quibus fuerunt habita; tum ut facilius reperirentur indicata in codice, tum ut unico omnes adspectu assequerentur, Isidorianam collectionem quam latere ajebam in isto codice. Nam, præter Concilia octo Toletana V. VI. VII. VIII. IX. X. XII. & XVI. unde relata reperiuntur in Codicem nonnulla Decreta, reliqua omnia Isidori ætatem præiverunt. Ac proinde nisi aliud mihi suppeteret hujus rei argumentum; primas Collectionis curas Isidoro tribuerem optimo jure, quibus secundæ, pluresve accesserint ab iis Hispaniarum Episcopis septimi seculi, quorum aliquos navasse operam hujusmodi rebus & testis est locupletissimus liber virorum Illustrium ab Isidoro, Ildefonso, & aliis conscriptus; & enucleatius ipse demonstro in meis Dissertationibus de antiquitate Ecclesiæ Hispanæ tomo secundo. Verum alia non desunt validiora multo argumenta, quæ mox subjiciam. In Epistolas, quas modo per capita, ut Concilia, modo per earumdem numeros recenseri deprehendi, id dumtaxat animadverto, quod veteres collectiones, tamquam magis obvias, fortasse etiam magis certas, sequutus, adjunxi unicuique numerum, quem sub unoquoque Pontifice in Collectione Labbejana præseferunt, ut adiri facilius possint.

XV. Isidorianæ Collectionis argumenta certa.

Validiora, inquam, argumenta non desunt, quæ S. Isidoro afferant Collectionem istam. Horum vero potissimum illud est, quod S. Isidorus de Conciliis agens in suis Originum libris, & doctissime in ea præfatur, & numerando eadem recensere aggreditur, quod quidem

cur

cur non præstiterit, ignorare se eruditi omnes fatentur. Secus est de Pseudo-Isidorianæ Collectionis Architecto; nam ipsam illam S. Isidori præfationem usurpat, paucisque mutatis, multis additis, suæ farraginis autorem facit egregium Ecclesiæ Doctorem. Num idem hic abstulerit S. Isidoro Collectionem suam, ut parabiliorem sibi sterneret viam ad quidlibet audendum, incompertum est nobis posteris. Id certo scimus, quod inter Documenta vetera ab eruditissimis Recentioribus e situ eruta, genuina S. Isidori Hispalensis Collectio prodiit, publicique juris hodie est. Nam primus omnium Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca, dum in Catalonia degeret, duobus in Codicibus Manuscriptis Monasterii Rivipullensis nactus est ipsissimam illam Collectionem Conciliorum, & Decretalium, quam exhibui nuper, hoc tamen discrimine, quod Concilia non excedunt Toletanum IV. capitibusque omnino 45. referuntur, Attici epistola de formatis post Concilia græca, & sententiis ex variis Conciliis postremo Capite, suum sibi locum vindicantibus. Hujusmodi fortasse est Codex Vigilanus, quem extare ait Loaisa in Monasterio S. Laurentii, duoque illi Toletanus, & Urgellensis qui laudantur ab Aguirrio, (*to.* I. *Collect. Maximæ pag.* 45.) Post Marcam vero V. C. D. Petrus Coustant presbyter, & Monachus ordinis S. Benedicti similem habuit codicem ab Ill. Josepho de Taverner d'Ardene Episcopo Gerundensi, totidem Concilia præseferentem, suæque præfationi ad primum volumen Epistolarum Romanorum Pontificum inseruit.

XVI. Petrus Marca, & P. Coustant eam non aestimarunt. *Opuscul. pag.* 201.

Verum, quod magnam me in admirationem conjecit, nec Marca, nec Coustantius subjectum oculis monumentum æstimarunt, quanti oportuit. Marca siquidem de Collectione ista loquens: *Illam*, inquit, *hactenus ignotam ex Codd. duobus mss. Monasterii Rivipullensis in Catalaunia, favente numine, erutam hic explicamus, quæ majoris ponderis apud nos esse debet, quod ea*

usi sunt Gallicani Episcopi usque ad tempora Hadriani Pontificis, & Caroli Magni, & una cum Gallicanis Canonibus ab Ecclesia Hispanica usurpata fuerit usque ad Saracenorum adventum; quemadmodum etiam in Africa. Coustantius profecto punctum propius attigit; nam similes alios Codices nactus in Galliis, nempe Laudunensem, Noviomensem, Bellovacensem, & Suessionensem, suppostitia Isidori Mercatoris in iisdem reperit: quare a Petro Marca descifcens, Hispaniæ uni Collectionem vindicavit. Recte insuper de ætate ejus sensit, seculo confectam septimo affirmans, cui recognoscendæ atque augendæ locum fortasse dederit Concilium Toletanum IV. Verum de Codice agens ab Aguirrio edito, cujus duo elegantissima exempla se vidisse ait in Bibliothecis Colbertina, & Coisliniana: *Quum ea*, inquit, *claudatur Synodo Toletana XVI. quæ in annum 693. cadit, neque recentius uspiam quidquam habeat, palam est vel ante, vel non multo post seculi octavi initia concinnatam esse. Atque ideo debetur Hispanis ea laus, ut in texendis ejus generis lucubrationibus Rheginones, Anselmos, Burchardos, Ivones, Gratianos cæterosque Canonum Compilatores anteciverint. Huc adde, quod a nothis illis undique purus est monimentis, quibus iidem, quos memoravimus, viri Collectiones suas coinquinarunt. Spurias illas merces dico, quas ab Isidoro in Christianum orbem invectas norunt eruditi.* Quibus aperte docet, persuasum sibi esse, quod Codex ab Aguirrio editus, a Collectione illa, quam doctissime examinatam paulo ante dederat, alius omnino erat.

Coustant præfat. n. 150.

XVII. Nec Card. Aguirr. Codicis primus editor.

Nec vero id Coustantio evenerat, nisi admodum religiose fixisset pedem, ubi Aguirrius editor disquisitioni metam collocaverat: quod quidem bene Aguirrio eidem vertit; si enim Codicem, quem inexploratum edebat in lucem, explorasset; quidquid improbo disputarat studio duobus præcedentibus suæ Collectionis voluminibus, ruere intellexisset. Non pigeat eruditissimi

Car-

Cardinalis sententiam hac de re audire : *Tomus tertius*, ait, *initium ducit ab Indice utilissimo Conciliorum & Canonum nunquam hactenus, quod sciamus, publici juris facto, quo utebatur Ecclesia Hispanica usque ad annum circiter septingentesimum. Fortassis vero idem ipse est, quem multo antea elaboraverat Ferrandus Diaconus ineunte seculo sexto sub Epigraphe compendii Sacrorum Canonum. Sit per me licet idem cum illo; sed tamen longe auctior est iste, quum in hoc citentur multa Concilia, & Decreta longe posteriora, & nonnulla eorum fere integro seculo ab obitu Ferrandi celebrata, aut habita. Cujuscumque demum studio is primum scriptus fuerit, utilissimus est. Vellem autem, ut quispiam eruditus ac diligens Scriptor eidem Indici, intra unum volumen justum conjungeret quam breviter fieri possit, aut summatim solum perstringeret Conciliorum Canones & Epistolas Decretales ibidem citatas: sic enim plene dignosceremus, quaenam disciplina Ecclesiastica permaneret adhuc usu recepta in Ecclesia praesertim Hispana initio octavi seculi.* Alibi etiam evidentius patefecit, se minime assequutum esse quidnam foret Codex, quem edebat, *Oportuit*, inquiens, *ut circa finem seculi septimi, aut initium octavi is Codex esset amplissimus, & ingentis magnitudinis volumine comprehenderetur, utpote in quo extarent omnia Concilia eo usque celebrata tum generalia tum nationalia, & provincialia, tum praeterea quamplurimae Romanorum Praesulum Epistolae decretales tot seculis scriptae, praesertim ad Hispanos.*

Collect. Concil. to. 1. praef.

Ibid. to. 2. pag. 2.

XVIII. Eadem Collectio ex Codice exprimitur, ante hac ignota.

Profecto ex codicis, sive indicis, ut vocat, analysi, quatuor tantum Concilia generalia, Nicaenum & Sardicense, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quibus plura Isidorus non novit, in eo citari deprehendisset; ex Nationalibus vero, & provincialibus illa dumtaxat adhiberi, quae S. Isidori aetatem praeiverant, exceptis aliquot Canonibus Toletanarnm Synodorum, quos cura posterior adjecit neque delectum,

ctum, neque ingenium primi collectoris præseferentes. Epistolas autem decretales Romanorum Pontificum nec quamplurimas, nec tot scriptas seculis reperisset: nam solummodo eas centum duas, quas numerando recensui, codex habet, annis circiter biscentum triginta, a Pontificibus Romanis sexdecim, Damaso & Successoribus usque ad Gregorium, conscriptas. Quamobrem nec tantæ magnitudinis volumine Hispanos esse usos, nec tanto ardore fuisse sibi asserendas Pseudo-Decretales compertum, exploratumque habuerat, modo ejus partem laboris subiisset ipse, quem erudito, ac diligenti Scriptori commendat. Quod si Aguirrio inexplorati monumenti evulgatio bene cessit; non enim præcipuam sui operis partem a fundamentis ipse evertit; Coustantio certe parum profuit probe de Collectione Hispana adversus Marcam disputasse; dum postmodo ejusdem Autorem neglexit inquirere hoc in Codice ab Aguirrio primum edito, cujus exempla alia se fatetur vidisse mss.. Non enim Mercatoris ingenium detexit plene, Isidoriano abutentis nomine, ut facilius imponeret, quod hujusmodi figulorum solenne esse ajebam supra.

XIX. S. Isidorus non solumCollectionis, sed etiam Codicis autor fuisse videtur.

Sancto huic Ecclesiæ Doctori vindicant monumentum istud opera ejus omnia, quæ res in eo congestas pertractant: præcipue vero libri duo de Officiis Ecclesiæ, quos per ocium consulere unusquisque poterit; non enim pati mibi videntur præfationis leges, ut capita librorum eorumdem cum titulis librorum Codicis collata exhibeam, quod oblata occasione factum a me esse in dissertationibus planum erit. Porro qui Isidorum de Chorepiscopis, nonnullisque aliis officiis id dumtaxat proferre intelliget, quod Canones & Decretales Epistolæ in peculiaribus titulis Codicis legenti obviæ decreverant, negare non poterit, quod S. Isidorus eodem Codice usus sit, quum de iisdem rebus scribere eum oportuit. Ipsissimum vero autorem Codicis Isidorum esse, Concilii Toletani IV. Canones frequenter allati evincunt; quippe quos

non

non additos, insertosve operi, ut paucos admodum ex indicatis Toletanis Conciliis sequentibus, Codex docet, sed tota cum rerum summa per materias digestos, & opportune adhibitos perspicue ostendit. Quum igitur Concilium hoc Toletanum IV., cui S. Isidorus præfuit, sit Collectionis ultimum, ac per materias Codicis vagetur alia inter Concilia, principem quandoque locum obtinens, si res ipsæ petant: quis detrahere ausit Codicem Isidoro, quem Canones collegisse tum ex indicata ejus præfatione constat; tum præsertim ex Mercatore, qui ejus Collectione, & nomine abusus est ad suas nobis merces depromendum? Ab Ildefonso ejus æquali Codicem hunc minime numeratum esse inter Isidori opera, objiciet aliquis: at fortasse eum non fugiet, quod quæ privato quis studio colligit, ut de aliis aliisque rebus e re nata disputet, quemadmodum fecisse Isidorum liquet, memorialis instar libelli, sive etiam schedarum loco habentur; nec nisi injuria inter opera studio, atque industria elaborata recenserentur.

XX. Collectionem quidem ab aliis cœptam fieri perfecit ipse, Codicem primus elaboravit

Notari nihilominus debet discrimen id magnum, quod Collectioni antiquæ Hispanæ intercedit cum Codice isto, in quo eadem latet. Collectionem siquidem, tametsi jure liceat S. Isidoro tribuere, ut persuadent argumenta nuper allata; non tamen ex integro ab eo factam docent Concilia Hispana ante eum celebrata, quippe quæ Collectionem Canonum præsto habebant, quum decernendum fuit de re aliqua. Eapropter recte Aguirrius mihi videtur arguere, quod Codex tum Conciliorum, tum Decretalium Epistolarum sua identidem habuerit incrementa. Quamquam id certum, ratumque esse velim, quod Collectio illa celebris quinque & quadraginta capitibus constans, a Petro de Marca, & Coustantio in variis reperta Codicibus, postremam manum, ac postrema incrementa accepit ab Isidoro, ac propterea Isidoriana optimo, meritoque jure nuncupatur. Collectio vero altera, quam supra expressi ex Codice mox affe-

afferendo, conftans capitibus feptem & fexaginta, duorum nempe & viginti Conciliorum acceffione numerofior, poft Concilii Toletani XVII. ætatem, Chrifti annum 694. abfoluta fuit, fortaffe a Felice Archiepifcopo Toletano, qui ex Hifpalenfi Sede ad Toletanam translatus erat fuperiori anno in Concilio Toletano XVI. Verum quidquid de ifto Codice tam amplam Collectionem præferente ante hunc diem conjecerunt eruditi, levi admodum nititur fundamento. Quandoquidem Codex haud numerofiori illa ex Collectione eductos Canones nobis exhibet, fed ex priori altera, quam Ifidoro adfcripfi: quamobrem & Collectionis brevioris, & Codicis unum eumdemque autorem fuiffe Ifidorum, ut ingenue dicam quod fentio, pro comperto habeo. Quin etiam egregio Ecclefiæ Doctori Codicem potiori jure quis vindicet, quam Collectionem, cui poftremas dumtaxat curas adjecit. Cœterum grates plurimæ habendæ funt Aguirrio, qui præftans adeo monumentum, utquumque inexploratum, primus in lucem edidit.

XXI. Analyfis ejufdem Codicis Ifidorum autorem patefacit.

Purus is putufque, qualis prodiit ab Ifidori manibus, ad nos non venit, nam ad uberiorem Collectionem fe referens, capita primæ partis, feu Concilia enumerat, fecus atque oportuit fieri Ifidorianæ Collectioni adhærendo, quæ capita tantum 45. continet. Quid vero? Tam evidentes funt pofteriores curæ, ut quidquid Ifidoro Codicem videretur eripere, id Ifidoro magis, magifque eumdem afferat. At enimvero, Conciliis Græcis duo capita adjunguntur (extra numerum rejecta Attici Conftantinopolitani epiftola de Formatis, quæ citatur tamquam relata poft Concilia Græca: *Quomodo fiat Formata. Epiftola Attici Conftantinopolitani Epifcopi, quæ eft in fine Conciliorum Græcorum, ex integro*; quum tamen undecimum faceret Ifidorianæ Collectionis Caput, quod patet ex Præfatione laudata V. C. Petri Couftant.) Capita vero quæ adjiciuntur, funt 9. & 12. Quod Concilium nono loco adhibuerit is Collector, incertum;

Cod. lib. 3. tit. 2.

duo-

duodecimo autem recensuisse Concilium Constantinopolitanum III. liquet ex Toletano XIV. in quo illud publicatum fuit tota Hispania, jussumque referri inter generales Synodos post Chalcedonensem. Totus nihilominus, quantus est Codex, Canones perpetuo affert Constantinopolitani primi, nulla id nota distinguens ab altero, quod in posteriori Collectione occurrit. Perinde est de Gallicanorum Conciliorum septem capitibus adjectis 29. 32. &c. usque ad 38. siquidem altum adeo silentium de iis reperi in Codice, ut ne ausus quidem sim conjicere, quænam Collector adjunxerit, num forte Epaonense, & Aurelianensia cœtera septimo seculo celebrata, quæ a Disciplina Hispaniarum non abludunt, an alia ex non paucis eodem seculo habitis. At conjecerim quæ Collector adjunxerit: Quid? Promoveremne aliquid? Immo vero Canones unius Aurelianensis frequenter adhibiti Aurelianensia cætera ablegarent ex Codice, atque alii cuivis Concilio negaret aditum perpetua decretorum oblivio: ita ut ex 37. prioribus Capitibus postremæ Collectionis octo & viginti, seu (Attici Epistola non prætermissa) undetriginta remaneant in Codice. Ex quatuordecim solummodo Hispanis adjunctis octo illa Toletana, quorum memini, nonnulla unum, aut alterum, quædam etiam plura Collectori decreta præbuerunt, quæ subjectis materiis adjungeret, semel, aut iterum urgens, quæ aliorum Conciliorum decretis hærentia, fuerant ab Isidoro indicata eodem plerumque titulo.

XXII. Additiones eidem factæ secernuntur.

Unus est liber septimus undecim perquam brevibus constans titulis: *De honestate & negotiis Principum*: cujus pars major nullatenus tribuenda est Isidoro, quum post ejus mortem evenerint quæ sanciri oportuit in Conciliis pro incolumitate Gothorum Regum. At qui sequuntur libri tres, duplicem omnino additionem passi, ingenium, delectum, doctrinamque Isidorianam præseferunt. Perinde est de septem prioribus, si unam, ut

Lib. 9. tit. 4. & 5.

dixi aut alteram additiunculam excipiamus, ex Conciliis VIII. XII. & XVI. Senas ex Conciliis VII. & X. undecim ex V. ex VI. quindecim, ac ſeptendecim ex IX. quæ cum tot Canonum, ac decretorum millibus (fere ſemper ſubjectæ, raro admodum præmiſſæ, aut inſertæ librorum capitibus ſeu titulis) ex quinque & quadraginta Conciliorum capitibus, & ex Decretalibus Romanorum Pontificum epiſtolis ab Iſidoro diligenter collectis, ac per materias digeſtis comparatæ, tum minimam ſui partem ſus deque habendam ſuadent; tum vindicant rerum ſummam primæ collectionis autori, quem eſſe Iſidorum multis argumentis conjecimus. Quod ut verum ſit, librorum octo ejuſdem Codicis quoſcumque titulos poſteriori auctos manu ſecernere hic non pigeat. Libri primi numerantur capita, ſeu tituli 60. Canonibus decretiſve quamplurimis plerique confecti: ex iis autem quinque dumtaxat, additiones Toletanarum Synodorum præſeferunt, 4. 8. 17. 37. unicam in fine, & 44. tres, inſertam unam, duaſque in fine. Tres & viginti capita habet liber ſecundus eorumque pari modo quinque paſſa ſunt additiones; 1. unicam inſertam, 8. 9. 13. ſingulas in fine, & 23. duplicem ſimiliter in fine. Septem ex 44. capitibus libri tertii additiones exhibent in fine (præter 38. duplicem habens, in principio unam, alteram in medio, ac duas in fine): 4. 9. 34. & 36. unam, 37. duas, & 39. ſeptem. Quatuor ſola capita ex 40. libri quarti, 5. duos Canones, 11. 17. & 20. unicum mutuantur ex Conciliis Toletanis. Ex octodecim libri quinti capitibus duo, 13. & 18. cum additione deſinunt. Libri ſexti e ſex capitibus 3. incipit cum additione. Titulorum undecim libri ſeptimi tres tantum vacant additionibus 2. 6. 7., cœteri plures pauciореſve in fine habent adjunctos Toletanos Canones; quin etiam 5. 9. 10. & 11. ex integro ſunt compacti. Ac demum liber nonus (octavus & decimus vacui prorſus ſunt) ex novem capitibus habet quartum cum additione inſerta, & 5.

Lib. 4. tit. 5. l. 7. t. 1. l. 5. t. 18. & 13. &c.

cum

cum additione alia in fine. Indicatas autem additiones ſiquis ſecernat, totum Codicem autori S. Iſidoro tribuendum eſſe, haud dubie mecum ſentiet.

XXIII. Hiſpani Epiſcopi utebantur Collectione Iſidoriana 45. capitum.

Num Iſidoriano iſto Codice uterentur Hiſpani Epiſcopi in Synodo congregati, incertum. Quin etiam Concilii XII. Canon quartus ſecus docere videtur; nam Patres Ordinationum vitiis proſpecturi, Canonum Inſtituta relegunt hac ſervata ratione: 1. Pauli epiſtolam ad Titum afferunt loco principe: 2. deinde *tit.* 8. Conc. Nicæni: 3. *tit.* 57. Laodiceni: 4. *tit.* 5. Africani II. 5. *tit.* 42. Africani III. 6. *cap.* 6. Sardicenſis, 7. & *tit.* 2. Tauritani. Qui certe ordo Canonum non reperitur in Codice; duo ſiquidem Canones; Laodiceni, & Sardicenſis Concilii extant *lib.* 1. *tit.* 41. duoque Africanorum *lib.* 3. *tit.* 31. Tametſi creditu pronum eſt, quod Patres ſimilem non invenientes materiam certo Codicis titulo pertractatam, hinc inde decerpſerint quæ opus ſibi erant. Eſto autem: Iſidori privata ſtudia ignoraverint: num propterea S. Doctori auferantur quæ ſuorum ipſius operum, argumentorumque aliorum autoritate eidem aſſeruntur? Immo vero poſteriori ejuſdem Codicis amplificatori tam præclara lucubratio eripi prorſus debet. Quam enimvero indiligens iſte fuit, cum Concilii Toletani XII. ſemel adjunxit Canonem de Eccleſiaſtica immunitate, & quidem titulo, quo Gangrenſe decretum affertur de eadem re; Canonem vero nuper laudatum qui tot amplectitur vetuſtiora decreta de re, occurrente in Codice ſub variis titulis, & gliſcente identidem in Hiſpaniis ubique neglexit! Huic autem lucubrationem tanta elaboratam induſtria, tantoque perfectam ingenio tum Aguirrius, tum Couſtantius ſimplici conjectura ducti adjudicent? Rem ii melius exploraſſent: laudabilius forte conjecerant, alteras poſt Iſidorum curas acceſſiſſe Codici a S. Ildefonſo Toletano Archiepiſcopo; nam poſt Concilium Toletanum IV. ſequentium ſex Conciliorum Canones plures, pauciorefve additi reperiuntur; ter-

Lib. 5. *tit.* 18.

tias vero non improbabiliter a Felice Toletano item Archiepiſcopo, qui ut ampliorem fecerit Collectionem Conciliorum tum ex Hiſpaniis tum ex Galliis, cui inhærens, capita totius Codicis longe alia methodo enumeravit; tamen vix ſingulos Canones Conciliorum Toletanorum XII. & XVI. adjunxit, Gallicanis, Hiſpaniſque cæteris Conciliis nil penſi habitis. Cœterum quum liqueat ex Toletanis Conciliis, quod Iſidoriana dumtaxat Collectio 45. capitibus abſoluta obtinuit apud Hiſpanos veteres, eamque & Petrus Marca & Couſtantius nacti ſint in pretioſis Codd.mſs. quam præterea integram refert noſter Codex facili negotio additionibus expurgatus, tam illam Collectionem, quam Codicem S. Iſidoro jure tribuo, ac poſtliminio ad eum redire jubeo.

XXIV. Eadem exhibetur in Codice veterum Canonum Eccleſiæ Hiſpanæ.

Lib. 3. tit. 23.

UT bis in anno Episcoporum fiat Concilium. Concil. Nicæno titul. 5. *a cap.* 1.

Quod oporteat bis in anno Concilium fieri per singulas provincias. Concil. Chalced. tit. 19. a cap. 11.

Ut gesta Conciliorum Episcoporum subscriptionibus roborentur. Concil. Carthag. III. *tit.* 50. a cap. 15.

Ut ad Metropolitani arbitrium Synodus congregetur. Concil. Arelaten. *II.* tit. 18. a cap. 22.

Ut Epistolas ad Concilium revocandum Metropolitanus subscribat & dirigat. Concil. Carthag. *VIII.* tit. 10. a cap. 20.

Quod in communes caussas Ecclesiæ generale Concilium congregare oporteat, in privatis vero caussis speciale uniuscujusque provinciæ. Concil. Carthag. VIII. tit. 9. a cap. 20.

De qualitate Conciliorum, vel quare, aut quando fiant. Concil. Tolet. IV. tit. 3. a cap. 47.

Ut Episcopus ad diem Concilii occurrat. Concil. Carthag. V. tit. 10. *a cap.* 17.

Formula qualiter Concilium fiat. Concil. Tolet. IV. tit. 4.

Ut

Ut Episcopus ægrotans pro se legatum ad Synodum mittat. Concil. Carthag. IV. tit. 21. a cap. 16.

De tempore Paschæ, & die Concilii, quo celebrari oporteat. Concil. Carthag. V. tit. 7. a cap. 17.

De Synodo annis singulis congreganda. Concilio Agathen. t. 71. a cap. 30.

Ut per singulos annos Concilium fiat. Concil. Carthag. III. tit. 2. *a cap.* 15.

Ut bis in anno Concilium fiat. Concil. Rhegiensi tit. 7. a cap. 26.

Ut bis in anno Synodus celebretur. Conc. Antioch. tit. 20. a c. 6.

De bis in anno Synodo facienda: & non licere alteri Episcopo proprie apud se Concilium facere, nisi soli Metropolitano. Concil. Bracar. III. tit. 18. a cap. 63.

Ut nulli Episcopo a Synodo liceat deesse, vel ante peractam Synodum discedere. Concil. *Arelaten.* II. tit. 19. a cap. 22.

Ut nullus Episcopus de Concilio sine consensu discedat, aut ad Concilium ire recuset. Neque officia sua presbyteris injungat: sed Episcopi & alii ea coram se agant. Concil. Arausic. tit. 29. a cap. 27.

Quod semel in anno ad Concilium sacerdotes & judices atque actores patrimonii fiscales debeant convenire. Concil. Tolet. III. titul. 18. a cap. 46.

Ut Episcopus Diœcesanus presbyteros, & quosdam ex laicis convenire literis ad Synodum moneat. Concil. Tarracon. tit. 13. a c. 39.

Ut de Sicilia terni annis singulis Episcopi die tertia Kalend. Octobrium Romam pro Synodo occurrant. Epistola Leonis ad Episcopos per Siciliam tit. 7. 65.

Ut bina per annos singulos Episcoporum Concilia celebrentur. Epistola Leonis ad Anastasium tit. 7. 69.

Ut bini de provinciis Episcopi, quos Metropolitani probaverint, ad Thessalonicam dirigantur. Epistola Leonis ad Anastasium t. 10.

Ut non amplius quam dies quindecim in Concilio remorentur Episcopi. Epistola ejusdem ad quem supra tit. 11.

De Concilio per annos singulos celebrando. Epistola Hormisdæ ad Episcopos per Hispaniam tit. 3. a cap. 93.

De Episcopis qui post Acta Carthaginensis Synodi retenti sunt ad reliqua peragenda. Concil. Milevitano *II. seu Carthag. VIII.* tit. 27. *a cap.* 20.

De Episc. ad Syn. ire contem.

TITULUS XXVII.

Episcopos ad Synodum vocatos non debere contemnere. Concil. Laodicen. tit. 40. a cap. 7.

Ut qui plebe sua contempta ad Concilium venire detrectant; plebem & honorem amittant. Concil. Carthag. III. tit. 43. a cap. 15.

Ut

Ut nullus Episcopus de Concilio sine consensu discedat, aut ad Concilium ire excuset. Concil. Arausic. tit. 29. a cap. 27.

Si Episcopus a Metropolitano admonitus, pro Synodo vel ordinatione Episcopali venire distulerit. Concil. Agathen. t.35. a c.30.

Ut Episcopus qui a Metropolitano commonitus, ad Synodum non venerit, excommunicetur. Concil. Tarracon. tit. 6. a cap. 39.

De Episcopo qui noluerit venire ad Synodum. Concil. Bracar. III. tit. 19. a cap. 63.

TITULUS XXVIII.

De cust. Episc. pact. & a Princ. confirm.

UT gesta Concilii Episcoporum subscriptionibus confirmentur. Concil. Carthag. III. tit. 50. a cap. 15.

Ut pacta inter Episcopos inita custodiantur. Concil. Carthag. I. tit. 12. a cap. 13.

Ut Episcopus qui contra professionem suam in Concilio habitam venerit, deponatur. Concil. Carthag. II. tit. 13. a cap. 14.

Ut de hæreticis & infidelibus, quicquid in Concilio constituitur, a Principe impetretur. Concil. Carthag. VIII. tit. 11. a cap. 20.

TITULUS XXIX.

De excomm.

DE excommunicatis clericis sive laicis. Concil. Nicæno tit. 5.

De clericis excommunicatis, ne alii Episcopi eis communicent. Concil. Sardicen. tit. 16. a cap. 5.

De excommunicatis quid observetur. Concil. Antioch. t. 6. a c. 6.

De excommunicatis, qui præter voluntatem Episcopi ad urbem regiam venerint. Concil. Chalced. tit. 23. a cap. 11.

Ut qui excommunicatum alterius susceperit, excommunicetur, & pari crimine obnoxius teneatur. Concil. Carthag. II. tit. 7. a c. 14.

Excommunicatus presbyter si sacrificare præsumpserit, anathematizetur. Concil. eod. tit. 8.

De clericis & monachis excommunicatis, qui præter voluntatem Episcopi sui ad urbem regiam veniunt. Concil. Chalced. tit. 23. a cap. 11.

Ut cum excommunicato communicans vel orans excommunicetur. Concil. Carthag. IV. tit. 73. a cap. 16.

De iis qui excommunicatos alterius recipiunt. Concil. Arelat. II. tit. 8. a cap. 22.

De clericis qui per culpam suam ab Episcopo suo excommunicantur. Concil. Tauritano tit. 4. a cap. 25.

De iis qui vel innocentes, vel pro minimis caussis ab Episcopo excommunicantur, ut ab aliis Episcopis indubitanter communionem accipiant. Concil. Agathensi tit. 3. a cap. 30.

Ut excommunicatus humiliet semetipsum, ut festinius reconcilietur. Concil. Vasensi tit. 6. a cap. 28.

De eo qui ab Episcopo suo aliquid repetit pro ipsa conventione, ab Ecclesia non privetur. Concil. Aurelian. tit. 8. a cap. 31.

De excommunicatis presbyteris, ut in necessitate communionem dent. Concil. Eliberit. tit. 32. a cap. 38.

De Episcopis qui excommunicatum alienum communicant. Concil. eod. tit. 53.

Ut qui a suis Episcopis privantur, ab aliis non recipiantur. Concil. Cæsaraugust. tit. 5. a cap. 41.

De iis qui excommunicantur a sacerdotibus, ut nullus ad eos accedat. Concil. Tolet. I. tit. 15. a cap. 44.

De non communicando excommunicatis. Concil. Bracar. I. titul. 15. *a cap*. 61.

De clericis excommunicatis. Concil. Bracar. III. tit. 37. *a cap*. 63.

Non licere communicare excommunicatos. Concil. eod. tit. 84.

De iis qui in sua provincia non communicantes, alibi communicant. Concil. Africano Milevitano tit. 18. a cap. 20.

Si quislibet clericus aut laicus pro hæresi fuerit excommunicatus, libellum Fidei suæ det, ut opinionem hæresis expurget. In excerptis Martini tit. 36. a cap. 63.

De damnatione Acacii, quod hæreticis ausus sit communicare. Epistola Felicis ad eundem Acacium Constantinopolit. ex integro 82.

De Episcopis qui excommunicatum alterius suscipiunt. Concil. Arausic. tit. 11. a cap. 27.

De excomm. & ita defunct.

TITULUS XXX.

De excommunicatis a sæculo exeuntibus. Concil. Nicæn. tit. 13.

De communione privatis & ita defunctis. Epistola Leonis ad Rusticum tit. 8. 68.

De consf. integr. locor.

TITULUS XXXI.

Non accipiat alium Episcopum plebs, quæ in diœcesi semper subjacuit. Concil. Carthag. III. tit. 46. a cap. 15.

Ut diœcesis quæ Episcopum nunquam habuit, non habeat. Concil. Carthag. II. tit. 5. a cap. 19.

Ut qui comprobaverit suam civitatem Metropolim fuisse, teneat primatum. Concil. Tauritano tit. 1. a cap. 25.

Ne in una provincia duo Metropolitani sint, & de quibus ita factum est. Concil. Chalced. tit. 12. a cap. 11.

Quod non oporteat secundum statuta Imperatorum duos esse Metropolitanos Episcopos. Epistola Innocentii ad Alexandrum tit. 2.

Quod unaquæque provincia suo Metropolitano debeat esse contenta. Epistola Cœlestini ad Episcopos Galliæ tit. 4.

De terminis non transferendis. Epistola Innocentii ad Florentinum ex integro.

Ut

Ut nullus Episcopus relicta cathedra in diœcesi resideat. Concil. Carthag. V. tit. 5. a cap. 17.

Episcopus in diœcesi factus, solam eam teneat plebem, in qua est ordinatus. Concil. Carthag. III. tit. 46. a cap. 15.

Si Episcopi negligentes sint adversus hæreticos, amittant eadem loca, in quibus inveniuntur existere negligentes. De judicibus etiam, quibus in caussa dirimi potest. Concil. Carthag. VIII. tit. 24. a c. 20.

Ut si Episcopus in majoribus cathedris conventus a vicinis Episcopis, infra sex menses ad Ecclesiæ unitatem non converterit, excommunicetur. Quod si fuerit de communione mentitus Episcopus privetur. Concil. eod. tit. 25.

TITULUS XXXII.

De invas. sed. & locis.

DE Episcopis vagantibus Ecclesias vacantes occupantibus. Et hanc esse plenam Synodum, ubi Metropolitanus fuerit. Concil. Antioch. tit. 16. a cap. 6.

Ut nullus Episcopus alienum conculcet Episcopum. Conc. Arelaten. I. tit. 17. a cap. 21.

Ne Episcopus alterius Episcopi plebes aut fines usurpet. Concil. Carthag. I. tit. 10. a cap. 13.

Ut nullus parochiam alienam præsumat. Concil. Carthag. III. tit. 20. a cap. 15.

De Episcopis, qui quod repetere poterant, prætermissa Synodo invaserunt. Concil. Carthag. VIII. tit. 21. a cap. 20.

TITULUS XXXIII.

De reg. Eccl. & tricenn. possess.

DE Ecclesiis in barbarico positis. Concil. Constantinop. tit. 4 a c. 8.

De Ecclesiis in parochiis per triginta annos ab Episcopo habitis, vel renovatis urbibus. Concil. Chalcedon. tit. 17. a cap. 11.

De tricennii tempore, & per provincias caussarum discretione. Concil. Tolet. IV. tit. 34. a cap. 47.

De tricennali præscriptione: ut post triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus exclusit. Epistola Gelasii ad Sicilienses Episcopos tit. 2. a cap. 85.

Ut Basilicæ in cujus territorio sunt, in ejus Episcopi maneant potestate. Concil. Aurelian. tit. 19. a cap. 31.

De Ecclesiis ab hæresi translatis: ut ad eos Episcopos, in quorum sunt parochiis, pertineant. Concil. Tolet. III. tit. 9. a cap. 46.

Quod Ecclesiarum omnium dotes ad Episcopi ordinationem debeant pertinere. Concil. Tolet. III. tit. 19. a cap. 46.

De conventu territorii, & Basilicis noviter constructis: ad quem Episcopum pertineant. Concil. Tolet. IV. tit. 35. *a cap.* 47.

TITULUS XXXIV.

De visitand. & moder. paroch.

UT annis singulis Episcopi diœcesin visitent. Ut non plusquam

 ter-

LIBER III. TIT. XXXV.

tertiam de parochiis suis accipiant. Concil. Tarracon. tit. 8. a cap. 39.

De requisitione Episcoporum per singulos annos in parochiis peragenda. Concil. Tolet. *IV.* tit. 36. a cap. 47.

Ne ex facultatibus Ecclesiarum diœcesis, excepto tertiam rationem tributorum ac frugum, Episcopus aliquid auferat. Concil. Tolet. IV. tit. 33. a cap. 47.

Ut Episcopus ambulet per diœcesem suam. Concil. Bracar. II. titul. 1. *a cap.* 62.

Ut Episcopus per diœcesem suam ambulans, duos solidos tantum accipiat: neque tertiam partem de oblationibus quærat: clerici non cogantur more servili. Concil. eod. tit. 2.

Ut Episcopus ambulet per diœcesem suam, discutiens clericos, si bene ministrent, & ante 20. dies Paschæ catechumeni doceantur Symbolum. Concil. Bracar. II. tit. 1.

De exactione Ecclesiarum Galliciæ provinciæ. Concil. Tol. VII. tit. 4. a cap. 50.

Si cont. int. par. vr. qua exam. determ.

TITULUS XXXV.

DE Theodulphi Malacitanæ Ecclesiæ Episcopi querimoniis adversus reliquos Episcopos pro quibusdam parochiis. Concil. Hispalensi *II.* tit. 1. *a cap.* 66.

De querimoniis Fulgentii & Honorii Episcoporum pro quibusdam parochiis. Concil. eod. tit. 2.

De duobus Episcopis unius provinciæ inter se contentionem habentibus. Concil. Sardicen. tit. 3. a cap. 5.

De œcon. & defens. Eccl.

TITULUS XXXVI.

DE œconomis, idest dispensatoribus singularum Ecclesiarum habendis. Concil. Chalced. tit. 26. a cap. 41.

De institutione œconomorum, idest qui res Ecclesiasticas tractant. Concil. Tolet. IV. tit. 48. a cap. 47.

De œconomis, ne ex laicis constituantur. Concil. Hispalen. II. tit. 9. *a cap.* 66.

Defensor Ecclesiarum a Principi*bus* postuletur. Concil. Carthag. V. tit. 9. a cap. 17.

Ut pro caussis Ecclesiæ pro-persecutores vel advocati a Principe postulentur. Concil. Carthag. VIII. tit. 16. a cap. 20.

Ut fundatores Ecclesiarum, quousque advixerint, earum habeant curam; ipsique illic ministros eligant servituros. Concil. Tolet. IX. tit. 2. a cap. 52.

De dispens. rer. Eccl.

TITULUS XXXVII.

UT oblatio fidelium, quæ in nummis offertur, apud unumquemlibet clericum servetur, competenti tempore inter clericos dividenda. Concil. Bracar. I. tit. 21. *a cap.* 61.

De

De iis quæ in altario offeruntur, sive prædiis. Concil. *Aurelianen.* tit. 16. a cap. 31.

De iis quæ in altario a fidelibus in parochitanis Basilicis offeruntur. Concil. eod. tit. 17.

De rebus Ecclesiasticis quot portiones fiant. Concil. Bracar. *I.* tit. 7. *a cap.* 61.

De rebus Ecclesiæ dispensandis: quæ dispensatio ita fiet, ut nulla necessitas maneat. Concil. Bracar. III. tit. 16. *a cap.* 63.

Ut de redditibus Ecclesiæ, & oblatione fidelium quatuor portiones fieri debeant. Decretum Gelasii generale tit. 29. a cap. 84.

De bene regendis Ecclesiæ rebus ab Episcopis. Epistola Gelasii ad Sicilienses Episcopos tit. 2. 85.

De conquisitis rebus, inter Ecclesiam & sacerdotis intestati hæredes, quæ divisio fiat. Concil. Tolet. IX. tit. 4. a cap. 52.

Ut Episcopus tertiam Ecclesiasticarum rerum sibi debitam, cui elegerit conferat. Concil. Tolet. *IX.* tit. 6. a cap. 52.

TITULUS XXXVIII.

De cust. & non alien. Eccl. reb.

De collatis rebus Ecclesiis, ut in earum jure perdurent. Concil. Tolet. VI. tit. 15. a cap. 49.

Non debere sacerdotes Ecclesiastica vendere; verumtamen vendita revocare. Concil. Ancyritano tit. 14. a cap. 2.

Irritam esse quamcumque distractionem Episcopi actam sine conniventia clericorum. Concil. Carthag. IV. tit. 32. a cap. 16.

Res Ecclesiæ inconsulto Metropolitano Episcopo non alienandæ. Concil. Carthag. V. tit. 4. a cap. 17.

Ut Episcopo non liceat rem alienare Ecclesiæ, clericis autem, monachis, & peregrinis liceat dare. Concil. Tolet. III. tit. 3. Concil. Agathen. tit. 22. a cap. 30.

Non licere cunctis ministris & sacerdotibus res Ecclesiæ commutare, vendere, vel donare; nec libertis a parochitanis editis Ecclesiam relinquere. Concil. Agathen. tit. 49.

Non licere presbyteris parochitanis de rebus Ecclesiæ aliquid vendere. Concil. eod. tit. 53.

Presbyteri parochitani quodcumque emerint, ad nomen Ecclesiæ faciant scripturam. Concil. eod. tit. 54.

Ut Episcopus in rebus Ecclesiæ potestatem habeat, nec domesticis suis vel propinquis in eis potestatem attribuat. Concil. Antioch. tit. 25. a cap. 6.

Episcopus rebus Ecclesiæ, tamquam commendatis, non quasi propriis, utatur. Concil. Carthag. *IV.* tit. 31. a cap. 16.

Quomodo ab Episcopis res Ecclesiæ habeantur. Et de libertis manumittendis. Concil. Agathen. tit. 7. a cap. 30.

Li-

LIBER III.
T. XXXVIII.

Licere Episcopo sine conniventia clericorum aliquid exiguum vendere. Concil. eod. tit. 45.

Licere Episcopis fugitivos servos Ecclesiæ venundare. Concil. eod. tit. 46.

De mancipiis Ecclesiæ ab Episcopo manumissis. Concil. Hispalensi I. tit. 1.

De superbis Ecclesiæ libertis, ut ad servitium revocentur. Concil. Hispalensi II. tit. 8.

De mancipiis Ecclesiæ ab Episcopo proximis suis collatis. Concil. Hispalensi I. tit. 2.

Si Episcopus de rebus Ecclesiæ aliquid per testamentum contulerit. Concil. Agathen. tit. 51. a cap. 30.

De præsumptuoso Episcopo, si absque necessitate, & inscio clero, vel de loco illo, ubi presbyter non est, de rebus Ecclesiæ vendere quodcumque præsumpserit. Concil. Bracar. III. tit. 14.

Non licere clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere. Concil. Chalced. tit. 22. a cap. 11.

Ut si Episcopus intestatus obierit, inventarium de rebus ejus clerici faciant, ut nullus exinde aliquid auferat. Concil. Tarracon. tit. 12. a cap. 39.

Si sacerdos moritur, quid de rebus Ecclesiæ observetur. Conc. Ilerden. tit. 16. a cap. 42.

Ut defuncto Episcopo, de rebus ipsius, vel Ecclesiæ, nullus quicquam præsumat. Concil. Valletano tit. 2. a cap. 43.

De rebus Ecclesiasticis & Episcopalibus, qualiter serventur. Concil. Antioch. tit. 24. a cap. 6.

De rebus Ecclesiasticis gubernandis, ac spiritualibus segregandis. Concil. Bracar. III. tit. 15.

Ut propinqui morientis Episcopi de rebus ejus nihil usurpent sine Metropolitani & comprovincialium conscientia. Concil. *Valletan.* tit. 3. a cap. 43.

De rebus Episcopi propriis vel acquisitis, quid debeat observari. Concil. Agathen. tit. 48. a cap. 30.

Si Episcopo quippiam a quolibet fuerit derelictum, ab Ecclesia vindicetur: exceptis iis, quæ per fidei-commissum data reperiuntur. Concil. eod. tit. 6.

Ut Episcopus relinquens, vel non relinquens filios, si Ecclesiam cui præfuit hæredem non fecerit, de bonis quæ relinquit, damnis Ecclesiæ consulatur. Concil. eod. tit. 33.

De venditionibus, quas Abbates facere præsumunt, & nullatenus faciendis libertis de monasterii servis. Concil. eod. tit. 56.

De promisso suffragii præstiti ex rebus Ecclesiæ sacerdotibus per-

persolvendo, ut ita Concilio roboretur. Concil. Tolet. IV. t. 37. a c. 47.

Si de rebus Ecclesiæ pro præstatione aliquid dari dicatur, caussa præstiti cognoscatur. Concil. Tolet. IX. tit. 3. a cap. 52.

De suffragio fundatoribus Ecclesiarum, vel filiis eorum, ex rebus ab ipsis collatis impertiendo. Concil. Tolet. IV. tit. 38. a cap. 47.

Res Ecclesiasticæ usu collatæ nulla conscriptione temporum defendantur. Concil. Agathen. tit. 59. a cap. 30.

Si Episcopus cuiquam terrulas præstiterit excolendas sine præjudicio juris Ecclesiæ, tenebuntur. Concil. Aurelianensi tit. 25. a c. 31.

Ut quicquid de jure Ecclesiæ clerici tenuerint, post obitum eorum ad Ecclesiam revertatur. Concil. Tolet. II. tit. 4. a cap. 45.

Ut res Ecclesiæ non alienentur, & clericis, & monachis, aut peregrinis in usum dentur. Epistola Symmachi ad Cæsarium tit. 1. a cap. 87.

De stipendiis clericorum, ne a jure alienentur Ecclesiarum. Concil. Tolet. VI. tit. 5. a cap. 49.

Ut de rebus Ecclesiæ nihil Episcopi auferant. Et qualiter proximi fundatores Ecclesiarum solicitudinem gerant. Concil. Tolet. IX. tit. 1. a cap. 52.

Ut scripturæ, quas sacerdotes & ministri injuste fecerint, post mortem eorum habeant annorum numerum computatum. Concil. eod. tit. 8.

TITULUS XXXIX.

De libert. ex famil. Eccl.

DE libertis ex familia Ecclesiæ factis, si nihil ex proprio conferant sacerdotes qui eos faciunt. Concil. Tolet. IV. tit. 67. a cap. 47.

De discretione manumissorum ex familia Ecclesiæ, qualiter manumittantur, & ne adversa testificent vel accusent. Conc. eod. tit. 68.

Quod liberti ex familia Ecclesiæ pro compensatione acquisitæ rei ab Episcopis possint fieri. Concil. eod. tit. 69.

De professione libertorum Ecclesiæ, & posteritatis eorum sacerdotibus facienda; ne longinquitas temporis hos faciat oblitescere libertate. Concil. eod. tit. 70.

De libertis Ecclesiæ ejusdem patrocinium derelinquentibus. Concil. eod. tit. 71.

De professionibus & obedientia libertorum Ecclesiæ. Concil. Tolet. VI. tit. 9. a cap. 49.

De progenie libertorum Ecclesiæ: ne iis vel pro nutritione ab Ecclesia liceat evagari. Concil. Tolet. VI. tit. 10.

Quod post mortem sacerdotis libertate serius collata, annorum tempus debeat computari. Conc. Toletano IX. tit. 12. a cap. 52.

Ut ex libertis Ecclesiæ, & ex personis ingenuis geniti, ab obsequiis Ecclesiæ non recedant. Concil. eod. tit. 13.

Si

Si liberti Ecclesiæ ad eam reverti non velint. Concil. eodem tit. 14.

De obsequio & disciplina libertorum Ecclesiæ. Conc. eod. tit. 15.

Quod libertis Ecclesiæ nihil de rebus suis in alienum liceat transferre dominium. Concil. eod. tit. 16.

De non ignor. Canon.

TITULUS XL.

Quod nulli sacerdoti liceat Canones ignorare. Epistola Cœlestini ad Episcopos per Apuliam tit. 1. a cap. 36.

Quod ignorantia sanctarum Scripturarum Eutychen hæreticum fecerit. Rescriptum Leonis ad *Flavianum* tit. 1. a cap. 40.

Ut sciant servare quod noverunt, & curent nosse quod ignorant. Decretum Gelasii generale tit. 28. a cap. 84.

De observ. Canon. & damn. vet. præsum.

TITULUS XLI.

De statutis Canonum conservandis. Epistola Leonis ad Episcopos Africanos tit. 2. 71.

Ut Canones Nicæni, & Apostolicæ Sedis decreta custodiantur. Decretum Hilarii tit. 1. 76.

De institutis Ecclesiasticis moderandis, pro temporis qualitate dispositis. Decretum Gelasii tit. 1. 84.

Ut ubi nulla perurget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur. In quo supra tit. 2.

Quod Apostolica Sedes paternos Canones pro studio devota custodiat, & eos custodiri simili intentione præcipiat. Decretum Gelasii generale tit. 11.

Ut Episcopus, presbyter, & Diaconus, qui contra hæc statuta fecerint, periclitentur. Decretum Gelasii generale tit. 30.

Quod prævaricatores interdictorum communionis se noverint subire jacturam. Epistola Symmachi ad Cæsarium tit. 6. cap. 87.

Quod in præteritis regulis, & quæ custodienda sunt, & quæ vetita sunt, ordinataque, in omnibus diligenter debeant observari. Epistola Hormisdæ ad Sallustium Hispalensem tit. 2. cap. 95.

Ut nullus privilegia antiqua convellat, sed in honore suo a patribus decreta serventur. Rescripto Hormisdæ ad Episcopos Bæticæ, ex integro 97.

De damnatione eorum qui eâ quæ interdicta sunt, usurpare præsumunt. Epistola Zosimi ad Isicium Salonitanum Episcopum tit. 2. a capite 28.

Id ipsum de eodem. Epistola Cœlestini ad Episcopos per Apuliam, tit. 3. a cap. 36.

Ut si quis sacerdotum contra interdicta fecerit, a suo sit officio removendus. Epistola Leonis ad universos Episcopos per Campaniam & diversas provincias tit. 5. 66.

Qui

Qui instituta violaverit, sententiam in se inveniet. Decretum Hilarii tit. 4. 76.

Ut Episcopi qui contra statuta faciunt, honore priventur. Concil. Tauritano tit. 2. a cap. 25.

De Abgaro & *Tyberiano*, qui ex laicis fuerunt ordinati. Epistola Leonis ad Africanos Episcopos tit. 4. 71.

De damnatione eorum qui prætereuntes statuta, nova introducunt præcepta. Sententia in fine Gangrensis Concilii a cap. 4.

De Canonibus uniuscujusque Concilii conservandis. Concil. Chalcedon. tit. 1. a cap. 11.

De observatione priorum Canonum. Concil. Tolet. III. tit. 1. a cap. 47.

De stabilitate Canonum, & damnatione eos violantium. Concil. Bracar. *I.* tit. 22. *a cap.* 61.

Ut laici contemptores Canonum excommunicentur, clerici honore priventur. Concil. Carthag. I. tit. 14. a cap. 13.

De Proterio Alexandrino Episcopo, ut primorum suorum decreta conservet. Epistola Leonis ad Marcianum Augustum t.1.a c.59.

Ubi postulat eundem Imperatorem, ut Epistolam, quam ad *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum scripserat, in Græcum translatam Alexandrinæ Ecclesiæ destinet. In quo supra tit. 2.

Ubi per legatos suos hortatur Dei sacerdotes, ut secundum sacras Scripturas cuncta disponant. Epistola Leonis ad Synodum Chalcedonensem ex integro 56.

TITULUS XLII.

De non contem. quæst. & cav. content.

PRofundiores quæstiones nec contemnendæ sunt, nec penitus asserendæ. Epistola Cœlestini ad Episcopos Galliæ tit. 1. 34.

Quod magnopere contentio sit cavenda. Epistola Anastasii ad Anastasium tit. 4. a cap. 86.

TITULUS XLIII.

De retin. cond. servor.

UT servi sub obtentu religionis non suscipiantur aut vindicentur in monasteriis, vel in clero. Decretum Gelasii generale tit. 16. a cap. 84.

TITULUS XLIV.

De quorumc. lib. Eccl. comm.

DE libertis qui Ecclesiæ commendati sunt, ne opprimantur. Concil. Arausic. tit. 7. a cap. 27.

De libertis, ut in necessitate ab Ecclesia tueantur. Concil. Agathen. tit. 29. a cap. 30.

Quod liberti ab Episcopis vel ab aliis facti, & Ecclesiæ commendati, permanere debeant liberi. Concil. Tolet. III. tit. 6. a cap. 46.

De libertis patrocinio Ecclesiæ commendatis. Concil. Tolet. IV. tit. 72. 47.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS

De institutionibus officiorum, & ordine baptizandi.

TITULI.

TITULUS I.

Quod sibi tant. noc. quando a mal. bona min.

QUod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ sacramenta commaculent. Epistola Anastasii ad Anastasium Augustum tit. 8. a cap. 86.

Quod eos quos post damnationem suam baptizavit vel ordinavit Acacius, nulla portio læsionis attingat. In quo supra tit. 7.

TITULUS II.

De non usurp. doctr. & nom. doct.

UT doctoris sibi nomen non imponat, cui concessum non est; Con-

Concil. Cæsaraugust. titulus 7. a capite 41.

Ut laicus præsentibus clericis non doceat. Concil. Carthag. IV. tit. 98. a cap. 16.

Ut mulieres publice docere non præsumant. Concil. Carthag. IV. titul. 99.

TITULUS III.

De recip. lib. can. & ren. lib. & psal. apocr.

NOn licere psalmos ab idiotis compositos in Ecclesia dici, neque libros qui sunt extra Canonem legere: & qui sint libri canonici. Concil. Laodic. tit. 59. a cap. 7.

Ut præter sacras Scripturas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum: & qui sint libri canonici. Conc. Carthag. III. tit. 47. a cap. 15.

Præter canonicas scripturas nihil in Ecclesia Catholica, nihil in auctoritate recipiendum. Concil. Tolet. I. ex regula Fidei tit. 12. a cap. 44.

Quod extra auctoritatem Veteris & Novi Testamenti nihil poeticum sit in Ecclesia decantandum. Concil. Bracar. I. tit. 12.

De eo quod non liceat psalmos poeticos in Ecclesia dicere, nec libros apocryphos legere. Concil. Bracar. III. tit. 67.

De Apocalypsis libro in omnibus recipiendo. Conc. Tolet. IV. tit. 17. a cap. 47.

De Canonicis libris qui recipi debeant. Epistola Innocentii ad Exuperium tit. 7. a cap. 8.

TITULUS IV.

De Symb. Patr.

SYmbolum Nicæni Concilii a cap. 1. Fides S. Gregorii Majoris. Symbolum Constantinopolitani Concilii a cap. 8.

Regula Fidei habita in Concil. Tolet. I. a cap. 44.

Tractatus & confessio Fidei Recaredi Regis, quando gens Gotthorum est ab hæresi Ariana conversa. Exordium Concil. Tolet. III. a cap. 46.

De evidenti Fidei Catholicæ veritate. Concil. Tolet. IV. tit. 1. a cap. 47.

De plenitudine Fidei Catholicæ. Concil. Tolet. VI. tit. 1. a c. 49.

De unius sacræ Fidei veritate. Concil. Tolet. VIII. t. 1. a c. 51.

TITULUS V.

De cust. Symb.

CUstodiendam Fidem Patrum trecentorum decem & octo. Concil. Constantinop. tit. 1. a cap. 8.

TITULUS VI.

De præd. Symb.

DE prædicando Symbolo populis in Ecclesia. Concil. Tolet. III. tit. 2. a cap. 46.

Ut Symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur. Concil. Agathen. tit. 13. a cap. 30.

LIBER IV.
TIT. VII.
De constr. Eccl. & altar.

TITULUS VII.

NE sine præceptione Episcopi novæ Basilicæ dedicentur. Decretum Gelasii generale tit. 6. a cap. 84.

Ut nulla Basilica sub quorumlibet defunctorum nomine constructa dedicetur. Decretum Gelasii generale tit. 27. a cap. 84.

De Basilicis quæ sine Martyrum reliquiis dedicatæ sunt, ut destruantur. Concil. Carthag. V. tit. 14. a cap. 17.

Ne picturæ in Ecclesia fiant. Concil. Eliberit. tit. 36. a cap. 38.

Quod manere debeat firmum si servi fisci Ecclesias fecerint, easque periculo suo ditaverint. Concil. Tolet. III. tit. 15. a cap. 46.

Ut altare & ungatur & benedicatur. Concil. Agathen. tit. 14. a cap. 30.

De Ecclesiarum restauratione in fabricis, vel ædificatione, quid sit observandum. Epistola Vigilii ad Profuturum Episcopum tit. 4. a cap. 98.

De bon. Eccl.

TITULUS VIII.

DOmum Dei, & congregationes quæ in ea fiunt, non debere contemni. Concil. Gangren. tit. 5. a cap. 4.

Non licere extra Ecclesiam congregationes fieri, & contempto Episcopo cum presbytero agere. Concil. eod. tit. 6.

Non licere communionem Ecclesiæ contemnere, aut excommunicatis communicare. Concil. Antiochen. tit. 2. a cap. 6.

De fructibus in Ecclesia, & non alibi, dandis. Concil. Gangren. tit. 7. a cap. 4.

Non licere in Ecclesiis accubitus sternere, vel Agapen facere. Concil. Laodic. tit. 27. a cap. 7.

Ut nullus in Ecclesia *convivetur*. Concil. Carthag. III. tit. 30. a cap. 15.

De bon. Mart.

TITULUS IX.

DE communicando in Basilicis Martyrum. Concil. Gangren. tit. 20. a cap. 4.

De Martyrum sepulchris, & honorificentia. Concil. Carthag. I. tit. 2. a cap. 13.

Ne cerei in cœmeteriis incendantur. Concil. Eliberit. tit. 34. a cap. 38.

De consecrat. sanct. oblat.

TITULUS X.

UT in sacrificio panis tantum & calix offeratur. Concil. Carthag. III. tit. 24. a cap. 15.

Quod in altario non potest aliud offerri præter panem, vinum, & aquam. Concil. Bracar. III. tit. 55.

Ut in unum propositio Sacramenti consecretur. Concil. Arausic. tit. 17. a cap. 27.

TI-

De bon. sanct. oblat.

TITULUS XI.

UT sacrificium a jejunis fiat. Verba Honorati & Urbani Episcoporum. Concil. Carthag. III. tit. 48. a cap. 15.

Ut Missa a jejunis celebretur. Concil. eod. tit. 29.

Ut presbyter post cibum non teneat Missam pro mortuis. Concil. Bracar. II. tit. 10. a cap. 62.

Non oportet in domibus ab Episcopis vel presbyteris oblationes fieri. Concil. Laodic. tit. 58. a cap. 7.

De eo quod non liceat super monumenta, vel in campo Missas tenere, vel sacramenta distribuere. Concil. Bracar. III. tit. 68. a cap. 63.

Sanctas oblationes pro eulogiis in festivitate Paschali ad alias parochias non debere transmitti. Concil. Laodic. tit. 14. a cap. 7.

Ut mortuis baptismus vel Eucharistia non detur. Concil. Carthag. III. tit. 6. a cap. 15.

De renuendis oblationibus eorum qui non communicant. Concil. Eliberit. tit. 28. a cap. 38.

De iis qui in Ecclesiam intrant; & non communicant, ut excommunicentur. Concil. Tolet. I. tit. 13. a cap. 44.

Ut qui Eucharistiam in Ecclesia accipit, & ibi eam non sumit, anathematizetur. Concil. Cæsaraugust. tit. 3. a cap. 41.

De eo qui acceperit Eucharistiam, & non sumpserit, ut sacrilegus repellatur. Concil. Tolet. I. tit. 14. a cap. 44.

De eo quod non liceat convivia facere de confessis. Concil. Bracar. III. tit. 61. a cap. 63.

De fermento, quod civitatis tantum presbyteris die Dominico dirigatur. Epistola Innocentii ad Decentium tit. 5. 6.

De festivitatibus: ut si una agenda populo non suffecerit, non sit hæsitatio sacrificium iterare. Epistola Leonis ad Dioscorum titul. 4. a c. 74.

De languoris eventu ministrantium clericorum. Concil. Toletan. VII. tit. 2. a cap. 50.

De situ & accessu in choro.

TITULUS XII.

DE discretione presbyterorum atque diaconorum, ut in utroque choro consistant. Concil. Tolet. IV. tit. 39. a cap. 47.

De eo quod intra altare neque laici neque mulieres communicare jubentur. Concil. Bracar. I. tit. 13. a cap. 61.

De concord. off.

TITULUS XIII.

UT unaquæque provincia in officio unum ordinem teneat. Concil. Gerunden. tit. 1. a cap. 40.

De uno ordine in ministeriis & officiis in cunctis Ecclesiis celebrando. Concil. Toletan. IV. tit. 2. a cap. 47.

De

De uno ordine in Vespertinis, vel in Matutinis officiis in cunctis Ecclesiis celebrando. Concil. Bracar. I. tit. 1. a cap. 61.

TITULUS XIV.

PSalmos sparsim non licere confundi. Concil. Laodic. tit. 17. a c. 7.

Quod non fit aliter dicendum, nisi Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Epistola Vigilii ad Profuturum tit. 2. 98.

Quod in fine psalmorum Gloria & honor Deo sit dicendum. Concil. Tolet. IV. tit. 15. a cap. 47.

De discretione Gloriæ in fine Responsoriorum. Concil. eod. tit. 16.

Ut post antiphonas Orationes dicantur: verum & hymni Matutini & Vespertini cum capitellis Psalmorum cantentur. Concil. Agathen. tit. 30. a cap. 30.

De non renuendo pronunciare hymnos. Concil. Tolet. IV. titul. 13. a cap. 47.

De celebrando officio in sexta feria Paschæ. Concil. Tolet. IV. tit. 7. a cap. 47.

De benedicendo cereo & lucerna in pervigiliis Paschæ. Concil. eod. tit. 9.

De ord. & celebrit. Miss.

TITULUS XV.

DE orationibus quotidianis. Concil. Laodic. tit. 19. a cap. 7.

Ut preces vel orationes, nisi probatæ fuerint in Concilio, non dicantur. Concil. African. Milevitan. tit. 12. a cap. 20.

De omnibus diebus matutinis & vespertinis oratio Dominica dicatur. Concil. Gerunden. tit. 10. a cap. 40.

De Dominica oratione quotidie patenter pronuncianda. Concil. Tolet. IV. tit. 10. a cap. 47.

Quod non aliter presbyteri, sed sicut Episcopus, populum salutare debebunt, dicentes: Dominus sit vobiscum. Concil. Bracar. I. tit. 3. a cap. 61.

De non legendis diversis lectionibus per solennium dierum vigilias, vel Missas. Concil. Bracar. I. tit. 2. a cap. 61.

De hymno trium puerorum in cunctis Missarum solennitatibus decantando. Concil. Tolet. IV. tit. 14. a cap. 47.

Ut sanctum Evangelium etiam sabbathis legatur. Conc. Laodicen. tit. 16. a cap. 7.

Ut Evangelium post Apostolum legatur. Concil. Valletano tit. 1. a cap. 43.

Quod Laudes non mox post Apostolum, sed post Evangelium dicendæ. Concil. Tolet. IV. tit. 12. a cap. 47.

De non cantando in Quadragesima Alleluja. Concil. Tolet. IV. tit. 11.

Quod

Quod juxta auctoritatem Apostolicæ sedis, a Profuturo Metropolitano Episcopo susceptam, Missarum ordo debeat celebrari. Concil. Bracar. I. tit. 4. a cap. *61*.

De ordine orationum catechumenorum atque fidelium tempore Missæ, & de communione eorum. Concil. Laodic. tit. 19. a c. 7.

De precibus & orationibus Missarum: & quis erit in eis ordo servandus: & ut absque collatione fratrum *minime* proferantur. Concil. Carthag. *III*. tit. 23. a cap. 15.

De pacis osculo dando post confecta mysteria. Epistola Innocentii ad Decentium tit. 1. a cap. 6.

De nominibus offerentium ante precem Sacerdotis non recitandis. Epistola Innocentii ad eundem tit. 2. *6*.

De Paschæ annunciatione, ac de precum ordine, & Missarum solennitate. Epistola Vigilii ad Profuturum tit. 5. a cap. 98.

Quod post benedictionem populo datam sic communicare debeant sacerdotes. Concil. Tolet. IV. tit. 18. a cap. 47.

Quod propter statuta sedis Apostolicæ omnes orationes ECCE CHRISTI GRATIAM resonent, qua genus reparatur humanum. Epistola Cœlestini ad Episcopos Galliæ tit. 8. a cap. 39.

Quod pro Christo fungatur legatione, dum pro pace precatur Ecclesiæ. Epistola Anastasii ad Anastasium Imperatorem tit. 1. a cap. *86*.

TITULUS XVI.

De bon. Miss.

UT Vallemantiæ & turpia cantica prohibeantur a Sanctorum solennitatibus. Concil. Tolet. III. tit. 23. a cap. 46.

Ut quando sacerdos verbum facit, ab auditorio exiens excommunicetur. Concil. Carthag. IV. tit. 24. a cap. 16.

Ut ante Missam expletam, & benedictionem perceptam, ne quis fidelium, nec populus egrediatur, aut abire præsumat. Concil. Agathen. tit. 47. a cap. 30.

Ut populus ante completam Missam, & benedictionem acceptam, egredi non præsumat. Concil. *Aurelian*. tit. 28. a cap. 31.

Non debere die Dominico jejunari. Concil. Gangren. tit. 18. a cap. 4.

Ut diebus Dominicis nullus jejunet. Conc. Cæsaraugust. tit. 2. a cap. 41.

De diebus Dominicis & Pentecostes, ut in eis stantes *oremus*. Concil. Nicæno tit. 20. a cap. 1.

De non jejunando in die Dominico, neque genuflectendo, similiter & in Quadragesima. Concil. Bracar. III. tit. 57. a cap. *63*.

TITULUS XVII.

De litaniis.

UT Litaniæ *ante* Ascensionem Domini celebrentur. Concil. Au-

LIBER IV. TIT. XVIII.

Aurelian. titulus 29. a capite 31.

Ut litaniæ post Pentecosten a quinta feria usque in sabbatum celebrentur. Concil. Gerunden. tit. 2. a cap. 40.

De secundis litaniis faciendis Kalendarum Novembrium. Concil. eod. tit. 3.

De institutione novarum litaniarum. Conc. Tol. V. tit. 1. a c. 48.

De obser. jejun.

TITULUS XVIII.

NOn licere jejunia communia solvere. Concil. Gangren. tit. 19. a cap. 4.

De iis qui studiose die Dominico jejunant, ut non credantur Catholici. Concil. Carthag. IV. tit. 64. a cap. 16.

De temporibus jejuniorum, & ut omnibus mensibus jejunium fiat, exceptis Julio & Augusto. Concil. Eliberitano tit. 23. a c. 38.

Ut omni sabbatho jejunetur. Concil. eodem tit. 26.

Quod rite omni sabbatho jejunetur. Epistola Innocentii Papæ ad Decentium tit. 4. a cap. 6.

De obser. Quadrag.

TITULUS XIX.

NOn debere in Quadragesima natalitia Martyrum celebrari, nisi tantum sabbatho & Dominica memoriam eorum fieri. Concil. Laodic. tit. 51. a cap. 7.

Ut omnibus diebus Quadragesimæ sabbatho etiam jejunetur cum districtionis auctoritate. Concil. Agathen. tit. 12. a cap. 30.

Non licere quinta feria septimanæ ultimæ solvi jejunium. Concil. Laodic. tit. 50. a cap. 7.

De non solvendo jejunio in quinta feria. Concil. Bracar. III. tit. 50. a cap. 63.

De non solvendo jejunio in sexta feria Paschæ. Concil. Tolet. IV. tit. 8. a cap. 47.

Ut ante Pascha, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur. Concil. Aurelian. tit. 26. a cap. 31.

Ut diebus Quadragesimæ nemo ab Ecclesia se absentet. Concil. Cæsaraugust. tit. 2. a cap. 41.

De non celebrandis natalitiis Martyrum, neque natalitiis hominum, vel nuptiis Quadragesimæ diebus. Concil. Bracar. III. titul. 48. a cap. 63.

In Quadragesima sabbatho tantum & Dominica offerendum. Concil. Laodic. tit. 49. a cap. 7.

De cogn. & celebrit. Pascha.

TITULUS XX.

UT Comprovinciales Episcopi de Pascha suum Primatem inquirant. Concil. Carthag. III. tit. 1. a cap. 15.

Ut per singulos annos convenientes Episcopi ad Concilium de Paschali solennitate a Primate suo informentur. Conc. eod. tit. 41.

De

De tempore Paschæ, seu Concilii, per formatas provinciis nunciando. Concil. Carthag. V. tit. 7. a cap. 17.

De annunciatione Paschæ ante Epiphaniam inter Episcopos exquirenda. Concil. Tolet. IV. tit. 5. a cap. 47.

Ut per singulos annos a Metropolitano Episcopo Pascha pronuncietur. Concil. Bracar. II. tit. 9. a cap. 62.

De Pascha uno die & tempore celebrando. Concil. Carthag. IV. tit. 65. a cap. 16.

Ut uno die, & tempore Pascha celebretur. Concil. Arelat. I. tit. 1. a cap. 21.

Non debere Pascha diverso tempore *fieri*, neque cum Judæis celebrari. Concil. Antioch. tit. 1. a cap. 6.

De insinuatione & indictis temporibus Paschæ. Epistola Innocentii ad Aurelium ex integro 16.

De celebratione Pentecostes. Concil. Eliberit. tit. 43. a c.38.

De celebritate festivitatis Dominicæ Matris. Concil. Tolet. X. tit. 1. a cap. 53.

TITULUS XXI.

De catechum.

UT Evangelia catechumeni audiant. Conc. Arausic. t.18.a c.27.

De catechumenis qui Ecclesiam non frequentant. Concil. Eliberit. tit. 45. a cap. 38.

De catechumenis peccantibus, ut aut emendati audiant verbum, aut abjiciantur omnino. Concil. Neo-cæsar. tit. 5. a cap. 3.

Ut ad baptisterium catechumeni nunquam accedant. Concil. Arausic. tit. 19. a cap. 27.

Ut catechumeni cum fidelibus benedictionem non accipiant. Concil. eod. tit. 20.

De catechumenis sine baptismo defunctis, ut eorum commemoratio in oblatione non fiat. Concil. Bracar. I. tit. 17. a cap. 61.

TITULUS XXII.

De iis qui baptis. dare poss.

UT in necessitate fideles baptizent. Concil. Eliberit. tit. 38.

TITULUS XXIII.

Quod in nom. Trin. deb. bapt. dari.

QUod in nomine Trinitatis debeat baptizari. Epistola Vigilii ad Profuturum tit. 6. a cap. 98.

TITULUS XXIV.

Quid val. virt. baptismi.

QUod in baptismo *mors* proveniat interfectione peccati, & sepulturam Christi imitetur trina demersio; & ab aquis elevatio sit velut resurrectio de sepulchro. Epistola Leonis ad Episcopos per Siciliam tit. 3. 65.

Quod gratiam det etiam baptizandorum, testatur instituta purgatio; cum exorcismis & insufflationibus spiritus ab eis expellantur immundi. Epistola Cœlestini ad Episcopos Galliæ t.9.a c.34.

Liber IV.
Tit. XXV.
De merſ. bapt.

TITULUS XXV.

DE trina & ſimpla in baptiſmo merſione. Concil. Tolet. IV. tit. 6. a cap. 47.

De trina merſione. Epiſtola Vigilii ad Profuturum tit. 2.

De trina & ſimpla merſione. Epiſtola Gregorii ad Leandrum ex integro 99.

De temp. bapt.

TITULUS XXVI.

DE iis qui ad Fidem veniunt: quando baptizentur. Concil. Eliberit. tit. 42. a cap. 38.

Ut in Paſcha tantum & Natali Domini baptiſmus detur, exceptis iis qui in languore conſiſtunt. Conc. Gerunden. tit. 4. a c. 40.

Non debere poſt duas ſeptimanas Quadrageſimæ aliquem ad baptiſmum ſuſcipi. Concil. Laodicen. tit. 45. a cap. 7.

Non ſuſcipi debere infantes ad baptiſmum niſi ante tres ſeptimanas Paſchæ, & ut baptizandi Symbolum dicant, quod quinta feria Paſchæ ſacerdotibus reddant. Concil. Bracar. III. t. 49. a c. 63.

Ut præter Paſcha & Pentecoſten baptiſmus non celebretur; ad neceſſitatem tamen omni tempore. Epiſtola Syricii ad Eumerium tit. 2. a cap. 3.

Quod in die Epiphaniorum baptiſmus celebrari prohibeatur: Epiſtola Leonis ad Epiſcopos per Siciliam tit. 1. a cap. 65.

Quod omnia nobis rerum ordine per Incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſalutis ſacramenta digeſta ſunt. In quo ſup. tit. 2.

Quod in Paſcha & Pentecoſte ſit baptizandum. In quo ſup. t. 3.

Quod Beatus Petrus in die Pentecoſtes virorum tria millia baptizavit. In quo ſupra tit. 4.

Quod in Paſcha & Pentecoſte ſit baptizandum. In quo ſup. t. 5.

Quod omni tempore ii, qui neceſſitate mortis, aut ægritudinis, vel obſidionis, ſive perſecutionis, aut naufragii, urgentur, debeant baptizari. De reddita etiam Chriſti baptiſmi ratione. In quo ſupra tit. 6.

Ut non omni tempore baptiſmi regeneratio detur, niſi in Paſcha & Pentecoſte: ob neceſſitatem tamen omni tempore. Epiſtola Leonis ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum *ex integro* a cap. 67.

Ut præter Paſchale tempus & Pentecoſten nemo baptizari præſumat. Decretum Gelaſii generale tit. 12. a cap. 84.

De baptiz. ægr. & non baptiz. mort.

TITULUS XXVII.

DE iis qui in ægritudine baptizantur, ut ſani facti Symbolum doceantur. Concil. Laodic. tit. 46. a cap. 7.

De baptizandis ægrotis, qui jam loqui non poſſunt. Concil. Carthag. III. tit. 34. a cap. 15.

De

De catechumeno, si graviter ægrotaverit, quando baptizetur. Concil. Eliberit. tit. 11. a cap. 38.

Ut unius diei infans, si in discrimine est, baptizetur. Concil. Gerunden. tit. 5. a cap. 40.

Ut mortuis baptismus vel Eucharistia non detur. Concil. Carthag. III. tit. 6. a cap. 15.

TITULUS XXVIII.

De prægn. bap.

DE baptizandis propter quod unius cujusque confessio pro se teneatur. Concil. Bracar. III. tit. 54. a cap. 63.

De prægnantibus baptizandis: quod nihil communicet baptismi sacramentum cum filio generando. Concil. Neo-cæsareen. tit. 6. a cap. 3.

TITULUS XXIX.

De baptiz. gen.

DE meretricibus paganis baptizandis, si convertantur. Conc. Eliberit. tit. 44. a cap. 38.

TITULUS XXX.

De dub. bapt.

DE iis qui nullo testimonio se baptizatos noverunt, ut baptizentur. Concil. Carthag. V. tit. 6. a cap. 17.

De quibus dubium est utrum baptismum perceperint, necesse est renascantur. Epistola Leonis ad Rusticum tit. 16. a cap. 68.

De parvulis qui in captivitatem devenerunt, & baptismi gratiam non reminiscuntur, ut baptizentur. Epistola Leonis ad Leonem Ravennensem. tit. 1. a cap. 73.

TITULUS XXXI.

De reg. bapt.

UT qui baptizandi sunt, nomen dent, & a vino & a carnibus abstineant. Concil. Carthag. IV. tit. 85. a cap. 16.

Ut nuper baptizati caste & continenter vivant. Concil. Carthag. IV. tit. 86.

Baptizandos debere Fidei Symbolum doceri, & quinta feria Paschæ reddere. Concil. Laodic. tit. 46. a cap. 7.

TITULUS XXXII.

De ord. bapt.

DE ordine secundum quem baptizari oportet. Concil. Bracar. I. tit. 5. a cap. 61.

TITULUS XXXIII.

De bapt. & non confirm. atq. ita mort.

DE baptizatis, qui nondum confirmati moriuntur. Concil. Eliberit. tit. 77.

TITULUS XXXIV.

De fil. Cath. si bap. hær. dent.

DE Catholicis qui filios suos baptismati hæreticorum dederint, ut non recipiatur eorum oblatio. Conc. Ilerden. tit. 13. a c. 42.

TITULUS XXXV.

De non it. bap.

BAptismus in Trinitate susceptus non iteretur. Concil. Carthag. I. tit. 1. a cap. 13.

Ex hæresi conversi, si in Trinitate baptizati sunt, manus impositionem accipiant tantum. Concil. Arelat. I. tit. 8. a cap. 21.

De iis qui rebaptizati sunt, quantum pœniteant. Conc. Ilerd. tit. 9. a cap. 42.

De Episcopis, presbyteris, & diaconibus, qui in lapsu hæreticorum se baptismati dederunt, ut tantu*mmodo* laicam communionem habeant. Epistola Felicis ad Episcopos per Siciliam t.2.a c.81.

De clericis, ac monachis, & puellis Dei, vel sæcularibus, qui se rebaptizandos impie dederunt. In quo supra tit. 3.

De iis qui per ignorantiam ætatis rebaptizati sunt, & temporibus constitutis super eos qui in hanc impietatem labuntur. In quo supra tit. 4.

De Arianis Catholicis non rebaptizandis. Epistola Syricii ad Eumerium tit. 1. a cap. 3.

Ut non rebaptizentur qui a Novatianis, vel Montensibus veniunt. Epistola Innocentii ad Victorium tit. 8. a cap. 7.

Quod eos qui se baptizatos agnoscunt, sed in qua Fide nesciunt, per manus impositionem suscipi conveniat. Epistola Leonis ad Rusticum tit. 18. a cap. 68.

Ut ii qui ab hæreticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus invocatione firmentur. Epistola Leonis ad Nicetam Aquilejensem tit. 7. a cap. 70.

Ut ab hæreticis baptizatus per manus impositionem accipiat Spiritum sanctum. Epistola Leonis ad Leonem Ravennensem tit.2. a cap. 73.

De iis qui rebaptizati doluerunt, & postea pœnitere voluerunt. Epistola Felicis ad Episcopos per Siciliam tit. 3. a cap. 81.

De iis qui ab Arianis iterum baptizantur: & quod alia sit impositio manus, per quam Spiritus sanctus accipitur; alia per quam pœnitentiæ fructus acquiritur, & sancta communio restauratur. Epistola Vigilii ad Profuturum tit. 3. 98.

Quod ii qui ad iterationem baptismi vel vi vel timore coacti animos inclinaverunt, pœnitentiæ sint remedio sublevandi: & ut senilis ætatis periculorum quoque ægritudinem, cæterarumque necessitatum habeatur solicita consideratione respectus. Epistola Leonis ad Nicetam Aquilejensem tit. 6. 70.

*Reba*ptizandi sacrilegium opus bonum non esse credendum sive agendum. Concil. Toletan. *III.* ex capitulis contra Arianos tit. 15. a cap. 46.

De bapt. a sol. Episc. consign.

TITULUS XXXVI.

Quod non debeant baptizati nisi ab Episcopis consignari, nec presbyteris licere *frontem* ex chrismate ungere: quod solis debe-

debetur Episcopis, quum sanctum Spiritum tradunt. Epistola Innocentii ad Decentium tit. 3. 6.

De energumenis baptizatis, ut permittente Episcopo a presbyteris *consignentur*, & cæteri clerici eis manus imponant. In quo supra tit. 6.

De infirmis chrismate perungendis, & orandum pro eis, ex commemoratione Epistolæ Sancti Jacobi. Epistola Innocentii ad Decentium tit. 8. a cap. 6.

TITULUS XXXVII.

De bapt. chrisf. perung.

POst baptisinum chrismandum est. Concil. Laodic. tit.48. a c.7.

Ut hæretici qui in Trinitate baptizati sunt, cum chrismate, & manus impositione recipiantur. Conc. Arelaten. II. tit. 17. a c.22.

Ut nulla prædia vel illationes de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Decretum Gelasii generale tit. 7. a cap. 84.

TITULUS XXXVIII.

De fun. Christ.

QUod religiosorum corpora cum psalmis & canticis tantum deferenda sint ad sepulchra. Concil. Tolet. III. tit.22. a cap.46.

De corporibus hominum intra Basilicas Sanctorum nullatenus sepeliendis. Concil. Bracar. I. tit. 18. a cap. 61.

TITULUS XXXIX.

De non jud. de mortuis.

QUod non sit temere judicandum de iis, qui jam ad Dominum migrarunt. Epistola Anastasii ad Anastasium Augustum titul. 2. a cap. 86.

TITULUS XL.

De energum.

ENergumenis omni die ab exorcistis manus imponenda. Conc. Carthag. IV. tit. 90. a cap. 16.

Pavimenta domus Dei energumeni verrant. Conc. eod. tit. 91.

Energumenis victus in domo Dei per exorcistas administretur. Concil. eod. tit. 92.

De energumenis baptizatis, ut clericorum monitis obtemperent. Concil. Arausic. tit. 14. a cap. 27.

Energumenis & catechumenis de baptismo consulendum. Concil. Arausic. tit. 15. a cap. 27.

De energumenis, ut nec eorum nomen recitetur, nec ipsi ministrent. Concil. Eliberit. tit. 29. a cap. 38.

De energumenis, quando baptizentur, vel communicent. Concil. eod. tit. 37.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER QUINTUS

De diversitate nuptiarum, & scelere flagitiorum.

TITULI.

1. *De non exsecrandis nuptiis, & dispositionibus nuptiarum.*

2. De

LIBER V. TIT. I.

2. *De potestate nubendi, & impedientibus castitatem.*
3. *De raptoribus.*
4. *De interruptis conjugiis.*
5. *De publicatis & frequentatis conjugiis.*
6. *De virginibus sæcularibus mœchis, & ne cum alienis viris habitent.*
7. *De iis qui sæpe mœchantur.*
8. *De adulteriis, dissidio, & lenociniis conjugum.*
9. *De alterno inter parentes & filios affectu.*
10. *De parentibus qui filios suos necant.*
11. *De expositis infantibus.*
12. *De incestuosis conjugiis.*
13. *De stupratoribus puerorum.*
14. *De iis qui cum animalibus commisti sunt.*
15. *De observatione vanitatum.*
16. *De homicidiis non voluntariis.*
17. *De homicidiis voluntariis, & falsis testibus, adulteris, & furibus, vel si ad Ecclesiam confugiant.*
18. *De iis qui ad Ecclesiam confugerunt, & pro eis non pignorandis clericorum servis.*

TITULUS I.

De non exsecr. nupt. & dispos. nuptiar.

QUaliter sponsus & sponsa benedicantur, & de castimonia eorum tempore nuptiarum. Concil.Carthag.IV. tit. 13. a c.16.

De iis qui nuptias damnant. Conc.Gangren. tit. 1. a cap.4.

Si quis dixerit, vel crediderit, conjugia hominum, quæ secundum legem divinam licita habentur, exsecrabilia esse, anathema sit. Concil. Tolet. I, Ex Regulis Fidei Catholicæ contra Priscillianos tit. 16. a cap. 44.

Virginitati studentes non debere nuptias exsecrari. Concil. Gangren. tit. 9. a cap. 4.

De iis qui pro virginitate superbiunt. In quo supra tit. 10.

Non debere condemnantem nuptias a viro discedere. In quo supra tit. 14.

Non licere in Quadragesima nuptias fieri. Concil. Laodic. titul. 52. a cap. 7.

Non licere Christianos ad nuptias euntes ballare, vel stare. In quo supra tit. 54.

De eo qui sororem sponsæ suæ vitiaverit. Concil. Ancyrit. tit. 24. a cap. 2.

De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt. Concil. Eliberit. tit. 54. a cap. 38.

Quod non liceat alterius sponsam matrimonii alterius jura sortiri. Epistola Syricii ad Eumerium tit. 4. 3.

Si cujus uxor absens fuerit, & alteram maritus acceperit; revertente prima, secunda mulier excludi *debet*. Epistola Innocentii ad Probum ex integro 14.

Quod

Quod debeant fœminæ, quæ captis viris, aliis nupserint, de captivitate reversis, prioribus copulari. Epist. Leonis ad Nicetam tit. 1. a cap. 70.

Quod non probetur esse culpabilis qui uxorem captivi in matrimonio videtur esse sortitus. In quo supra tit. 2.

Si viri in captivitate ingressi, in dilectione suarum conjugum perseverant, recipient eas. In quo supra tit. 3.

Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint; velut impiæ Ecclesiastica communione privandæ sint. In quo supra tit. 4.

Quod aliud sit uxor, aliud concubina: nec errat quisquis filiam suam in matrimonio concubinam habenti dederit. Epistola Leonis ad Rusticum tit. 5. a cap. 68.

Quod non sit conjugii duplicatio quando ancilla rejicitur, & uxor assumitur. In quo supra tit. 6.

TITULUS II.

De potest. nub. & imp. castit.

que iis narrandis fuso sermonis genere utendum est. Quid autem moror verbis lectorem impigrum? Hispaniam vixdum nosci ab Romanis cœptam multo iidem suo, multoque Pœnorum, & indigenarum sanguine irrigarunt: nam Scipione, & Sempronio Longo Coss. commisso exercitu Gn. Scipioni Africani patruo, aliisque, atque aliis deinde submissis cum legionibus, per annos biscentum multo, mutuoque, ait Paterculus, ita certatum est sanguine, ut amissis P. R. imperatoribus, exercitibusque, sæpe contumelia, etiam nonnunquam periculum romano inferretur imperio. Ibi Scipiones consumti: ibi contumeliosum viginti annorum bellum gerere oportuit contra Viriathum ex latrone ducem exercitus factum: ibi terror Numantini belli populum romanum concussit: idi turpe Q. Pompeji fœdus, turpiusque Mancini, Senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit: ibi tot consulares, tot prætorii Duces absumti, adeoque Sertorii virtus exercita, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispanis, Romanisne in armis plus esset roboris, & uter populus alteri pariturus foret. His fere ad verbum ex Vellejo desumtis, præcipuam Hispaniæ gloriam hanc esse cum Livio affirmo, quod primam a Romanis initam provinciarum, quæ quidem continentis sint, postremam omnium Augustus Cæsar perdomuit. Neque vero esse cœpit Hispania Romanorum provincia ævo demum Augusti; nam multo antea inter reipublicæ provincias recensebatur, duas etiam in partes divisa citeriorem, & ulteriorem; quare & duobus committi cœperat Magistratibus, indeque factum ei nomen Hispaniarum. At quomodo Romanorum provinciam Scriptores appellent, quam sæpe quæsitam armis, sæpe amissam, ante Augustum vix possedisse unquam visi sunt? Alia scilicet conditio Hispaniarum fuit post victoriam Augusti: quumque ea, quæ deinceps evenerunt, plurimum meo instituto conducant, hinc spectare eadem accuratius incipiam.

Vell. Paterc. lib. 2.

T. Liv. dec. 3. lib. 8.

II. Ordinario Augusti post devictas Hispanias.

Anno ipso devictæ Hispaniæ, qui est Urbis conditæ 714. indicta ab Imperatore sunt stipendia eidem universæ, quæ pendere jussa est a calendis Januariis sequentis anni, cujus rei perpetuum monumentum Æra Hispanica duodequadraginta annis superans Dionysianam instituta est. Hac Hispani omnes uti in Actis publicis, suisque in historiis diu perseverarunt; namque, ut notat Gerardus Vossius, Aragones usque ad annum Dionysianæ 1358. Castellani usque ad 1383. ac Lusitani usque ad 1415. illam minime deposuerunt. Maximum sane præsidium ea est res Hispanicas perlustranti; Dionysianam enim, qua utimur, sero a Dionysio excogitatam, mirabili illo cyclo invento annorum 532. in primi horum revolutione per consules, aut per annos Diocletiani supplere opor-

Gerard. Voss. dict. etym.

oportet, quod utique operosum scriptori, ac legenti molestum foret. Idque intelligo, quum certam rerum ætatem quis velit inquirere, nam doctissimos etiam viros Dionysiana decepit, quoad recentiores Eruditi omnibus sedulo exploratis, annum Christi emortualem deprehenderunt duobus Geminis Coss. qui est primi Cycli Dionysiani 28. tametsi tricesimum tertium Jesus Christus expleverat; ac proinde quinquennio breviorem esse Dionysianam æram demonstrarunt, quam ferat salutiferæ Incarnationis annus, unde vulgo creditur auspicari: quapropter non 38. annis solidis æra Hispanica Christi incarnationem prævenit, sed 33. tametsi 38. passim addantur, ut parientur anni cum Dionysiana, cujus error invaluit. Morem hunc & ipse sequar, ne rationem aliam temporum ineundo, veritati crederer fucum facere. Quamobrem aut æra utar Hispanica, aut Dionysiana, sive ut vulgo loquimur annis Christi, addendo, detrahendove annos 38. certa rerum ætas habebitur. Ad Augustum autem rediens, qui Octavianus adhuc Cæsar audiebat, is confecto jam bello Alexandrino, & salutatus Imperator (ita tamen ut legem ferret de retinendo per decennium imperio, quippe erat res plena periculi quidquid, tyrannidem aut regnum oleret) ut perpetuam sibi vindicaret dominationem, anno æræ decimo, qua erat sagacitate, novam imperii administrandi rationem excogitavit. Novos Magistratus, novas dignitates, novam provinciarum romani orbis dispositionem instituit. Nullum dici Consulem, aut Prætorem extra urbem voluit, sed Proconsules, & Proprætores eos, quibus provinciæ demandabantur, nuncupavit. Quam porro dispositionem Cassiodorus brevi, ut solet, stylo notat in fastis: *Leges, ajens, protulit, Judices ordinavit, provincias disposuit.*

III. Provincias divid t inter se, & Senatum P. Q. R.

Verum hac in provinciarum dispositione arcanam ille artem adhibuit, qua summam rerum in se clanculum transmovere meditabatur. Enimvero ut ipse laboribus semper, semperque periculis videretur obnoxius, dum Senatus tuto imperii bonis perfruebatur, divisis inter se, & S. P. Q. R. provinciis, quæcumque erant potentiores, ac plus periculi minabantur, sibi eas retinuit; pacatiores vero & infirmiores Senatui tribuit. Quo specioso beneficio eidem certe illusit, nam inermi eo relicto, in se ipse milites, & arma sensim transtulit. Huc deinde accessit, quod provinciæ ipsæ malebant Cæsari, quam Senatui subdi, quare ex iis quæ sibi obtigerant, non paucas hic amisit. Id evenisse testatur Tacitus de Achaja, & Macedonia: *Achajam, inquit, & Macedoniam onera deprecantes, levari impræsens Proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit.* Etenim, ut Lipsius ad hunc locum observat, erat pro- *Ann. I. cap. 76.*

DISSERT. I. CAP. I.

provinciarum Cæsaris conditio melior, pensiorque: & planius docet Alciatus, quod Proconsularium vectigalia omnia & tributa ad ærarium pertinebant, neque illa diminuendi jus erat Proconsuli; contra in provinciis Cæsaris ad ipsum, ejusque fiscum spectabant, eratque jus Præsidibus remittendi. Cæterum quæ provinciæ Cæsari, quæ S. P. Q. R. in ea divisione obvenerint, puto audiendum ex Dione: *Senatui, populoque*, ait, *Africa, Numidia, Asia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Africa Cyrenaica, Bithynia cum Ponto finitima, Sardinia, atque Hispania Bætica adscriptæ sunt. Cæsari autem Hispaniæ quod reliquum erat, ut Tarraconensis, Lusitaniaque, tum omnis Gallia & Narbonensis, & Lugdunensis, Aquitaniaque, & Celtica .... item Cælesiria, Phœnice, Cilicia, Cyprus, Aegyptus*. Infra autem rationem reddit, cur singillatim eas provincias numerando recensuerit: *Recensui autem*, inquit, *provincias hoc modo, quoniam nunc earum quævis suum habet peculiarem Præfectum, quum antiquitus binis vel ternis singuli præfuerint*. Cujus rei exemplum, ne longe abeamus, ex Hispaniis nostris suppetit, nam citerior Hispania, quæ reipublicæ temporibus uni parebat Prætori, post Cæsaris ordinationem, aut saltem Dionis ævo, duobus Magistratibus a Cæsare missis obtemperabat. Dixi citeriorem autoritate Plinii Lusitaniam huic tribuentis: *Prima*, ait, *Hispaniarum terrarum ulterior appellata: eadem Bætica. Mox citerior: eadem Tarraconensis, quæ in duas per longitudinem dividitur; siquidem Bæticæ latere septemtrionali prætenditur Lusitania*. A Livio quidem doceor, Lusitaniam in ulteriori sitam fuisse: nam refert, Coss. Sp. Posthumio Albino, & Q. Martio Philippo, nunciatum ex utraque Hispania literis Proprætorum C. Atinii & L. Manlii, *Celtiberos Lusitanosque in armis esse*, illos nempe in citeriori, quæ L. Manlio, hos in ulteriori, quæ Atinio sortito obvenerat. Quumque Atinius collatis signis cum Lusitanis in Agro Astensi, postmodo decessisset ex vulnere in Astæ urbis oppugnatione, Calpurnius, qui datus illi erat successor, maturavit iter in ulteriorem Hispaniam, Livio eodem teste. Uterque autem Scriptor antiquus conciliabitur, si Lusitania ab oris Tagi fluminis bissecta consideretur, cujus pars septemtrionalis ad citeriorem, meridiana ad ulteriorem pertineret, quum reip. tempore Hispania omnis bipertito dividebatur: quam rem Plinius ipse aperte docet, dum Lusitaniam ait prætendi Bæticæ a parte septemtrionali, non occidua. Cæterum minutas hujusmodi observationes, tamquam rei nostræ minus utiles, Geographis præstat relinquere. Ad Augustum redeo.

Alciat. de Mag. Rom.

Dio lib. 53.

C. Plin. lib. 3. c. 1.

Dec. 4. lib. 9.

Jam

IV. Magistratus in easdem missi.

Jam tenemus ex Dione, mutatam ab Augusto divisionem veterem Hispaniarum citerioris, & ulterioris; tresque in provincias conversam; Bæticam, quam S. P. Q. R. tribuit; & Tarraconensem, ac Lusitaniam, quas sibi retinuit. Verum non excidisse antiqua nomina ante novam ordinationem provinciarum, quæ vulgo adscribitur Constantino, habemus testes tum scriptores veteres, qui floruerunt Imperatorum ævo, tum extantes plures Inscriptiones, de quibus infra. E Scriptoribus, instar omnium sit nobis Tacitus, qui refert, quod *Vibius Serenus Proconsul ulterioris Hispaniæ de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum, in insulam Amorgum deportatur*: Et infra, quod *Hispania ulterior missis ad senatum Legatis oravit, ut exemplo Asiæ delubrum Tiberio, matrique ejus extrueret*. Ex Inscriptionibus autem decerpo unius Epigraphem, quam Baronius & Pagius ex Panvino afferunt anno Chr. 282. & 283. *Annal. lib. 4.*

M. AVRELIVS. VALENT. V. C. LEG. AVGG. PROPR
HISPANIE. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM.

Secus est de Magistratibus in Hispanias mitti solitis reipublicæ tempore: quippe novis ab Augusto institutis, illi desueverunt. Quin etiam magnum discrimen erat inter novos hos magistratus: qui enim a Cæsare in suas provincias mittebantur, Legati, aut Proprætores appellabantur; quos autem Senatus & populus mittebat, Proconsules dicebantur. Horum annua erat dignitas; illorum vero, pro Cæsaris voluntate brevior, aut diuturnior. Quæ utriusque officia, seu qui collegæ darentur videsis apud Dionem; mea enim non refert de illis agere, quum præsertim discrepantia apud veteres occurrens me admoneat, ne quæstionibus insistam, quæ ab instituto me avertant. Id tantum pro certo haberi debet, quod S. P. Q. R. Magistratus annui, vocabantur Proconsules; & Cæsarei, quibus minime erat præscriptum tempus, Legati, aut Proprætores dicebantur; quandoque etiam utrumque nomen adhibentes, ut nuper laudata Epigraphe fidem facit. Lubet rem certam Suetonii testimonio certiorem reddere: *Provincias*, inquit, *validiores, & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit: cæteras Proconsulibus sortito permisit, & tamen nonnullas commutavit interdum, atque ex utroque genere plerasque sæpius adiit*. Porro & ante hanc novam ordinationem erant Proconsules, & Proprætores, sed naturæ admodum diversæ. Antea siquidem Prætores, & Consules, quibus annuum prorogabatur imperium, sive aliqua demandabatur provincia extra *Dio lib. 53.* *Suet. Tranq. in Aug. c. 47.*

tra

tra sortes, quia Consul, aut Prætor concidissent, aut quavis alia de causa provinciam deseruissent, Proconsules, & Proprætores audiebant. Secus post Cæsaream ordinationem: quicumque inibant provincias aut Cæsaris, aut populi, proprio appellabantur nomine Proprætores, aut Proconsules.

V. Iidem diversi a Magistratibus reipublicæ.

Quæ quum ita sint, nemo, ut reor, novam Guidi Panciroli doctrinam mirabitur satis, contendentis nimirum, quod reipublicæ tempore, quum Hispania in duas secta provincias ab annuis magistratibus regebatur, Proconsulibus Hispania ulterior committeretur: *Citerior*, ait, *Prætorem habuit*, *ulterior autem a Proconsule regebatur*; quod Livio autore se affirmare profitetur, parum curans, quid sit de Livii loco, quem vidit: *Lucius Manlius Proconsul ex Hispania redierat*. Equidem sortitiones omnes provinciarum, rem satis notam congerere vanum puto; at Panciroli supinitatem, qui Livii certissimum mendum non deprehendit, in apertum producam oportet. Coss. C. Livio Salinatore, & M. Valerio Messalla, Prætores sortiti provincias L. Manlius Acidinus Citeriorem, C. Atinius ulteriorem Hispaniam. Anno sequenti prorogatur iisdem imperium, in provinciis remanent Proprætores. Anno autem post, Coss. S. Posthumio Albino, & Q. Marcio Philippo, sortiuntur Prætores L. Quintius Crispinus Hispaniam citeriorem, C. Calpurnius Piso ulteriorem. Iter susceperant in provincias Prætores, quum allatis ex ulteriori Hispania literis in Senatum, auditur, C. Atinium Proprætorem rem prospere gessisse cum hostibus, at paucos intra dies ex vulnere concidisse. Senatus quantocyus mittit, qui C. Calpurnium consequatur ad portum Lunæ, iter maturandum esse admoneat, quia ulterior Hispania sine Prætore est. Interea Proprætor L. Manlius in Citeriori arma feliciter confert cum Celtiberis, jamque prope erat, ut castris hostium potiretur, quum Prætor L. Quintius eo perveniens deducit exercitum in hyberna. Quamobrem L. Manlius profectus Romam, triumphum petit, obtinet ovationem. Hac occasione cur Livius appellet Proconsulem L. Manlium Acidinum ab ipso, aut a librariis ratio petenda est; nam idem non processit Consul nisi septem post annis cum collega Q. Fulvio Flacco. At gesserit Acidinus Proconsulem: quid? Hispania illi citerior, non ulterior obvenerat: Pancirolus autem docet, ulteriorem a Proconsule administrari. Teneatur igitur viri docti supinitas, quam teneri etiam melius volo. Duodecim post L. Manlii Consulatum annis, *Q. Aelio, & M. Junio Coss. de provinciis referentibus, censuere Patres, duas provincias Hispaniam rursus fieri, quæ una per bellum Macedonicum fuerat.... Prætorum sortes fuere....*

Pancir. Not. Imp. Occid.

Dec. 4. l. 9.

T. Liv. dec. 5. lib. 5.

re . . . . Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervæ ulterior. Pergit Livius sequentis anni Magistratus recensere: *His Prætoribus duæ urbanæ provinciæ sunt decretæ, duæ Hispaniæ, Sicilia, & Sardinia*. Non igitur Hispania ulterior a Proconsule, sed utraque provincia a Prætore ante Augusti ordinationem regebatur; & siquando Consules, Consularesque exercitus eo appulerunt, bellorum necessitas id suasit, non nova administrandi ratio, cujus autor, ut abunde est demonstratum, fuit Cæsar Octavianus.

DISSERT. I. CAP. I.

VI. Magistratus Cæsaris Tarraconen. & Lusitaniam; Senatus & populi Bœticam administrant.

Ex allatis illustrari Plinii locum intelligo; atque ea propter quum mentio ulterioris, citeriorisque Hispaniæ post Augusti ordinationem occurrit, Bætica solum, aliquanto amplior, quam post quinquepartitam Constantini divisionem, accipi debet pro ulteriori, pro citeriori autem Tarraconensis & Lusitania. Secus esse non potuit, si Augusti ingenium memoria repetas. *Tota certaminum moles*, ait Florus, *cum Lusitanis fuit, & Numantinis, nec immerito quippe solis gentium Hispaniæ Duces contigerunt. Fuisset & cum omnibus Celtiberis*, quos paulo ante definiens, dixerat; *idest robur Hispaniæ*. Propterea in iis morabantur Prætorii exercitus, & quidquid virium respublica in Hispaniis collocaverat. Quamobrem Octavianus, ut prætextu laborum ac periculi Senatui populoque inertiam, sibi imperium compararet, has sibi provincias asseruit, Bætica relicta populo. Hanc tranquillo magis otio celebrem, quam belli artibus apud antiquos invenies. Eruntque exemplo Turdetani gens præcipua illius provinciæ: *Hi*, ait Strabo, *inter Hispaniæ populos sapientia putantur excellere, & literarum studiis utuntur, & memorandæ vetustatis volumina habent, poemata, leges quoque versibus conscriptas e sex annorum millibus, ut ajunt*. (Fortasse hanc traditionem est amplexus Alphonsus Sapiens, qui serius quam Chronologi omnes, Christi natalem constituit anno mundi 6984.) Hinc est, quod: *Omnium Hispanorum maxime imbelles* habebantur, ut tradit Livius; nam literarum ingenium a militiæ artibus prorsus abhorret. Quamobrem Cato Censorius, qui tam difficili marte reliquas Hispaniæ gentes devicerat, Tudertanos jam victos a Prætore Manlio, remque facturos iterum cum auxiliis Vaccæorum, contemtui habens, in auxilia dumtaxat, gentem sane audacem, & assuetam armis, curam omnem intendit. *Extemplo*, ait Livius laudato loco, *levia prælia incursantes in stationes eorum facere, semperque victores ex quamvis temere cœpto certamine abire*. Nec tempore tam diuturno Romani belli quicquam præclare ab iis gestum memoratur: quare etiam Cæsar, Augusto fortasse audiente, qui tirocinium tunc agebat sub Julio eodem Cæsare, reprehendens illorum igna-

L. Flor. l. 2. cap. 17.

Strabo lib. 3.

Dec. 4. l. 4.

DISSERT. I. CAP. I.

Hirt. Panſ. de bell. Hiſp.

ignaviam: *Neque*, inquit, *in otio concordiam, neque in bello virtutem ullo tempore retinere potuiſtis*. Nil igitur mirum, ſi Bœticam una cum pacatis atque tranquillis aliis provinciis, quas cum Dione enumeravi, Octavianus reliquit Senatui, populoque, Hiſpaniæ reliquum ipſe armis ſervaturus imperio.

VII. Quæ in Cæſaris poteſtate erant provinciæ, armis tenere eas oportuit.

Quam opportune Octavianus validiſſimas eas provincias Tarraconenſem, & Luſitaniam ſibi retinendas armis elegerit, paulo poſt fuit evidens. Anno ſiquidem ipſo æræ decimo, quum factam diximus novam provinciarum diſpoſitionem, qui erat undecimus, poſtquam Proconſul Domitius Calvinus totam Hiſpaniam Romano imperio, ſub Octaviani auſpiciis, ſubegerat, Cantabri & Aſtures gens impigra, necdum a Romanis domita, cecinere claſſicum, bellumque inſtaurarunt, dum Auguſtus alibi armorum molem ab imperii provinciis avertebat. Quantum terroris attulerit inſtauratum ab ea gente bellum, quæ biſcentum annos Romanam virtutem exercuerat, vel inde patet, quod ipſe Imperator expeditionem Hiſpanicam ſuſcepit, nec debellare hoſtes valens, in maximas primum curas, deinde in morbum prolapſus, Tarraconem ſecedere opus habuit infecto prælio, cui C. Antiſtium præfecit. Hujus quidem virtus, ſeu potius hoſtium temere congredientium inſania, Cantabricum bellum confecit ſequenti anno; haud tamen debellati ante biennium ferociſſimi ii populi. Ita igitur bello Cantabrico abſoluto, rebuſque Hiſpaniarum ad maximam tranquillitatem perductis, æræ annum 13. conſpicuum reddidit ineundo Conſulatum nonum Tarracone, militibuſque emeritis facultatem faciendo, ut ponerent ſibi urbem in Luſitania. Hanc iidem Auguſteo (quo præclaro nomine ante biennium appellatus fuerat Imperator) ſuoque ipſorum nomine, Auguſtam Emeritam nuncuparunt; urbem profecto fundatione ipſa memorabilem; etenim quo tempore in Hiſpaniis condebatur, Romæ ponebat Pantheon M. Agrippa. Cæterum, quod maxime glorioſum fuit Hiſpaniis, eodem anno Auguſtus Jani templum iterum clauſit, non ſecus atque Hiſpaniarum tranquillitas totius romani imperii pacem peperiſſet. Hinc pauca, eaque ad rem noſtram minus facientia ſuppetunt de bellicoſiſſima ea gente, quæ ſub Auguſti ſucceſſoribus ſuaviſſimas Evangelii leges amplexa, novi generis certaminibus illuſtrior effecta eſt. Pergam igitur civilem diſpoſitionem ſpectare; quatenus cum Eccleſiaſticis rebus deinceps enarrandis conjuncta, paratiorem legenti, tutioremque ſternit viam, qua Pſeudo-Chronicorum ineptas fabulas declinans, rectum veritatis tramitem ſequi poſſit.

VIII. Eadem diſpo-

Flagitari omnium primum ſentio, num Imperatores qui Auguſtum

gustum sunt sequuti, postquam libere potientes rerum, nilque amplius a S. P. Q. R. metuentes, summa utebantur potestate, novum quidpiam in provinciarum dispositionem, earumque magistratus invexerint. Id vero ab eorum nonnullis esse factum negare non ausim; plerosque enim in tyrannidem degenerasse, sanctasque omnes leges libidini, audaciæque posthabuisse quem lateat? Nonnullos e contrario rebus præclare gerendis, salutaribusque institutis stabiliendo imperio, parare sibi æternam nominis gloriam conatos esse, quis neget? Nemo utique ausit inficiari, quod officia non pauca Palatina, Civilia, & Castrensia falso tribuuntur Constantino. Duplicavit is quidem Præfectos Prætorii, provinciasque ubique auctas novis Magistratibus demandavit; erant tamen & ante illum officia pleraque, auditumque ante illum erat de novo eo genere administrandi rempublicam, cujus passim autor prædicatur; neque is omnia recens excogitavit, sed disposuit: quare ordinatorem alii, alii etiam inversorem appellant: idque ex utroque Codice Theodosiano, & Justinianæo palam fit. Nihilo tamen minus ad Hispaniensem dispositionem quod attinet, inter Augustum & Constantinum, ordinatorem alium Principem demonstrare operosum valde est. Etenim tam utiliter trinæ illi dimensioni aptabantur quatuordecim conventus juridici, aliaque omnia, quæ tum ærarium, tum civile omne regimen spectabant, præsertim paucitas Magistratuum, quos, dum Romæ agebant Imperatores, numero potius imminutos, quam auctos esse constat; ut nulla melior dispositio iisdem venisse in mentem videatur. Rem docebunt plenius monumenta veterum, quorum duo afferre contentus ero ex sacra æde S. Theclæ in urbe Tarraconensi:

DISSERT. I. CAP. I. sitio provinciarum ante Constantinum non antiquata.

I. FORTISSIMO. ET. CLEMEN
TISSIMO
IMP. CAES. M. AVR. CARO
INVICTO. AVG. P. M. TR. P. COS. II
PP. PROCONSVLI
M. AVRELIVS. VALENTINIANVS
V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVG. PR
PR. D. N. M.
EIVS

Gruter. pag. 277.



Dissert. I.
Cap. I.

Gruter. pag. 283.

II. PIISSIMO. FORTISSIMO
FELICISSIMO. DN
CONSTANTINO. MAXI
MO. VICTORI. SEMPER
AVGVSTO
BADIVS. MACRINVS
V. P. P. P. H. TARRAC
NVMINI. MAIESTA
TIQVE. EIVS. SEMPER
DEVOTISSIMVS

IX. Quod explorata omni reipub. mutatione cognoscitur.

Suet. Tranq. cap. 8.

Equidem ignoro, an possit illustrius quicquam desiderari. Enimvero qui omnium facile princeps habetur in Romani Imperii enucleanda politia, Onuphrius Panvinus, observat (quod & alii passim faciunt) Augustum, Hadrianum, & Constantinum, sensibiles in imperium mutationes invexisse: ac praeterea Vespasianum quoque, & Trajanum nonnihil immutasse; nam suas uterque provincias adjecit: ille Achajam, Liciam, Rhodum, Bizantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, & Comagenem: Trajanus autem Daciam, Armenias duas, Mesopotamiam, Assyriam, & Arabiam, quas postea Hadrianus imperio ademit, ne cives & legiones inter barbaros velut relegare compelleretur. Quum autem suas isti mutationes fecerint in Oriente, ad priores illos tres imperii ordinatores redire oportet, pro Hispaniae rebus; quumque unus Hadrianus inter Augustum & Constantinum sit medius, huic novam ordinationem, siqua esset, tribui oporteret. Ex nummis & historia eruunt VV. CC. Occo, & Mediobarbus, Hadrianum invisisse Gallias, Germaniam, Britanniam, ubi murum 80. m. passuum duxit, anno Chr. 122. sequenti hiemasse Tarracone, ubi templum Augusti restituit; ac post biennium ex Graecia per Siciliam in Africam transiisse, ubi multis eas provincias beneficiis prosequutus fuit. Hac tamen occasione visendi Occidentis provincias, novam earum formam ullibi aut excogitasse, aut induxisse nemo affirmat, praeter Panvinum, & eos qui in hujus sententiam eunt pedibus, quippe Appiani Alexandrini, & Sexti Rufi autoritate inhaerere illum vident. Verum Appianus Hadriani aequalis Imperii provincias enumerando, nihil aliud suppeditavit interpreti, quam conjecturam: & Sex. Rufus Constantino posterior sui temporis ordinationem describit, non veterem. At ne contendam verbis in re non levis momenti, expendamus nuper allata monumenta, primum certae aetatis, nam M. Aurel. Carus processit Consul secundum anno Chr. 283. alterum vero incertae, tametsi titulus *Maximi* quem Constantinus est adeptus post Maxentii

tii cædem anno Chr. 312. hoc tempore posteriorem eidem epochem præscribit. M. Aurelius Valentinianus V. C. se appellat *Præsidem provinciæ Hispaniæ citerioris, Legatum Augusti, Proprætorem*: & Badius Macrinus vir Perfectissimus se vocat *Præsidem provinciæ Hispaniæ Tarraconensis*. Quæro nunc; quisnam audivit unquam Legatos Cæsarum, & Proprætores mitti in provincias, postquam Consulares, Præsidialesque sunt factæ? Quisnam citerioris, ulteriorisque nomine quinquepartitam Hispaniam vocari usquam invenit? Quisnam provincias singulas novit appellari nova illa & inaudita ratione, provinciam Hispaniæ Lusitaniæ, provinciam Hispaniæ Gallæciæ &c? Quisnam denique unquam comperit, Rectori uni commissas esse tres, aut quatuor provincias; totidem enim continet Hispania Tarraconensis, aut Citerior, Carthaginensem, Tarraconensem, Gallæciam, & si Plinio credimus, Lusitaniam? Certe nemo. Itaque Onuphrium semel dormitasse in Hispaniæ saltem provinciis, compertum est.

X. Magistratuum Augustalium varietas.

Quod de provinciis feci, dum Augusto asserui suam ordinationem, num præstare de Magistratibus in easdem missis valeam, nunc decet periclitari. Turpe otium esset disquirere, quamdiu S. P. Q. R. jus suum in provinciis conservarint, dum certum aliunde est, Augustum ipsum provincias Senatui populoque relictas adiisse; earum plures ultro in Cæsaream potestatem devenisse; Senatumque post mortem Calligulæ jus consulare instauraturum, a militibus Imperatoriam potestatem cupientibus, esse deterritum; ac demum, ut paucis multa complectar, omnia in jus Imperatorum cessisse. Perinde inutile futurum arbitror explorare an recte Mariana doceat, Drusillanum Rotundum, libertum Imperatoris Claudii, Citerioris Hispaniæ Dispensatorem esse dictum; nam Serg. Galbam postea Imperatorem, administrasse octo annos Hispaniam Tarraconensem sub Nerone video, & ne dubitem, quin omnia ordinationem Augusteam referant, a Suetonio, qui de Galbæ magistratu silet, edoceor, Julium Vindicem eodem tempore administrare Gallias Proprætore, qui erat Magistratus provinciarum Cæsaris. Varia potius nomina Magistratuum enucleanda, quæ occurrunt apud veteres; vereor enim, ne idem Mariana, qui primatum inter Hispanicos est adeptus historicos, oppido sit deceptus, ubi Marco Aurel. Antonino, cognomento Philosopho adscribit primum (ex traditione) Comitivæ inventum in reliquis romani orbis provinciis, deinde eumdem morem invectum, observatumque ait in Hispania, ut Gubernatores provinciarum Comites dicerentur. *Exacto tamen*, prosequitur, *Magistratus tempore dum successorum adventus expectabatur, Legati Cæsarei, utroque tempore Præsides ut dicerentur*

De reb. Hisp. lib. 4. cap. 2.

Suet. in Neron. c. 40.

De reb. Hisp. l. 4. c. 6. & 11.

DISSERT. I. CAP. I.

tur in more positum observamus. Doctrinam, ut verum fatear, novam, neque ab ullo antiquorum literis consignatam. Ecquis enim credat, Antoninum esse parentem Officii ejus publici quinquaginta post Hadrianum annis, ajente Sexto Rufo. *Officia sane publica, & Palatina, necnon militiæ in eam formam Hadrianus statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverant?* Rectius, tametsi non felicius, eruit doctissimus interpres notitiæ imperii ex Codice legum, Proconsules, & Proprætores continuasse usque ad M. Aurelium Antoninum Pii successorem (est ipsissimus quem Mariana Comitum autorem facit) Chr. anno 161. inde vero Præsides cœpisse. Quin etiam toto M. Septimii Severi imperio, quod cœpit anno 193. unicum Præsidem Mæcium Probum administrasse Hispaniam observat. Unde conjicimus, Bæticam quoque in jus Cæsareum concessisse; quod confirmat Dacianus a Diocletiano Præses Hispaniarum declaratus, ut constat ex epigraphe apud Marianam:

Panciról. not. imp. Occid.

De reb. Hisp. l. 4. cap. 12. Gruter. pag. 199.

CVRANTE. P. DATIANO
V. P. PRÆSIDE. H. H. N
M. Q. E O R V M. DE
VOTISSIMO

Quamobrem operæ pretium fecero, si cominus hanc de Hispaniarum Rectoribus male habitam doctrinam aggrediar.

XI. Præsidis nomen generale omnium Magistratuum.

Quamquam Panciroli de provinciarum Magistratibus opinioni confutandæ insistens, abuti tempore dici possim, quum supra attulerim documenta exeuntis tertii seculi, atque ineuntis quarti, ex quibus liquet, Legatos Augustales simul Præsidum, & Proprætorum nomina usurpare; tamen quia, tum Edicta Imperatorum adversus Christianos ad Præsides provinciarum mittebantur, tum Acta Martyrum plerumque Præsidum nomen præseferunt, tum denique ex Evangelica historia Præsides, & Procuratores suppetunt, luculentius aliquid afferatur necesse est. Docent passim Scriptores de Romanis Magistratibus, Rectores omnes Provinciarum generali nomine Præsides nuncupari: *Præsidis nomen* (habebitur fides major eorum alicui rem testanti) *generale est, eo quod & Proconsules, & Legati Cæsaris, & omnes provincias Regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur*. Hinc est quod eruditissimus Jacobus Gutherus, qui de Officiis Domus Augustæ tam sapienter scripsit, legum autoritate omnia comprobans, animadvertit, quod: *Proconsulis appellatio specialis est, sed proprie Præsidis nomine continentur provinciarum Rectores, Consulares, & Cor-*

Luc. Fenest. de Mag. Roman. cap. 26.

De off. Do. Aug. l. 1. c. 5.

& Correctores. Quæ quum ita sint, quam inerudite Pancirolus, & Mariana de Magistratibus in Hispanias missis pronunciaverint, judicandum aliis relinquo. Istiusmodi captum errore Montacutium sugillat Card. Norisius, eumque instruit, quod *omnes Præsides Syriæ erant Legati Augustales, hoc est Augusti*. Deinde eum disserte docet, duo Procuratorum genera fuisse sub Augusti imperio, quorum alii provincias minores regebant cum jure gladii; alii *mortuo in Magistratu provinciæ præside, jus gladii obtinebant, ac in demortui locum succedebant, quousque missus a Cæsare novus præses in provinciam adveniret*. Si plura cupis, legesis laudatum paragraphum doctissimi Cardinalis, qui hac de re præ aliis uberrime disputavit. Id interea contra Pancirolum notari velim, quod iidem Magistratus ab Augusto instituti, quamvis non parum a Successoribus, præcipue ab Hadriano, mutationis acceperint, publica omnia, & Palatina officia tertio etiam seculo inclinante vigebant: cujus rei testimonium aliud nolo, præter monumenta vetera, quorum duo ex multis apud Gruterum, superius attuli. Inde enim satis superque constat, Legatos Augustales tum Præsides, tum Proprætores nuncupari. Cæterum compertum atque exploratum id mihi esse videtur, quod seu ab iisdem Magistratibus, quos S. P. Q. R. mittebant, regerentur provinciæ, quæ sensim ad jus potestatemque Cæsarum transierunt, ut de Africa liquet, ubi Proconsules jus dicebant; seu Legati Augustales, ac Proprætores substituti illis essent, Hispaniarum tres provinciæ Tarraconensis, Lusitania, Bætica, dispositionem Augusteam, usque ad Constantini tempora conservarunt. Exemplis tam ex Africa, quam ex Hispania ipsa petitis, magis magisque id confirmabitur.

Cenotaf. Pis. diss. 2. c. 16. §. 8.

XII. Dispositionem Augusteam usque ad Constantinum viguisse ostenditur exemplis.

Proconsularem esse Africam novimus ex Dione, utpote relictam populo. Ibidem vero tercentum fere post annos, Chr. videlicet 258. Proconsules jus dicere, secumque habere juxta dispositionem Augusti Procuratores pro rebus fisci Acta Martyris S. Cypriani clam esse non sinunt. Cœpit S. Episcopus martyrium prædicto anno 258. Paterno Proconsule consummavit sequenti, Proconsule Galerio Maximo. Parva mora est, decedit anno eodem 259. impius Galerius sic volente numine; dum Gallieni effervescente sævitia temperare non poterant provinciæ ab insequendo Christiano nomine. Quare Montanus, Lucius, aliique Martyres, qui sub Galerio cœperant: *Et continuo*, inquiunt, *eadem die subito rapti sumus ad Procuratorem, qui defuncti Proconsulis partes administrabat*. Ad quem locum recte Ruinartius: *Minores quædam provinciæ a Procuratoribus regebantur; at in proconsularibus, aut in Prætorianis Procuratores nullam nisi in Fiscalibus causis, jurisdictionem exercebant,*

Ruinart. Acta sincera pag. m. 201.

DISSERT. I. CAP. I.

bant, nec Presides dicebantur, nisi forte interveniente Proconsulis obitu. Quod de facto evenisse in eadem Africæ provincia testantur Acta S.Perpetuæ. *Hilarianus Procurator, qui tunc loco Proconsulis Minucii Timiniani defuncti jus Gladii acceperat*: tertio nimirum seculo ineunte. In Hispaniis profecto exemplum simile non reperitur; non tamen desunt eodem Gallieno sæviente Martyria, ex quorum Actis Legatus Augustalis deprehenditur. Eodem Christi anno 259. quum S. Cyprianus, aliique martyrium faciebant in Africa sub proconsulum tyrannide, Augustalis Legatus Aemylianus in Hispania sæviebat. Quamobrem S. Fructuosus Præsul Tarraconensis duoque illius Diaconi Augurius, & Eulogius martyrium fecerunt ipsa in urbe Tarracone: nec alio nomine appellatum tyrannum invenire est, aut in Actis aut in hymno Prudentii, quam Præsidem. Perinde est de martyrio Sanctorum Fausti, Januarii, & Martialis, qui passi sunt sub Eugenio Præside; necnon de S. Vincentii Cæsaraugustani aliorumque agone sub Daciano Præside. Huc accedit, quod veterum monumenta tum ante, tum post Dacianum Hispaniæ Tarraconensis Rectori Præsidis tantum nomen adscribunt. Ita factum videre est a Postumio Luperco, qui Chr. anno 294. se appellat *Virum Perfectissimum Præs. Prov. Hisp. Cit.* Et Badius Macrinus tum in supra allato documento, tum in alio, quod posuit Constantio Cæsari, Postumium Lupercum ad amussim imitatur. Verum (prætereo, quod Dacianum, qui medius inter Lupercum, & Macrinum rexit Hispaniam, Prudentius in hymnis S. Eulaliæ, & S. Vincentii appellat Prætorem) quem lateat, hos Præsides eosdem porro esse, atque Augustales Legatos, dum Dacianum æque in Tarraconensi provincia, atque in Lusitania jus dicere intelligit ex ipsa Martyrum persecutione? Hinc est, quod plura hic documenta congerere, quæ apud Gruterum, Occonem, quoque, & præcipue Augustinium videre licet, vanum esse duxi; quippe etiamsi Præsidis nomen omnia non compleceteretur Officia Magistratuum, atque ii, quibus Hispania demandabatur, appellarentur proprio nomine Præsides; tamen Augusteam propterea dispositionem esse mutatam dividundo in plures provincias Hispaniam, nemo dixerit, dum e contrario liquet, uni non semel magistratui esse commissam. Et hæc quidem de provinciis civilibus satis sunt ad Ecclesiasticam Hispaniarum historiam illustrandam.

Ibid. pag. 83.

Gruter. pag. 283.

Idem pag. 281.

Prudent. hymn. 3. stro. 20. h. 5. st. 40.

XIII. Tarraco, Hispalis, Augusta emerita, sedes erant Magistratuum.

Reliquum modo est, ut de Urbibus trium provinciarum principibus aliquid dicam. Eæ sunt Tarraco, Hispalis, Augusta Emerita. Hanc postremam jam vidimus, quemadmodum post triennium a divisione provinciarum, bello Cantabrico absoluto, Emeriti milites posuerunt: quare antequam excitata eadem esset, Magistra-

gistratus, sive, ut Strabo vocat, Legatus, qui a Legato Augustali Tarraconensis provinciæ mittebatur, ut Lusitanis jus diceret, aut Pace Julia, aut Scalabi versabatur, quæ solæ urbes conventu juridicundo aliis Lusitanis celebriores agnoscuntur Plinio. Hispalis vero urbs inclyta, nullique Hispaniensium secunda, tum antiquitus, tum nostra ætate comparari cum paucis potest. Nec parvam in admirationem me conjecit nuperi alicujus Scriptoris novum laudandæ hujus urbis genus; inde enim præcipuam ejus commendationem profluxisse autumat, quia Colonia Romanorum facta fuit. Prætereo illud dicere, quod in Hispaniis multæ honorem illum sunt adeptæ: commendatione hujusmodi, quam a romano nomine Hispalis mutuatur, & minoribus multis urbibus antiquitate jubetur concedere, nam ab Augusto, aut ad summum ab Julio Cæsare Colonia dicitur facta esse; & speciosa dumtaxat dignitate fit conspicua, Municipia enim ipsa Agellio teste Coloniis præferuntur: *quarum conditio*, ait, *quum sit magis obnoxia, & minus libera, potior & præstabilior existimatur propter amplitudinem, majestatemque populi romani, cujus istæ coloniæ quasi effigies parvæ, simulacraque esse quædam videntur, & simul quia obscura, oblitterataque sunt municipiorum jura, quibus uti jam per ignorantiam non queunt*. Quod si præcipua hinc laus accessit Hispali, Augustæ Emeritæ nuper laudatæ posthabeatur necesse erit; ac potissimum Tarraconi, quam Romani primo in Hispanias ingressu, biscentum ante Emeritam annis ædificarunt, semperque habuerunt pro armorum sede, Citeriorisque Hispaniæ domina urbe, in qua Duces primum, deinde Prætores, postremum Legati Augustales, ipsique Cæsares versati sunt. Quamobrem vera tandem laus harum urbium, studii causis procul habitis, proferatur. Hispalis antiquitate, pacisque artibus utrique præstat. Tarraco romana virtute, ac majestate aliis antecellit. Augusta Emerita, monumentum perenne laborum, fortunæque ancipitis belli tempore tam diuturni, singularem hanc sibi peperit laudem, quam nulla unquam ætas conticescet. Cæterum ut in Lusitania, ita & in Tarraconensi, & Bætica urbes aliæ erant conventubus juridicundo celebres, præter præcipuam utriusque urbem Magistratus sedem. In Tarraconensi siquidem erant sex: Lucus Augusti, Bracara Augusta, Asturica Augusta, Clunia, Cæsaraugusta, & Chartago nova. In Bætica tres: Gades, Astigis, Corbuba.

DISSERT. I. CAP. I.

Noct. Att. lib. 16. c. 13.

XIV. Non solæ urbes conventub. Jurid. destinatę erant celebres in Hisp.

Has sane urbes conventubus juridicundo insignes nolim credi aliis omnibus Hispaniensibus præstantiores; ubi enim Augustus hos conventus instituit, id unum maxime animadvertit, ut facile, ut paratum præberet iter Magistratibus, qui magno cum comitatu ad

DISSERT. I. CAP. I.

ad Conventum stato die advenire consueverunt. Hinc etiam est, quod idem Imperator vias militares, quæ ad illos ducerent, muniri jussit, quod probe novit Hieronymus Surita in animadversionibus ad Itinerarium Antonini: *Neque*, ait, *Italiam modo, sed & universas Romani Imperii provincias eo decore, atque ornamento idem Princeps effecit, ut Præsides, & qui Proconsulibus eo munere fungerentur facilius provinciarum urbes, atque conventus obirent*. Augustum vero esse imitatos successores innumera testantur monumenta apud Gruterum Hispaniam præcipue spectantia. Quare non improbabilis mihi videtur eorum opinio, qui Itinerarium sub Antonini nomine eo confectum credunt, quo facilior, notiorque esset Magistratibus via, quæ ad Conventus perducebat. Quis enim inficiari ausit, inter Cluniam, Tarraconem, & Carthaginem novam complures fuisse urbes antiquitate, ac virtute civium præstantissimas? Exemplo sit Toletum validissimæ gentis caput, videlicet Carpetanorum, cujus si conditores inquiras, incerti: virtutem autem civium ab ultima potes vetustate repetere. Hi una ex iis gentibus sunt, quæ tamdiu romanos vexaverunt; sed antequam Romanis ostenderent, quanti futurum erat cum iisdem rem gerere, specimen virtutis dederant Carthaginensibus. Hos cum victore Annibale redeuntes aggressi, parum abfuit, quin romani nominis exitia meditantes opprimerent: *Invicta acies*, ait Livius, *si æquo dimicaretur campo*. Victi quidem, fusique sunt Carpetani, sed eadem Pœni calliditas, quæ postmodo ad Ticinum, Trebiam, Trasimenum, Cannas Consulares exercitus, Consulesque ipsos devicit, Carpetanos Tagi alveo interceptos fraude magis superavit, quam armis. Ubi vero & Romanis libuit periculum ejus gentis facere; proh quantum virium subire hos oportuit. Longum esset certamina omnia persequi nunc pro mœnibus Toleti, nunc aperto campo. Perpetua dignum memoria est, quod prope Toletum cum finitimis Celtiberis conjuncti commiserunt; nam C. Calpurnium, & L. Quintium cum Prætoriis duobus exercitibus compulerunt in castra, adeoque consternarunt, ut non nisi refecto exercitu cum auxiliis sociorum Tarraconensium aleam tentare iterum ausi sint. Quamobrem invicta ea gens Sullani instar, & Pompejani exercitus, sceleratis suorum ensibus magisquam virtute hostium debellata dici potest. Urbs ipsa Carpetanorum caput parva erat pro loci natura, sed satis firma: *Toletum*, ait Livius, *parva urbs erat, sed loco munita*. Fortasse imitati erant conditores Lacedæmoniorum ingenium, qui locum natura horridum, aditu perdifficilem, satisque aptum servandis liberis, uxoribus, gravibusque senibus circumspectarunt: unde collapsa etiam disciplina

Spar

Itiner. Ant. in notis.

Dec. 3. l. 1.

Dec. 4. l. 5.

Spartam non undique cinctam muris, *sed altiora ejus loca, & difficiliora aditu stationibus armatorum pro munimento objectis tutabantur*. Propterea Pœni ne tentarunt quidem Toletum; & Romani nonnisi operibus, atque tormentis ad validissimas expugnandas urbes necessariis, in suam potestatem redegerunt. Quare ubi primum peninsula Monarchiam induit, ac de stabilienda in Hispaniis regia Sede Wisigothi, gens bellicosissima, cogitarunt, præ aliis urbibus Toletum elegerunt, quæ ad nostram usque ætatem regiæ urbis honorem conservat, utquumque Madritum, non longissime inde dissitam, Catholici Reges cœperint post Philippum II. incolere.

DISSERT. I. CAP. I. *Dec. 4. l. 4. Dec. 4. l. 5.*

XV. *Ea tamen vigente Augusti disposit. aliis celebriores habebantur.*

Hæc de Toleto urbe principe, quam infra videbimus tum in civilibus, tum in Ecclesiasticis rebus cuivis civitati præstitisse, hîc dicenda mihi obiter fuerunt; ut Anonymi cujusdam scriptionem retunderem, qui geographi unius autoritate abusus, neque inclytæ hujus urbis certis laudibus apud Historicos indagatis, oppidum, siquod maxime obscurum, id esse inter Hispaniensia Toletanum scriptitare ausus est. Eum tamen decuit animadvertere, quod Byzantium neque ex celebrioribus una urbs, neque ullatenus par majestati romani imperii, quam præterea ad vici conditionem Severus Imperator reduxerat, tamen ad Augustorum solii fastigium, & ad principis inter Patriarchas Episcopi post Romanum Pontificem excelsam Sedem evecta est. At in hujusmodi extrema studii causæ semper agunt præcipitem Scriptorem minus integrum. De his vero opportunius. Cæterum urbes illæ undecim, præter cujusvis e tribus provinciis principem, ut, antequam conventubus juridicundo destinarentur, Hispaniarum aliis minime præstarent, postea omnium vere celeberrimæ haberi sunt cœptæ. Quidni vero? frequentia populorum, rerumque actiones coram Magistratibus, celebres urbes faciunt, plusquam mœnium amplitudo, elegantia ædificiorum, ac civium perquam vetusta nobilitas. Quamobrem vigente Augustea dispositione dubitari non potest, quin Urbes illæ omnes, quas numerando recensui, præirent cæteris. Quin etiam (veritati fucum facere a meo abhorret ingenio) eas inter Carthago nova eminebat reliquis. Magnum Urbi decus accesserat a conditoribus Pœnis. Quemadmodum enim Romani Tarraconem, ita ii Carthaginem, statimatque incubarunt Hispaniæ, condiderunt. Utraque urbs erat utrique populo armorum sedes. Hinc eductæ acies; hinc missi legati; huc præda, huc spolia hostium, huc sociorum obsides coacti; huc velut ad asylum re male gesta confugium; hîc nova prælia, novique instructi milites; hîc denique utriusque populi opes, & vires erant. Quam-

Dissert. I. Cap. I.

obrem tum Pœni tum Romani in id maxime intendebant, hi ut Carthagine, ut Tarracone illi potirentur. Inde eſt, quod Scipio ille Magnus, Africani poſtea cognomento celebris, Hiſpaniam ſortitus provinciam, recta milites duxit Carthaginem eoſque cohortatus ad pugnam: *Oppugnabitis*, inquit, *mœnia unius urbis, ſed in una urbe univerſam ceperitis Hiſpaniam*. Neque eum opinio fefellit; nam anno poſt Carthaginem expugnatam decimo, Coſs. C. Cornel. Cethego, & Q. Minutio Rufo, Hiſpania omnis in ditionem Romanorum pervenerat. *Sex Prætores illo anno primum creati, creſcentibus jam provinciis, & latius pateſcente imperio .... Hiſpaniam Sempronius citeriorem, Helvius ulteriorem eſt ſortitus*: idque anno Urbis 553.

T. Liv. dec. 3. lib. 6.

Idem dec. 4. lib. 2.

XVI. Sed nullo pacto comparari eædem poſſunt cũ tribus principibus.

Quid vero? eodem illo anno cœperunt vices Carthaginis; nam Prætore Citerioris Hiſpaniæ ſedem Tarracone non amovente, Collega, ut bellicoſiſſimis Luſitanis immineret, Hiſpali ſedem fixit. Itaque Carthago nullo prorſus diſcrimine alias inter urbes Hiſpaniarum perſtitit uſque ad Auguſti diſpoſitionem; tunc enim una ex undecim, ſive (ut vulgi opinionem ſequar tres urbes principes numero conventuum adjungentis) una ex quatuordecim conventui juridico deſtinatis facta eſt. Hîc autem velim ſerio animadverti, quod nulla ex iiſdem urbibus comparari ullatenus poteſt cum tribus iis præcipuis, quæ Magiſtratuum ſedes erant, Tarracone, Hiſpali, Auguſta Emerita. Quamobrem ſingulæ illæ civitates tametſi celebres identidem redderentur populi frequentia, & Magiſtratus cum comitatu officiorum advenientis; nullam tamen prærogativam inde adipiſcebantur, ac proinde Carthago nova per totum illud tercentum annorum ſpatium, quod ab Auguſto ad Conſtantinum interceſſit, eodem prorſus honore fruita eſt in provincia Tarraconenſi, quo Lucus, Bracara, Aſturica, Clunia, Cæſarauguſta, omnes comprovinciales, omneſque conventu juridicundo conſpicuæ. Quod ſi laus præcipua iiſdem urbibus inde acceſſit, quia leges, ac mores romanorum inibi expenderentur, multo majorem hujus laudis partem tribui oportere video nuper laudatæ Toleto urbi, in qua ob aſperitatem itineris ſtabiliri conventus non potuit. Enimvero ejus Cives qui olim fuerant Romanorum hoſtes acerrimi, pacatis poſtea rebus eorumdem religionis, cultus, ludorumque æmuli facti ſunt. Quod autem majus, Imperatoribus inter Divos relatis, juxta miſeram illius ævi conſuetudinem, publice cultum profitebantur, ejuſque conſciam obſequii poſteritatem volentes, marmoreis illud tabulis incidebant, ut videre eſt in earum una ad tertii Eccleſiæ ſeculi dimidium pertinente, quam hic ſubjicio.

IMP.

Gruter. pag. 273.

IMP. CAES. M
IVLIO. PHILIPPO
PIO. FEL. AVG. * PONT
MAX. TRIB. POT. P. P
CONSVLI
TOLETANI. DEVO
TISS. NVMINI. MA
IESTATIQVE. EIVS
D. D.

* perperam. PART

XVII. Epilogus eorum quæ dicta sunt.

Hæc de Hispaniis ante Constantinum Magnum disputasse satis est ad rem Ecclesiasticam ejusdem temporis agnoscendam. Nunc quidquid satis prolixa narratione persequutus sum, breviori complectar sermone, ut clarius, atque expeditius teneatur: multum enim conducit Ecclesiæ rerum certæ cognitioni, civilem politiam tenere. Hispania omnis post Augusteam ordinationem in tres provincias dividebatur Tarraconensem, Lusitaniam, Bæticam. Hæc ulterior etiam appellata antiquo nomine, quemadmodum Tarraconensis citerior, usque ad tempora Costantini. Lusitaniam alii ulteriori, ut vere est, Hispaniæ tribuunt, alii Citeriori; ea fortasse ratione ducti qui cum citeriori conjungunt, quod citeriorem Cæsari ulteriorem Senatui parere principio viderant. Procedente tempore, Magistratus arbitratu Cæsarum plures, paucioresve in Hispanias missi: at provinciæ tres prædictæ ad Constantinum usque perseverarunt. Iisdem amplior Tarraconensis spatio terrarum utramque simul junctam bis æquabat; in rebus autem ad civilem politiam spectantibus totidem conventus juridicundo sive Tribunalia Urbium comprehendebantur in Tarraconensi, quot Bætica & Lusitania simul, habebant, utrimque enim septem numerabantur. Verum in unaquaque provincia sedes erat ordinarii Magistratus; in Bætica Hispalis; Augusta Emerita in Lusitania; & in Tarraconensi Tarraco; quas porro urbes principes nemo auxit ante Constantinum, quicquid aliis secus visum sit, mutavit nemo. Ab hoc autem Imperatore unam Tarraconensem provinciam tripertito divisam, tresque novas sedes Magistratuum, Tarracone posthabita, excitatas esse Bracaram, Cæsaraugustam, Carthaginem novam opportune ostendam: nam quæ amplectar præsenti dissertatione Constantinum, atque novam imperii ordinationem ab eo factam præiverunt.

Dissert. I. Cap. II.

CAPUT II.

De Evangelii prædicatione in Hispaniis.

I. Primordia Ecclesiæ Hispanæ obscuriora cæteris ob imposturam.

INstituenti mihi de Hispaniarum Ecclesiæ primordiis dicere, illud succurrit, quod historiam aggredior non modo immensa obrutam vetustate, spissaque obvolutam caligine, quod isti cum aliis fere omnibus commune est; (primis enim temporibus non scribendo sed agendo ubique vacantes Christiani, plura tradere, quam scriptis mandare, consueverunt) verum etiam multi plenam fuci, multisque eruditorum controversiis in dubium revocatam. Quamobrem, si hanc historiæ partem daretur honeste relinquere, eam profecto neque autoritate satis certa, nec satis constanti traditione hærentem præterirem lubens; at meo cum instituto nimis conjuncta est. Eorum, quæ dixero hærebit nihil, nisi præcipuum historiæ hujus fundamentum, nempe Evangelii prædicationem, S.Jacobo Majori adscriptam, aut confirmem, aut diruam. Diruam? Rem multis ingratam fecero, Catholicumque omne Regnum miscuero, ut placeam paucis, quorum pars nec reverentia erga Romanam Sedem, neque erga fidei omnia dogmata, si Deo placet, obsequio cum Hispanis est ullatenus comparanda. Confirmem? Studii mihi causæ objicientur: ne legi quidem digna habebuntur ab eruditis quæcumque scripsero. Deum immortalem! Eo deventum est scriptis tot voluminibus, totque utrimque institutis disputationibus hac de re, ut id tantummodo exploretur, ubi scriptum aliquod recens prodit, quid de S. Jacobi prædicatione dictum sit. Bene omnia aliquibus, si asseritur: ne legendum quidem aliis quidquid hanc prædicationem non negat. Itane vero? Alterutra ex parte devovear diris, si unius inire gratiam studuero? *Nobis*, ajebat Card. Aguirrius, *patriæ ac nationis florentissimæ amor cum ipso lacte haustus non magis cordi est, aut esse debet, quam studium veritatis, cujus leges vetant dubia pro certis, aut spuria pro germanis obtrudere, aut venditare*. Idem quippe in scopulis, ac syrtibus plenum pelagus navim emittere ausus erat, nec naufragium fecisse senserat. Sæpe sæpius in aliquem scopulum, syrtemque in aliquam incidens, pericula tam frequentia evadere diffidebat posse. *Hisce in utramque partem breviter disputatis*, inquit, *fateor ingenue, mihi adhuc hærere aquam, ut proinde quæstionem in medio relinquam, donec contingat invenire Codicem illum Card. Syrleti, ex cujus sola lectione illam dirimere oportet*. Codicem nempe unum tantæ rei sperabat fore judicem, in quo S.Hip-

Coll.Conc. diss. 9. to. 1. num. 137.

Ibid. n. 23. & seq.

S.Hippolyti Portuensis opusculum de XII.Apostolis, S.Jacobo prædicationem Hispanicam tribuere testabatur Legatus Catholici Regis Dux Sessæ: eodemque uno fretus: *Si contigerit invenire*, ait, *codicem Syrleti, tandem aliquando proferam ingenue, quidnam ibi habeatur absque ullo præjudicio, neque enim mihi tanti est rerum nostratium amor, quanti studium veritatis*. Quid vero? V.C. Emmanuel Martinus, quem suorum in studiorum consortium adsciverat, excussis Vaticanæ bibliothecæ Codd. quibuscumque, Exc. Legatum esse deceptum deprehendit; multa secus docentia (teste oculato utor) exscripsit; doctissimum Cardinalem fere ab incepto revocavit.

II. Nullo Scriptorum veterum testimonio inhærent.

Sensit id scilicet, qua erat sagacitate Card. Aguirrius, nec affirmare dubitavit, quod aut Card. Sylvius Antonianus, ad quem venerat Syrleti codex, antequam Vaticana eum bibliotheca possideret, aut Sessæ Dux, hallucinati fuerant S.Jacobo tribuentes, quæ S. Hippolytus de D. Paulo pronunciaverat. Idcirco ex optimo Codice bibliothecæ Regiæ Parisiensis edito per Combefisium in historia Monothelitarum, duobusque ex aliis Codd. Vaticanis præstantissimis summa cum fide profert græce, & latine quidquid de utroque Apostolo S. Episcopus Portuensis habet: *Jacobus frater Joannis prædicans in Judæa ab Herode Tetrarcha gladio occiditur, ibique sepelitur .... Paulus denique post annum ab assumtione Christi adiit Apostolatum, incipiensque ab Jerusalem pervenit usque ad Illyricum & Italiam, ac Hispaniam prædicans Evangelium per annos quinque & triginta: sub Nerone autem amputato romæ capite, illic sepelitur*. Quæ si conferantur cum impresso eodem opusculo in bibliotheca Patrum Lugdunensi, cumque alio ex nuperrima, absolutissimaque editione Fabritii, ne minimum quidem discrimen præseferre compertum erit. Itaque uno, quod sibi erat reliquum, præsidio destitutus Aguirrius, neque animadvertens, ut æquum erat, quod causam uni commendatam documento, eodem adversante, aliorum nullum sustentasset, ad conjecturas & ratiocinia omnes industriæ nervos intendit; ipsissimisque iis armis utitur, quæ rejecerat: quare immensis agitata disputationibus quæstio integra adhuc est. Equidem serio reputans doctissimi Cardinalis tot conatus inutiles, certumque aliunde sciens, quod nullum ex plurimis, quæ extant, documentis Ecclesiæ Hispaniarum ante Mauricam invasionem, de Sancti Jacobi prædicatione, loquitur, jure ajebam cupere, ut, citra hanc historiæ partem, instituto possem operi satisfacere. Nec vero id ego optabam, quia S. Jacobi prædicationem affirmari non posse arbitrer; sed quia fundamenta omnia hucusque posita, tantoque adversus oppu-

Bibl. PP. to. 3. p. 265.

DISSERT. I. CAP. II. *P. Ignat. Castoira.*

oppugnatores conatu vindicata excidere oportet prius, rem periculi, & invidiæ plenam, quam ultro deserueram, nisi hæc meditans offendissem in nuperrimum, infelicioremque aliis vindicem adversus Regium Lusitanum Academicum Fr. Michaelem a S. Maria, qui honorem S. Jacobo ereptum adscribit D. Paulo. Quæstionem profecto veterem, quam laudatus etiam Cardinalis tractandam suscepit, ac demum hunc in modum resolvit: *Cohærent invicem ambæ traditiones certissimæ prædicationis primum Jacobi, postea vero Pauli in Hispania.* Quamobrem meas & ego vires experiri deliberavi, ut hanc hydram (si liceat fabula quæstionis sacræ ingenium uno verbo exprimere) haud herculeis viribus, at Divinæ Sapientiæ ope, per quam celata sapientibus, revelantur parvulis, præfocasse aut dicar, aut videar. Destruam prius fundamenta, quibus prædicatio S. Jacobi inhæret; deinde aliud stabile, atque firmum hucusque ignotum ex altissima obscuritate eductum patefaciam.

Diss. 9. n. 104. & seq.

III. Sed sola traditione Majorum nituntur.

Dixi hucusque ignotum, non quia Scriptores omnes, qui nos præcesserunt, latuerit; sed quia deprehensum neglexerunt, dirutisque fundamentis aliis, rem tanti momenti quovis adminiculo destitutam reliquerunt. Præ aliis Annalium parens ægre ferens, quod traditio unius gentis, utquumque constans, relata esset in breviarium Romanum jussu Pii quinti recognitum, vehementer egit cum Clemente VIII. ut verba illa: *Mox peragrata Hispania, ibique prædicato Evangelio, rediit Jerosolymam*: ad veritatem accommodatiora redderentur, hisce ut factum fuit, substitutis: *Mox Hispaniam adiisse, & aliquos discipulos ad fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ traditio est.* Verum tantæ sunt concitatæ turbæ, tantæque hinc inde rationes literis commendatæ, præsertim Catholico Rege & Hispania omni adnitentibus, ut Urbanus VIII. novam denique correctionem aggressus reponi jusserit, quæ hodie leguntur: *Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit, ex quorum numero septem postea Episcopi a B. Petro ordinati in Hispaniam primi directi sunt.* Rem siquidem in breviario Romano, universalis nempe Ecclesiæ, affirmatam ad solam Hispanorum traditionem rejecisse post longam triginta circiter annorum consuetudinem, insolens visum est illius ætatis hominibus tametsi doctissimus, & juxta piissimus Cardinalis Baronius liberalior multo erga S. Apostolum fuerat, quam doctrina item, ac pietate præstantissimus Cardinalis Franciscus Quignionius, qui multis ante annis jussu Clementis VII. orsus recognitionem breviarii, quam Paulo III. Pontifice absolvit, nullo penitus reclamante, prædicationem S. Jacobi in Isidorum unum rejecerat: Hi-

Breviar. S. Pii V.

Breviar. Clement. VIII.

Breviar. Urb. VIII.

Hispaniam adiisse, & ibi Evangelium prædicasse autor est Isidorus. At fortasse silentii causa fuerat historiam hanc tunc primum in breviarium Romanum relatam fuisse; nam antea legi consuevit sermo S. Joannis Chrysostomi de matre filiorum Zebedæi, ut patet ex antiquioribus breviariis. Et certe Card. Hispani nullatenus recedentis ab Historicorum illius gentis principe, affirmatio illa singularis, quæ traditionem Ecclesiarum Hispaniæ rejecit, ut Isidori unius autoritate rei naturam mutaret, magis dolenda fuit: quandoquidem plura in Ecclesiastica historia constans traditio sustinet, quam Scriptorum utquumque gravissimorum autoritas, quum multis remota seculis narrant. Quod si eorumdem Scripta suppositione non carent, hac demum aliquando detecta, corruit quicquid affirmant. Utinam id non evenisset rei nostræ quam uno hoc historiæ adminiculo hærentem nacti Recentiores, præsertim Natalis, & Tillemontius, aperte falsam, & conclamatam suis in Ecclesiasticæ Historiæ voluminibus declararunt: quod nulli eruditorum est ignotum. Itaque Baronii opinionem Quignonii affirmatis prætulisse contentus, tamquam fundamento prædicationis S. Jacobi in Hispaniis certiori adhærentem, ut dicam suo loco, hac tantum in parte eam minus probandam puto, quatenus lectionem breviarii ex recognitione Pii V. revocavit in dubium; inde enim omnis quæstio nata est, cui nunc demum finem allatum iri confido, rejectis tot argumentis in utramque partem allatis, utpote infirmo hærentibus fundamento, alioque validiori excitato, quod Baronius vidit, sed neglexit.

DISSERT. I. CAP. II.

Breviar. Pauli III.

Mariana lib. 4. c. 2.

IV. Opusculum de vita & morte SS. est suppositum S. Isidoro.

Inter argumenta omnia, quibus digladiantur historici, hinc S. Jacobi prædicationem vindicantes, illinc oppugnantes, duo sunt præcipua; S. Isidori auctoritas, & hymnus breviarii antiqui Toletani. Cætera omnia, conjecturæ sunt, interpretationes sententiarum Patrum, verisimilia, & alia id genus, quæ ultro relinquam intacta, nihil enim promovent. Autoritatem Isidori non peti aliunde, nisi ex opusculo illo de vita & morte Sanctorum novi testamenti, inter omnes constat. Opusculum vero illud esse suppositum genuino Isidoriano de obitu & vita Patrum veteris Testamenti, nil melius faciet evidens, quam comparatio eorum, quæ scripsit S. Isidorus, egregius videlicet Ecclesiæ Doctor, de iisdem Patribus, cum iis quæ leguntur in eodem Opusculo illi adscripto. Loquitur S. Isidorus de S. Apostolo Paulo his verbis: *Mirabilis, vel quia multa signa fecit, vel quia ab oriente usque ad occasum Evangelium Christi in omnibus gentibus prædicavit*. Ita pro Apostoli dignitate scribit Ecclesiæ Doctor. Audiamus nunc verba opusculi per summam injuriam S. viro adjudicati. *Paulus, qui*

Origin. lib. 7. c. 9.

De vita & m. SS. c. 70.

DISSERT. I. CAP. II.

qui ante Saulus, Apostolus gentium, Advocatus Judaeorum, a Christo de coelo vocatus, in terram prostratus, qui oculatus cecidit, caecatus surrexit. Legat caetera cui sapiunt istaec. S. idem Doctor Isidorus hunc habet sermonem de S. Jacobo majore: *Jacobus Zebedaei a patre cognominatur, quem relinquens, cum Joanne verum patrem sequuti sunt. Hi sunt filii tonitrui, qui etiam Boanerges ex firmitate & magnitudine fidei nominati sunt. Hic est Jacobus, qui post ascensionem Domini ab Herode manifestatur occisus*. His de Jacobo majore attexenda sunt alia de Jacobo minore ex eodem S. Doctore, ut pateat inscitia impostoris, & injuria quae S. Isidoro temere est inlata. *Jacobus*, inquit, *Frater Domini scripsit unam Epistolam ad aedificationem Ecclesiae pertinentem, cujus sententiae immensam scientiae claritatem legentibus videntur infundere*. Ad opusculum consarcinatoris ineptissimum semel redire non pigeat, ut prorsus indignum egregio Doctore Isidoro amandetur in ultimas ignorationis tenebras: *Jacobus filius Zebedaei, frater Joannis, quartus in ordine, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione gentium scripsit, atque Hispaniae, & Occidentalium locorum populis Evangelium praedicavit, & in occasu mundi lucem praedicationis infudit. Hic ab Herode Tetrarcha gladio caesus occubuit, sepultus in carmarica*. Jacobo majori Epistolam Canonicam tribuit, quam cap. 76. adimit Fratri Domini. Inquies: apud veteres fuit dubium, num vere Jacobus minor eam scripserit. Bene habet: sed majori tributam a nullo hominum comperies. Nec tamen putes rei inscium Isidorum: *Jacobus*, inquit, *suam scripsit Epistolam, quae & ipsi a nonnullis ejus esse negatur, sed sub nomine ejus ab alio dictata existimatur*. Dubiam scilicet fuisse eam aliquibus novit, attamen cum Hieronymo, & aliis Patribus Jacobo minori asseruit, ut Ecclesiae Doctorem decuit.

Origin. ubi sup.

S. Isid. praef. in nov. Test.

De v. & m. SS. c. 72.

De off. Eccl. l. 1. c. 12.

V.

Suppositio ista non est antiquior nono seculo, ad summum octavo exeunte.

Nec vero arbitretur aliquis, suppositum istud opusculum Scriptori alicui septimi ejusdem seculi, quum Isidorus floruit, tribuendum esse. Tanta siquidem scientia Ecclesiae rerum vigebat id temporis in Catholico eo Regno (quod suo loco ostendam) tanta Scriptorum copia erat, ut, praeter crassam ac supinam Autoris opusculi ignorationem, stilus ipse vel pueris palam faciat, ejusmodi fetum prodiisse ex figlina eadem, unde Epistolae Decretales ante Siricium, & figmenta alia quae disciplinam veterem omnem miscuerunt, profecta sunt. Attamen, quia nefas est negligere argumenta certa, siqua in rebus suppetant, rursus conferri velim aliquot pauca in missali Moz-Arabico adscripta Jacobo majori, cum Epistola Canonica Jacobi minoris: *Duodecim Tribubus*, verba sunt Epi-

Jacob. mi. ep. canon.

Epistolæ, *quæ sunt in dispersione ..... Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*. Missalis autem oratio *ad pacem* in festo S. Jacobi Majoris: *Cujus doctrina duodecim Tribuum commemorantium edocetur.* Et ad orationem Dominicam: *Apostolo tuo Jacobo, Domine, edocente præmonemur, ut si quis nostrum indiget Sapientia, postulet a te, qui das omnibus affluenter & non improperas. Sed quia ad te pervenire cupimus per Christum, qui est virtus tua, & sapientia, id agere præoptamus, poscentes clementiam tuam, ut per eum, qui apud te Advocatus factus est noster &c.* De ætate hujus Missalis disputare huc loci nihil attinet; tametsi aliquid infra dicendum erit. Interim velim animadvertant qui nullo delectu antiquis Patribus vindicant quidquid falso eorum nomine circumfertur, quantam per injuriam S. Isidori Hispalensis primum in Conciliis nationalibus Hispaniarum, deinde ab Apostolica Sede inter Ecclesiæ Doctores relati, ut puro ex ejus doctrinæ fonte haurire omnes possint res Ecclesiæ certas, eumdem Doctorem adversari autumant cæteris Patribus, quin etiam secum sæpe in suis operibus pugnare; dum supposititium illud opusculum, perinde ac Decretalium epistolarum & Canonum collectionem, summis viribus eidem vindicare nituntur. Laborem æque improbum, ac inutilem post doctissimorum Cardinalium Baronii, & Bonæ sententiam, in quam copia ingens Scriptorum cujusvis ordinis iverunt pedibus. Utriusque sententiam apertissime proferam sequenti capite, quum agam de fundatione Ecclesiæ Hispanæ; etenim annunciatio Evangelii, præsentis materia est. Statuo nunc Opusculi illius ætatem nono seculo, ad summum octavo exeunte, quum Rege Alphonso II. cognomento *Casto* mirabilis sacri ejus corporis inventio facta est in Iriensi diœcesi, quæ subinde causa fuit translationis cathedræ Episcopalis Compostellam, patratisque in dies miraculis materiam suppeditavit Monachis pietate, quam doctrina præstantioribus, ut res certas falsis narrationibus occultarent, nobisque seris posteris arcana omnia transmitterent. Ipsa *argumenta*, ait Mariana, *quibus Apostoli corpus eo sepulchro contineri cognitum est, memoriæ non sunt prodita*.

Aguirr. Concil. to. 3. pag. 275.

Mariana lib. 7. c. 10.

VI. Ejusdem ævi sunt, eademque prodeunt ex figlina figmenta Isidorum præeuntia.

Abjecta, ut æquum erat, ignorantiæ nota ab Ecclesiæ Doctore S. Isidoro per simplicem comparationem Opusculi suppositi cum monumentis certis, longe etiam amandatur simile quodvis figmentum tempora ejus S. Doctoris præcedens, parabili atque evidenti eadem arte. Unum subjiciam oculis, quod P. Labbeus Fr. Bernardo de Brito acceptum retulit, nulloque delectu inter Concilia vetera evulgavit, unde alii editores se illud hausisse prote-

DISSERT. I. CAP. II.

stantur. Est id Bracarense Concilium anni 411. haud dubie suppositum, multisque capitibus rejiciendum, in quo legitur: *De Patre nostro & Apostolo hujus regionis Petro Ratistensi, quem ad salvandas animas Jacobus Domini consanguineus dimisit.* Nonne figlina eadem deprehenditur? Impostor scilicet e re facturum se esse diffidit, nisi, Jacobum Zebedæi cum Jacobo fratre Domini confundens, illum non modo Epistolæ Canonicæ autorem, verum etiam Christi Domini consanguineum declarasset. Qua super re moderationem Antonii Pagii non admirari non possum: *Si quis argumenta in medium afferat*, inquit, *quæ istud Concilium genuinum, & germanum esse ostendant, eo lubentius peritiorum judicio stabo, quo in unam veritatem e tenebris eruendam omnia mea consilia dirigo*. Quæ autem argumenta possunt afferri? Attente perlustrentur Concilia omnia Hispanica ab Illiberitano, vigente adhuc persequutione Christianorum celebrato, usque ad Toletanum XVIII. septimo seculo exeunte habitum; Epistolarum, opusculorumque Patrum tum ex Hispaniis, tum de Hispanorum rebus agentium ingens numerus avidis usurpetur oculis; Divisiones provinciarum cum suis parochiis, sive, ut hodie audiunt, diœcesibus, cumque harum urbibus, oppidis, ne minimis quidem neglectis, a Rege Suevorum Ariamiro primum in Gallæcia, deinde tota Hispania per Wisigothorum Regem Wambanem factæ, singillatim considerentur; nihil omnino invenire erit, quod, nedum Discipuli, Magistri ipsius Ecclesiam indigitet. Neque ullus unquam sanæ mentis inter Scriptores Hispanos de fundatione Ecclesiæ Apostolicisque viris huc illuc a S. Jacobo missis disputavit, sed Evangelii prædicationem, septemque, ad summum novem discipulorum conversionem propugnavit, ex quorum numero Ratistensem hunc Petrum excludi patebit infra. Quæ quum ita sint, deliberare non ausim, quam feliciter Petrus de Marca, nactus laudatum opusculum de vita & morte Sanctorum in vetusto Codice San-Germanensi ante annos octingentos scripto, exultans gaudio dicat amico viro: *Quæ vetusti Cod. autoritas a quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ forteam loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studioso*. Nullus tamen dubito, quin Archiepiscopo Parisiensi Philippi Apostoli prædicatio in Galliis, quam legit in eodem opusculo, præcipitem illam affirmationem suggesserit. Quis enim negat, farraginem illam scriptorum, quæ tantum rebus certis intulit detrimentum, erupisse per nonum seculum? Immo exeunte etiam octavo aliquid cœpisse supponi probabile est. Scriptus autem Codex ante annos octingentos, non eximit conceptam suspicionem, sed con-

Conc. Brac. cap. 3.

Ant. Pag. an. 411. n. 19.

Epist. ad H. Vales. n. 6.

confirmat: nam recens fuisse literis commendata ea inventa fidem omni majorem exceptione facit ætas Cod. quod minime factum erat, si millenarius, cujusmodi extant non pauci, is fuisset.

VII. Nequicquam figmenta illa ab Eruditis vindicantur. *Acta SS. To. 6. Jul. comment. prav.*

Studii genus aliud eruditos alios recentiores compulit, ut quidquid Impostoribus venit in mentem, pro virili assererent, circuitu magis verborum, & speciosis freti argumentis, quam novis firmioribusque allatis rationibus. Studiumque suo ipsi ore patefaciunt, se ad scribendum aggredi ajentes: *In gratiam Hispanorum*. Clam nemine esse potest, quod scribendi istud genus artificio ancipiti & eos in quorum gratiam scribitur, & lectores, demeretur, ac decipit. Illos siquidem spe defensionis inlectos impune eludit; lectoribus autem persuadet, ut credant, rationibus pondus potuisse etiam majus accedere, nisi invidiæ plenum negocium esset. Quod cuique attente commentarium indicatum valde prolixum percurrenti evidens erit. Unum ex iis figmentis, quæ iidem vindicant, mihi erit instar omnium. Cæteris probabilius esse ajunt documentum translationis S. Jacobi majoris (quod mihi est figmentum facile omnium celeberrimum) & afferre non dubitant verba ipsa: *Aliis itaque Apostolis ex præcepto Domini ad diversas provincias, & ad diversas civitates Evangelicæ predicationis studio commigrantibus, B. Jacobus S. Joannis Apostoli & Evangelistæ frater Jerosolymis remansit, verbum Dei prædicaturus, ibique ab Herode ob Christi confessionem, & Catholicæ fidei assertionem decollatus, primus omnium Apostolorum subit martyrium*. En lenocinio verborum deceptos Hispanos; manifeste negando prædicationem S. Jacobi: En lectores ipsos delusos, qui fidem habentes integram documento illi supposito, secum jam deliberant, adhærendum iis, qui prædicationem istam negant. Meos ego lectores oro & obtestor, ut talia a me non sperent, tametsi in gratiam veritatis, non Hispanorum, susceperim hanc provinciam. Ea propter tædere eos nolim diutius immorantem me manere excidendis fundamentis, quibus leviter admodum res tota innititur; mature enim veniam, quo expector, futurumque confido, ut certissimam in Hispaniis prædicationem S. Jacobi mecum teneant, mecumque exsufflent immensos Autorum conatus in utramque partem disputantium, ut scriptis veterum affirment, negentve rem, quæ traditione dumtaxat inhæret. Itaque ad aliud ex duobus fundamentis venio, quæ suscepi excidenda, nempe ad hymnum illum veterem S. Jacobi, quem confirmatum autumant in concilio Toletano IV. cui præfedit Metropolita Senior S. Isidorus, ac proinde S. eidem Doctori adscribunt quidquid autoritatis inde eruitur. Ferre enim non debeo, quod Sancto Ecclesiæ Doctori ab

Ibid. P. 1. num. 35.

DISSERT. I. CAP. II. *Hist. Eccl. to. 3. diss. 15.*

adversariis temere inferatur injuria illa insignis, cujusmodi est autorem, aut vindicem doctrinæ eumdem facere, quam Apostolica Sedes probandam non duxerit: *Officium illud Toletanum*, ait Natalis, *in quo S. Jacobi in Hispanias accessus hymno sacro recolitur, non fuisse a Romana Ecclesia probatum*. Objectionem cæteroqui levissimam, quæ hominem disciplinæ veteris minus scientem sugillat.

VIII. Hymnus S. Jacobi non est antiquior inventione facti corporis.

Si ulla in re sunt decepti evidenter, qui de antiquitate Ecclesiæ Hispanæ disputarunt, id certe evenit, quum de Missali, & breviario Moz-Arabico non secus atque ipsissimum Gothicum, seu Isidorianum esset, pronunciarunt. Ecquis enim nesciat, hujusmodi codices non modo in provinciis, verum etiam Romæ frequentibus additamentis fuisse, ac perpetuo futuros obnoxios? Ecquis Ecclesiæ rituum est adeo rudis, ut unam semper precandi rationem, unamque methodum ab Apostolorum temporibus ad septimum usque seculum deducat? Ecquis tam multos doctos Episcopos legens in libro virorum Illustrium SS. Isidori, & Ildefonsi, navasse operam corrigendis, atque illustrandis veteribus, nec non adjungendis novis, instabilitatem istam ingenitam illorum codicum non intelligat? Ecquis tandem ex Conciliorum decretis non assequitur varietatem officiorum non modo in universa Wisigothorum ditione, verum etiam in provinciis singulis? Longum &, si Deo placet, molestum esset de his omnibus singillatim differere, antequam Ecclesiæ Hispaniarum conditionem noverimus: necesse est tamen ad hymni hujus ætatem deprehendendam, ut de hujusmodi Codicibus hic in antecessum dicam, quæ non paucis abjiciendis præjudiciis utilia fore arbitror iis, qui in tot, tamque varias opiniones licet divisi, tamen in eo conveniunt, ut nulla temporum ratione habita, Gothicum, Isidorianum, Moz-Arabicum ritum, unum, eumdemque esse contendant: ac proinde Missale, ac Breviarium Moz-Arabicum (cujusmodi pluribus Hispani utuntur, unumque ego exemplum vidi elegantissimum in Exc. domus Corsinæ inclyta bibliotheca, alterumque in Vallicelliana) Card. Francisci Ximenii jussu & sumptibus in lucem editum ineunte sextodecimo Ecclesiæ Seculo, pro Isidoriano venditent. Itaque horum codicum antiquorum tria minimum exempla certa, inter se diversa, antequam vulgatum breviarium ac Missale Moz-Arabum prodirent mox subjiciam omnium oculis. Primum nempe, & alterum præivisse Mauricam invasionem, eaque propter ad septimum seculum pertinere, quum Ecclesia Hispana florentissima erat, omni procul dubio affirmabimus; tertium vero non esse antiquius decimo Ecclesiæ seculo apertum erit. Ex primo antiquiori aliis, & ex

& ex altero hymnos certos in laudem Dei, Apostolorum, & Martyrum decantari consuevisse argumentis valde apertis conjicitur; tertium vero hymnis etiam Confessorum maxime abundans, infelicitate metri, atque styli barbarie, nedum serie rerum, clam nemine esse patitur longo se intervallo proximum esse felicissimo illi ævo Mauricam invasionem præeunti, quo de agendum mihi erit. Porro hoc tertium breviarii exemplum ex prioribus illis antiquis defloraſſe potius quæcumque libuit collectoris ingenio, quam ex iisdem coaluisse, constat liquido, ut mox ostendam. Hinc autem, non ex veteribus illis, Alphonsus Ortizius, tresque ejus Collegæ jussu Ximenii Cardinalis evulgarunt Breviarium, quod apud imperitos Isidorianum audit, novis factis accessionibus juxta eum ritum, quem invenerunt. Hymnusque ille in laudem S. Jacobi non est antiquior tertii ejusdem breviarii ævo, aut si aliquantum ætate præstat, nec Sacri Corporis inventionem prævivit, neque decantari in Ecclesiis consuevit. Singula hæc teneri manibus majori, quam potero, brevitate, ac perspicuitate nunc faciam.

IX. Id ostenditur varietate Codd. qui audiũt Mozarabici.

Codex Isidorianus antiquissimus, qui ante hunc diem non prodiit, latebat in celebri Archivo amplissimi Capituli Veronensis, de quo eruditi omnes magnifice, & constanter sunt loquuti, quam ego rem non semel alibi testatus sum. Is tamen nequaquam latuit V.C. P. Josephum Blanchinum Congregationis Oratorii presbyterum, qua in hujusmodi veterum monumentis perspicacitate est, ut omnibus fidem faciet vis eorum ingens, quam studio improbo collectam prope est, ut faciat publicæ lucis (non enim sunt aliud, quam proludium, pauca illa pretiosissima, quæ illius opera & studio ante annos aliquot prodierunt.) Eumdem vir doctissimus perquam humaniter mecum communicavit paratum prælo, fecitque illi titulum: *Libellus Orationum anecdotus Ecclesiasticorum Officiorum Gotico-Hispanus, adhuc ex parte obtinens in breviario Mozarabico antiquissimi ritus Isidoriani. Prodit ex vetustissimo Cod. Amplissimi Capituli Veronensis opera & studio Josephi Blanchini Veronensis Presbyteri Congregationis Oratorii Romani*. Hunc sequitur Codex alius, sive ut melius dicam fragmentum alius Codicis evulgatum a Francisco de Pisa anno 1593. in urbe Toleto, quod P. Joannes Pinius recitat in sua de liturgia Moz-Arabum diatribe, neque aliud continet, præter duos menses Kalendarii veteris Januarium, & Februarium, qui satis perspicue notant ætatem codicis, extrema videlicet seculi septimi. Tertius demum Codex est quem adhibuerunt editores breviarii Moz-Arabici, ejusque exempla aliquot servari audio in Archivo Primatialis Ecclesiæ Toletanæ, & haud dubie Compluti ipsissima illa extant, quæ in edi-

Acta SS. to. 6. Jul. pag. 78.

editione Breviarii sunt adhibita. Huic ego tribuo Salvo Abbati Alvendensi, seu Albaildensi, qui obiit diem suum æra millesima, sive anno Chr. 962. Libro siquidem Virorum Illustrium qui explicit in Juliano Toletano, continuo additur Salvi hujus vita, cuique obvia apud Nicolaum Antonium, Card. Aguirrium, & Fabritium, quod non leve argumentum est, post Hispanæ Ecclesiæ vicissitudines Abbatem istum fuisse primum, qui antiquos illos patres studii genere imitaretur. Peritissimus harum rerum Ven. Card. Thomasius id sensit, ubi Psalterium atque orationes Psalmis congruentes ex breviario Moz-Arabico decerptas editurus: *Latent*, ait, *fortassis aliquæ orationes Salvi Abbatis inter basce Mozarabicas*. Quidni autem? Verba ipsa recito ejus vitæ. *Cujus oratio, nempe in hymnis orationibus, versibus, ac missis quas illustri ipse sermone composuit, plurimam cordis compunctionem, & magnam suaviloquentiam legentibus, audientibusque tribuit*. Horum simile tota in Hispaniensi antiquitate non invenies tributum alicui ex iis, qui hujusmodi sacrorum Codicum fategerunt, præterquam Juliano Regiæ urbis Antistiti, qui sedere cœpit anno Christi 680. nam successor ejus Felix, *Librum*, inquit, *Missarum de toto circulo anni in quatuor partes divisum, in quibus aliquas vetustatis incuria vitiatas & semiplenas emendavit atque complevit, aliquas vero ex toto composuit*. Quæ novum ab Juliano Missalem librum esse adornatum demonstrant, & huc, ni ego fallor, respicit Kalendarii fragmentum, quod loco secundi codicis habendum dixi.

V. Salvi Abb. Alv.

X. Enumerantur Scriptores seculi septimi, qui operam iis aliquam navarunt.

Testatur Julianus idem, quod prædecessor suus S. Ildefonsus de eadem re multa scripserat; quin etiam hymnorum aliquot fuisse autorem ait: *Partem sane tertiam missarum esse voluit, hymnorum, atque Sermonum*. Et notandum, quod toto in eo libro virorum Illustrium nemo ante eum legitur hymnos scripsisse; quum tamen aliunde constet, quinam illustrationi Missalis, ac breviarii Gothorum tempore navarunt operam. Nam in codice Monasterii olim S. Æmiliani, nunc Scorialensis bibliothecæ, de cujus antiquitate, & præstantia loquar sequenti capite, ita legitur ad rem nostram: *Donec de Orthodoxis, & Catholicis viris fuit illustrata, idest: Fulgentio, Petro, Leandro, Isidoro, Ildefonso, Fructuoso, Juliano*, de quibus singulis pro dignitate loquar laudato capite. Ad Ildefonsum quod attinet, quoniam ipsa hymnorum mentio, tametsi nulli hucusque emerserint, non amovet dubium omne, quin hymnum S. Jacobi, utquumque barbarie summa scatentem, ociosus aliquis adscribat Sancto eidem Antistiti, duo hic sedulo animadvertenda proponam. Primum videlicet, quod etiamsi Ilde-

Ildefonso adscriberetur ille hymnus, nihil tamen promoveri posset; quippe Ildefonsus longe post tempora Isidori floruit; Isidorus autem tam aperte, tam dilucide de hymnis decantandis in Hispaniis loquitur, ut præfato S. Jacobi nullum relinquat locum, idque mox planum faciam Sancti ejus viri allatis verbis ipsis. Deinde, quod S. Jacobi (estque id ineluctabile argumentum) obscura omnia erant Hispanis ante mirabilem sacri corporis inventionem; ideoque tam altum ubique silentium occurrit, ut ne inter festos quidem dies recenseatur ullus eidem dicatus. Quam rem quantocyus fateri omnes cupio, Isidoriani breviarii circulo totius anni proposito, cui suis locis adjieiam charactere Italico additiones Kalendarii editi a Francisco de Pisa, brevitati enim quam maxime consulendum mihi est. Atque utinam Sacramentarium aliquod vetus aliquando emergat. Certum enim haberi debet, quod licet Maurorum tempore accessiones multæ, præsertim ab Alvendensi illo Abbate, sint factæ sacris iis libris, ritus tamen antiqui summa eadem perseveravit, ejusque pars magna etiam in Gallias invecta est, Mabillonio id docente cum testimoniis veterum. Cui quidem doctissimo viro acceptam refero novam impostoris alicujus audaciam; nam VI. cal. Januar. quum habeatur *Missa in Natale Apostolorum Jacobi, & Joannis*, in Missali Gothico, qui certe dies utrique filio Zebedæi sacer erat; docet Mabillonius, quod in Martyrologio Gellonensi apud Septimanos ante annos nongentos scripto, extat: *Ordinatio Episcopatus Jacobi Apostoli Fratris Domini, adsumptio S. Joannis Evangelistæ*. Non est hic locus expendendi ætatem, autoritatemque hujus effati. Sit satis nosse ævum imposturæ omnis, & provinciam, unde prodiit id effatum; nam opportune agam de his etiam rebus. Venio nunc ad S. Isidori doctrinam certissimam de sacris hymnis.

De liturg. Gallic. L. 3.

XI. **Hymni tantum Ambrosiani decantabantur sec. Eccles. septimo.** *Conc. Agath. can. 30.*

Haud dubie seculo Ecclesiæ septimo, quum maxime florebat Ecclesia Hispana, Ambrosiani præsertim hymni ubique obtinebant, ut patet ex Concilio Agathensi anno Ch. 506. (nondum Gallia Gothica erat una ex provinciis Ecclesiasticis Hispaniarum) nam congregati Episcopi ita decreverunt: *Quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut ubique fit, ut post antiphonas, collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum & missarum post hymnos capitella de psalmis dicatur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione mittatur*. In Hispaniis autem secus erat, quippe quas ante invaserunt Ariani, quam hymni Ambrosiani invalescerent, Hinc est, quod

DISSERT. I. CAP. II.

quod Episcopi Hispaniarum antiqui moris retinentissimi, ubi primum sub Regibus Suevorum in Gallæcia deposuerunt hæresim, veluti abusum sunt aversati sacros hymnos: *Placuit*, inquiunt, *ut extra psalmos, vel canonicarum scripturarum novi, & veteris Testamenti, nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur, sicut & sancti præcipiunt Canones*. Neque ante annum 633. quum Concilium IV. Toletanum est celebratum, seniore Metropolita Isidoro Præside accepti reperiuntur hymni iidem Ambrosiani tota Hispania: *Quia nonnulli hymni*, Patrum verba sunt, *humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione non existunt .... sicut igitur orationes, ita hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet, sed pari modo Gallia Hispaniaque celebret, excommunicatione plectendi qui hymnos rejicere fuerint ausi.* Hosce vero hymnos non esse alios quam Ambrosianos, docet egregius idem Doctor Ecclesiæ: *Sunt autem*, ajens, *divini hymni: sunt & ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus Episcopus Pictaviensis, eloquentia conspicuus hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Mediolanensis Episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo, & clarissimus Doctor in Ecclesia, copiosus in hujusmodi carmine claruisse cognoscitur; atque inde hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur, quia ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt, cujus celebritatis devotio posthac per totius Occidentis Ecclesias observatur. Carmina autem quæcumque in laudem Dei dicuntur, hymni vocantur*. Quæ postrema verba alibi etiam pensius declaravit: *Proprie autem*, inquiens, *hymni sunt continentes laudem Dei. Si ergo sit laus, & non sit Dei, non est hymnus: si sit & laus Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. Si ergo in laudem Dei dicitur, & cantatur, tunc est hymnus.*

Conc. Brac. I. c. 22. — *Conc. Tol. IV. c. 13.* — *De offic. Eccles. l. 1. c. 6.* — *Orig. l. 6. cap. 19.*

XII. S. Jacobo in Hispaniis nullus dies erat dicatus.

Itaque tametsi Venantii, Sedulii, ac præcipue Prudentii gentilis sui potuissent Hispani per eum ævum decantare hymnos in Apostolorum, & martyrum triumphos; tamen ante obitum S. Isidori id factum esse ostendet nemo. Quod si etiam ponamus, hymnos Prudentii de martyrum triumphis, qui in edito Moz-Arabico leguntur, cantari in iis Ecclesiis cœpisse ante Mauricam invasionem, nullatenus id de Hymno S. Jacobi neque a Prudentio, neque ab alio ullo ex antiquis compacto affirmari a nobis poterit: quam rem probare nihil attinet, quum unicuique liceat propriis oculis hymnos

Bibl. Patr. to. 5. Sirmond. to. 1.

nos veteres usurpare. At compendiaria incedam via, ut cœpi, ob oculos ponens circulum festorum dierum ex Cod. Isidoriano, prætermissis feriis, de quibus alibi. **Dissert. I. Cap. II.**

„ Orationes de adventu Domini per dies Dominicos (*quinque* „ *recensentur*.) Orationes de adventu Domini, usque ad Nativi- „ tatem. In primis.

XV. Cal. Decembr.	S. Acisceli.	***Novemb.***
XIV. Cal. Dec.	S. Romani.	
X. Cal. Dec.	S. Celiæ. *leg.* Cæciliæ.	
III. Cal. Dec.	S. Saturnini.	
II. Cal. Dec.	S. Andreæ Ap.	
V. Id. Dec.	S. Leocadiæ.	***Decemb.***
IV. Id. Dec.	S. Eulaliæ.	
XV. Cal. Januar.	S. Mariæ Virg.	
VIII. Cal. Jan.	Nativitatis Dom.	
VII. Cal. Jan.	S. Stephani.	
VI. Cal. Jan.	S. Eugeniæ.	
IV. Cal. Jan.	S. Joan. Ap. & Ev.	
II. Cal. Jan.	S. Columbæ.	
Cal. Jan. Octabas Nat.	Circumcisio Domini.	***Januar.*** *ex* ***utroq. Cod.***
VIII. Id. Jan.	Apparitionis Domini.	
VII. Id. Jan.	S. Juliani conjugis Basilissæ.	
VI. Id. Jan.	*S. Luciani.*	
V. Id. Jan.	*XL. Martyrum.*	
IV. Id. Jan.	*S. Serenæ.*	
XVIII. Cal. Februar.	*S. Felicis.*	
XVI. Cal. Feb.	*Policarpi, & Antonii.*	
XIV. Cal. Feb.	*S. Sebastiani & Comitum.*	
XIII. Cal. Feb.	*SS. Agnetis, & Emerentianæ.*	
. . . .	Allisionis Infantum.	
XII. Cal. Feb.	Fructuosi, Agurii, & Ulogii.	
XI. Cal. Feb.	S. Vincenti.	
X. Cal. Feb.	*Obitum Dñi Ildefonsi Episc. Toleto.*	
VIIII. Cal. Feb.	*S. Babilæ.*	
V. Cal. Feb.	*S. Tirsi cum comitibus.*	
Non. Feb.	*S. Agathæ V. & M.*	***Febr. ex utroq. Cod.***
VII. Id. Feb.	*S. Dorotheæ vel comit.*	
VI. Id. Feb.	*S. Marci Evang. M.*	
II. Id. Feb.	*S. Eulaliæ V. M. Barcinonæ.*	
XII. Cal. Mart.	*S. Pantaleonis.*	
VIII. Cal. Mart.	Cathedra S. Petri.	
VI. Cal. Mart.	*S. Julianæ V. M.*	

.... Carnes tollendas. Dom. II. Quadrag. Vicesima. Dominica de Lazaro. Dominica in Ramos palmarum. Feriæ quatuor in Ebdomade majore. Cena Domini. Parafcebe. Sabbato in Vigilia Pafcæ. Refurrectio Dñi. Dominicæ IV. Afcenfio. Pentecoft es.

Jun.	XVI. Cal. Jul.	SS. Adriani & Nataliæ.
	VIII. Cal. Jul.	S. Johannis Baptiftæ.
	III. Cal. Jul.	SS. Petri & Pauli. *deeft principium.*
Jul.	XVI. Cal. Aug.	SS. Juftæ, & Rufinæ.
	VIII. Cal. Aug.	S. Cucufatis.
Aug.	Cal. Aug.	S. Felicis, & Maccabeorum.
	VIII. Id. Aug.	SS. Jufti, & Paftoris.
	IV. Id. Aug.	S. Laurenti.
	III. Id. Aug.	S. Yppoliti.
Septemb.	XVIII. Cal. Oct.	S. Cypriani.
	VIII. Cal. Oct.	Decollatio S. Johannis Baptiftæ.
	. . . .	SS. Cofmæ, & Damiani.
Novemb.	III. Id. Nov.	S. Martini.

Quam recte Bollandi continuator faciat fecundum Codicem antiquiorem Ifidoriano, ex additionibus patet.

XIII. *Certa tamen eft migratio Jacobi in Hifpaniam tefte traditione.*

Præcipuis jam fundamentis, quibus inhærere videbatur prædicatio S. Jacobi in Hifpaniis, folo æquatis; reftat nunc ut firmiori eam fuftineri oftendam, quod fum pollicitus. Fundamentum autem hoc certum, & ftabile, eft traditio, cui plura hujus generis referuntur accepta, quam virorum utquumque doctiffimorum, ac fanctitate præftantium teftimoniis. Traditio vero ifta, quia minime conftans, dividi in duas partes debet: in traditionem videlicet exorientis Ecclefiæ in Hifpaniis; & in traditionem, quam fcriptis mandatam, & cum facro Apoftoli corpore inventam male feriati homines pro fuo quique ingenio depravarunt, fabulifque contaminatam ad nos feros pofteros tranfmiferunt.. De utraque brevem, ac perfpicuum fermonem inftituo. *Paucos fe difcipulos*, ait Mariana, *Divo Jacobo adjunxiffe, quo tempore fuit in Hifpania, fama eft. Qui plurimos, novem numerant.* Eorum, feptem Roma miffos a D. Petro, ut fundarent Ecclefiam (nam S. Jacobus prædicaverat tantum Evangelium) fequenti capite planum fiet. Duos reliquos, pergam cum Mariana, *Athanafium & Theodorum, facri fepulchri (fic fama fert) cuftodes: quorum ibi fepulchra dextra, lævaque monftrantur.* Scriptor hic gentilis traditioni parum fidens, affirmare non dubitat, rem fibi hanc inexploratam effe. *Nos quoniam rerum antiquitas certam fcriptioni derogat fidem, neque quid certi de Jacobi Apoftoli difcipulis afferri poteft, liberum lectori judicium de tota hac re relinquamus.* Idem paulo ante protefta-

De reb. Hifp. l. 4. c. 2.

testatus erat de B. Virginis columnæ, seu Pilaris sacra æde: *Cæsaraugustæ*, ajens, *Virginis matris nomine ejus monitu Templum constructum est, ut persuasio hominum ab antiquo per manus ducta confirmat*: Continuo tamen subdit: *Nobis receptas opiniones movere non erat animus*. Et quidem jure: quæ enim pietatem fidelium, Sanctorumque honorem spectant, non moventur impune. Quod si temere moveantur, non supererit Regnum immo nec provincia, neque urbs, unde abradi sensim pietas non incipiat. Cæterum ex novem iis discipulis, quos omnes Jacobus secum duxit Jerosolymam, ubi primus omnium Apostolorum martyrium fecit, qui septem sunt ordinati Episcopi, missique a D. Petro, nonnisi post annos viginti ab Jacobi martyrio, in Hispanias sunt profecti; duo reliqui mirabili eo navigio transvecti cum sacro pignore, ut constanter scribitur, neque Episcopali dignitate fungentes, neque autoritatem prædicandi adepti ab Apostolorum Principe, qui unus eam largiri poterat; nam quo tempore Jacobus cædebatur gladio, is in carcerem erat trusus, iique discipuli sibimet consulentes fuga, & divinitus transfretantes cum sacro Magistri corpore absque remige, aliave hominum ope, a nemine prorsus dicuntur aut annunciasse evangelium alicui, aut aliquem baptizasse. Hinc factum, quod Mariana idem docet, *ut neque Romanorum reliquo Imperio, neque Gothis rerum potientibus in Hispania, beati Jacobi Apostoli sepulchrum ubi esset, exploratum haberent*: quoad demum aliquando in nemore dumis, ac vepribus obsito cælitus indicato, *effosso terreo tumulo marmorea domuncula inventa, qua sacrum sepulchrum includebatur*. Id evenit octavo sec. exeunte.

DISSERT. I. CAP. II.

Act. 12.

Ibid. lib. 7. cap. 10.

XIV. Traditio eadem fuci expers examinatur.

Hac sane traditione, nil veritati magis consentaneum. At enim, si ejus pars prima expendatur, quid credibilius profectione S. Jacobi in ultimas terræ partes, ut qui martyrio præire aliis Apostolis debuit, inter alios primus Christi jussa fecerit? Objicies Clementis Alexandrini, autoris nimirum tertii seculi historiam: *Si quis velit ex Israel duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus*. Nam, inquies, post biennium, anno videlicet 14. post Christi ascensionem Jacobus martyr occubuit. Præterea illud dicere, quod si Apostoli annis duodecim detineantur in Syria, Romanæ Sedis fundationis certa ætas in dubium vertitur; repono tamen Autoris æque gravis, qui eodem floruit tertio seculo, contrariam historiam: *Apostoli*, ait, *per annos 25. usque ad Principatum Neroniani Imperii per omnes provincias, & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt*. Neque illud sileo, quod Apostolis veredi non erant opus,

Clem. Alex. Strom. 6.

Lact. de mort. Pers. cap. 2.

DISSERT. I.
CAP. II.
Act. 8. 39.

ut terræ ambitum circumirent, Spiritus enim Domini, a quò Philippum fuisse raptum constat post baptizatum Eunuchum, etiamsi Jacobum rapuisse in Hispaniam non dicatur, non enim omnia scripta sunt, objectionem istam eludit. Præterquamquod biennii spatium ultro citroque commeando, quum præsertim novem tantum discipulos acquisierit, satis superque est ad rem nostram. Quid ad credendum proclive magis est, quam pius ille raptus Sacri pignoris a duobus ex discipulis, aliis septem una cum Christianis cæteris sævitiam Herodis declinantibus, sic volente numine, ut postea confirmati in nova fide, atque Episcopi ordinati in Hispanias mitterentur? Quid veritati magis consonum, quam navigii appulsum miraculo adscribere, quum angustiæ temporis, metus Judæorum, non modica a mari distantia, aliaque id genus, humanum omne consilium excludant? Nonne alia gentes aliæ gloriantur sacra corpora possidere, divino potius consilio, quam hominum industria acquisita? Nonne innumeras, præsertim Romæ veneramur sacras imagines, mirabili ratione ad nos advectas? Stultum sane, ac temerarium est Divina consilia, instar humanorum, æstimare. Negandis iis rebus, quas in Fidei nostræ primordiis evenisse traditur, inutile instrumentum sunt quæsita evidentia, & fallax conjectura: Documenta vetera quicquam evincerent, at hujusmodi nulla ad hanc S.Jacobi traditionem negandam aut allata umquam sunt, aut afferri umquam poterunt. Sepulchrum vero usque ad exitum octavi seculi latuisse, ac proinde altum ubique silentium occurrere per longam illam annorum seriem, nihil omnino habet prodigii; res per se ipsa patet. Felicissimi illi custodes sacri corporis, usque ad mortem, magistri sepulchro adhæserunt, quod nascentis Ecclesiæ ingenium erat; memoriæ posterorum (idque omnium gentium solenne fuit) consuluerant, rem brevi epigraphe indicatam una cum sacro eodem corpore insepelientes, quod utique alterutro ex iis moriente, a superstite factum fuerit, ac demum arcani alius quicumque particeps discipulo alteri supremum idem munus persolverit. Quamquam sæviente postmodo persecutione, siquis forsitan baptizatus ab iis discipulis fuerat, quod non est a fide abhorrens, aut saltem custos arcani erat relictus, id ulli hominum communicare aut ob metum non est ausus, aut morte præoccupatus nequaquam potuit. Huc accedit, quod neque duo illi discipuli, tanquam uterque ignarus eorum, quæ evenerant septem aliis discipulis, qui dispersi erant Jerosolymis cum cæteris Christianis; neque isti septem (admirandi illius eventus, prorsus inscii) quum post annos viginti in Hispaniarum partem penitus remotam venerunt; rerum seriem narrare sibi

sibi invicem potuerunt: quod unum constantem hanc traditionem effecerat, nec novo excitari eam miraculo oportuerat post septem secula.

XV. Traditio posterior adulterata, & a fide omni abhorrens. *Marian. l. 7. c. 10.*

Ad aliam vero traditionis partem quod attinet, cœpisse eam puram putamque, ut prior illa breviter indicata, cum sacro corpore inventa fuerat, non est dubium. Neque aliam esse patefactam a felicissimo inventore tanti thesauri Theodomiro Iriensi Episcopo, suadet divina ea illustratio, quam totius eventus ducem sequutus est. Verum capitibus male feriatis contaminare illam, prorsusque incredibilem ad nos transmittere arrisit; itaut Scriptor quilibet Augiæ stabulum purgare malit, quam veritatem ubique occultatam, aut personatam ex eorum scriptis educere. Hinc est, quod eruditi recentiores nequicquam vicisse sibi blandiuntur, eo quod Imposturam detexerint, eamque ad incitas reduxerint. Quis enimvero meipso facilius, atque evidentius (verbo absit invidia) id glorietur præstitisse? Quid tamen? Natali, & Tillemontio fuerat pronunciandum tanto cum suæ ipsorum æstimationis periculo, quod Tolosa in Hispanias S. Jacobi reliquiarum portio advecta fuit? Levissima hæret conjectura quidquid suæ genti iidem vindicant: dum contra rem apud Hispanos certam, innumeris testatam miraculis, ac diuturna seculorum serie peregrinationibus exterorum confirmatam, unanimis Catholici Regni consensus religiosissime tuetur, quamquam vires nervosque omnes intendant alienigenæ, ut ardens adeo studium frigefacient. Quod profecto adscribi non potest, nisi Deo optimo maximo: cujus consilio imperscrutabili sacrum id pignus eo allatum; ac post longam annorum seriem repertum Hispani omnes, aliæque omnes gentes constanti veneratione usque ad hunc diem sunt amplexæ; atque implorato ejus patrocinio in gravissimis vitæ, ac rerum periculis, cujuscumque conditionis homines ex quavis vel maxime remota orbis parte ad sacros ejusdem cineres voti causa peregrinantes, innumera, eaque perpetua firmissimæ traditionis monumenta posuerunt. Utinam nudam illam ac sinceram traditionem violare tot fabulis non essent ausi, qui Ecclesiasticam historiam omnem adulterarunt; hanc siquidem ope documentorum instauratum iri confido; at traditionem pietate magis, quam scripto hærentem ignoro, an pessime habitam restituere humano sit datum ingenio. Cæterum id ratum & firmum esse debet, quod prædicatio S. Jacobi Apostoli in Hispaniis firmo, ac stabili hoc fundamento traditionis innititur; non autem levi suppositorum operum autoritate, quæ non paucos viros doctos, eosque inter non unum Romanum Pontificem deceperunt. Cumque ego, ut veritatem instaurem, quandoque a Ro-

DISSERT. I. CAP. II.

Romani alicujus Pontificis affirmatus recessurus sim in rebus facti, præoccupare hic pios lectores constitui Theologorum hac de re sententiam proferendo: *Conveniunt omnes Catholici, & haeretici,* ait Bellarminus, *in duobus. Primo: posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu consiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniisque hominum præcipue pendent.* Pensius etiam Canus: *In maximo illi errore versantur, qui rerum gestarum memorias tanquam Ecclesiæ oracula accipiunt, si eas in epistolis & decretis suis Pontifices aliquando usurparint. Non est idem, mihi crede, historiæ approbatio, & usurpatio... Itaque imprudentium hominum erit historias quasvis, obiter etiam & ad præsentem causam a Pontifice adductas non aliter amplecti atque eas, quæ sunt Ecclesiæ certo judicio comprobatæ.*

De Ro. Pont. lib. 4. c. 11.

Loc. Theol. l. 11. c. 5.

XVI. Notandum discrimen inter prædicat. Evangel. & fundationem Ecclesiæ.

Hanc sane rem probe novit Card. Aguirrius, at suo arbitratu eadem utitur; quippe Decretalem S. Innocentii Epistolam ad Decentium, definientem de fundatione Ecclesiarum Occidentis, qua dogma fidei, & mores non spectat, tanquam suæ opinioni contrariam refellit. E contrario Callisti II. communes vulgi opiniones adoptantis de S. Jacobo, suosque iis sermones implentis, Alphonsi insuper septimi enixis precibus ut morem gereret, accedente amore erga S. Apostolum concepto Compostellæ, dum Legatum S. Sedis gerebat, nihil eorum prætereuntis, quæ vulgi ore ferebantur, incerta omnia amplectitur; rejicitque Gregorii VII. sententiam certam, concinentis videlicet cum S. Innocentio I. cujus verba hic subjiciam: *In omnem*, ait, *Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, insulasque interjacentes nullum hominum instituisse Ecclesias nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.* Quam profecto Decretalem, utpote agentem de sacrosancto Missæ sacrificio, deque ejus præcipuis ritibus, necnon de jejunio sabbati, tanti habuerunt Hispani illi veteres, ut videre est in Codice Veterum Canonum, de quo egimus in præfatione. Quin etiam egregius Ecclesiæ Doctor S. Isidorus, qui omnium veterum Antistitum Hispanorum facile doctissimus est habendus, Innocentii Epistolæ hunc commentarium apponendum suppeditat: *Ordo autem Missæ, vel Orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus; cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.* Non enim poterat Innocentius prædicationem Evangelii Apostolis cæteris eripere, præsertim Paulo, quem Doctorem gentium fuisse, atque Occidentem perlustrasse, & in Hispanias profectum esse, hodie negare ausit nemo. Quid autem

Concil. to. 1. pag. 156.

S. Innoc. I. ep. 1.

Lib. 4. tit. 1. 2. 4. 5. 11. 15. 18.

De off. Ec. lib. 1. c. 15.

autem rei est prædicationi Evangelii cum institutione Ecclesiæ, ac mysteriorum doctrina? Doctor idem gentium ad prædicandum Corinthiis profectus: *Sedit ibi annum, & sex menses, docens apud eos verbum Dei*. Idem vero ad eosdem dans literas: *Gratias*, inquit, *ago Deo quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum. Baptizavi autem & Stephanæ domum. Ceterum nescio si quem alium baptizaverim; non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Itaque non statimatque Apostolum aliquem genti alicui prædicasse Evangelium audimus, continuo Institutorem Ecclesiæ eum habere compellimur. Quandoquidem suum erat discrimen inter prædicandum seu evangelizandum, baptizandum, & instituendam seu fundandam Ecclesiam: quod postremum uni Petro tribuit Innocentius in sua Decretali Epistola, quam minime æquum est ad arbitrium interpretari. Hoc sane certissimum discrimen si explorassent qui de Ecclesia Hispaniarum egerunt, compertum iisdem fuisset, quod fundatio Ecclesiæ, de qua mox agam traditioni prædicationis S. Jacobi, qui novem acquisivit Discipulos tota Hispania, nullatenus aversatur; nec tantos in scopulos impegisent, quos evasuri, constantem illam ingentemque Ecclesiæ Hispanæ venerationem erga S. Sedem mille obnoxiam periculis demonstrarunt; unde ego eamdem cripere, atque acerrime vindicare deliberavi. Hæc de primordiis Ecclesiæ Hispanæ. Nunc de ejus fundatione.

DISSERT. I. CAP. III.

Act. 18. 11.

1. *Cor. cap.* 17.

CAPUT III.

De fundatione, & progressu Ecclesiæ Hispaniarum.

I. Primi septem Episcopi fundatores Ecclesiæ Hispan.

QUAMQUAM operosa omnia, aleæque plena sunt negotia provinciæ hujus; tamen defunctus eorum maximo, aggredior hilaris minora cætera. Horum primum occurrit fundatio Ecclesiæ Hispanæ, quæ prædicationem Evangelii sequitur, ut causam effectus. Septem Romæ Episcopos a Sanctis Apostolis Petro, & Paulo ordinatos, atque in Hispaniam ire jussos ad prædicandum Evangelium, destructaque Idolo-latria, fundandam Ecclesiam, constans traditio est. Hanc martyrologia vel antiquissima testantur; hanc S. Gregorius VII. Castellæ & Aragoniæ Regibus, ut rem dubii omnis expertem, in memoriam revocat: *Septem*, inquiens, *Episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro, & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria Christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem*

Martyrol. antiq. d. 15. *Ma.*

S. Greg. VII. ep. 74.

DISSERT. I. CAP. III.

dinem & officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret. Hanc denique numeris omnibus absolutam exhibet Codex ille præstantissimus Conciliorum Hispaniæ, ante octingentos annos scriptus, quem docet Sandovallius ex monasterio S. Æmiliani ad Scorialense translatum esse anno 1598. unde quum maximo terrarum, & maris intervallo prohibear verba ipsa transcribere, ex liturgia antiqua Joannis Pinii, qui summa cum fide ab se exscripta esse testatur, usurpabo: *De Missa Apostolica in Hispaniam ducta Julianus & Felix: Igitur quum apud urbem Romam beatissimi confessores Torcatus, Tisefon, Indalecius, Secundus, Eufrasius, Cæcilius, & Isicius a Sanctis Apostolis Petro, & Paulo Sacerdotium suscepissent, & ad tradendam Hispaniæ catholicam fidem, quæ adhuc gentilium errore detenta, idolorum superstitione pollebat, profecti fuissent divino gubernaculo comitante, & ad civitatem Accitanam se * utrique converterent: Deinde non mente segregantes, nec fide, sed pro dispensanda Dei gratia per diversas urbes dividuntur. Torcatus Acci, Tisephon Bergii, Esicius Carcesæ, Indalecius Urci, Secundus Abulæ, Eufrasius Eliturgi, Cæcilius Eliberri. In quibus urbibus demorantes cœperunt de initio vitæ immortalis prædicare, sicque factum est, ut dum famuli Dei Cælestia dona impertiunt, magnum suæ Ecclesiæ credentium fructum acquirunt: atque ita sicut ab Apostolis missam, doctrinamque acceperunt, per Hispaniam ordinatis Episcopis, supradictis urbibus tradiderunt. Et sic crevit fides Catholica paulisper, donec de orthodoxis & catholicis viris fuit illustrata; id est Fulgentio, Petro, Leandro, Isidoro, Ildefonso, Fructuoso, Juliano. Ab illis exemplum tenuerunt, & nobis reliquerunt.* Æra 965. Codicis ætatem Scriptor monachus per æram 965. suppeditat, annum videlicet Chr. 927. puta apographi; nam codicis archetypi altius multo repetendam docent documenti principium, & finis. Juliani scilicet, & Felicis opus appellatur in titulo; in fine autem postremus omnium recensetur Julianus, quæ res non obscure docet, Felicem Toletanum Archiepiscopum Juliani successorem septimo exeunte seculo, monumenti veteris autorem esse.

Act. SS. to. 6. Jul. tract. præv. n. 9.

* forte *utique*.

II. Iidem certissimi esse videntur: immotales sunt.

Tanta me fateor veneratione hoc vetus documentum suscepisse, quum vidi hærere omnia, sapereque omnia sacrosanctam quam præsefert vetustatem; ut sistendum hic mihi esse putaverim; nec aliunde aliquid de fundata illa Ecclesia clarius, aut firmius optari posse cognoverim. Qui autem secus fiat? Agitur de Missa Apostolica Hispaniarum Ecclesiis tradita, ac refertur quod ipsa incrementum habuit ab illustratoribus Episcopis Fulgentio &c. Pericli-

riclitari num aliquis cupit, quam integre procedant omnia? De Fulgentio Astigitano Episcopo, quem primo loco recenset, quum ejus vita inter viros illustres non extet, satis est illud dicere, quod frater Isidorus Originem officiorum Ecclesiæ ipsi inscripsit, a quo erat rogatus: *Quæris a me originem officiorum, quorum Magisterio in Ecclesiis erudimur*. Unde dignoscitur, meditari eum aliquid ejus generis, quod hic effecisse dicitur. De Petro, & Leandro ita Isidorus: *Petrus Ilerdensis Hispaniarum Ecclesiæ Episcopus edidit diversis solennitatibus congruentes orationes, & missas eleganti sensu, & aperto sermone*. Leander: *In Ecclesiasticis officiis idem non parvo laboravit studio: in toto enim psalterio duplici editione orationes conscripsit: in Sacrificio quoque, laudibus, atque psalmis multa dulci sono composuit*. De S. Isidoro nihil attinet referre, quæ S. Ildefonsus continuator libri Virorum Illustrium affirmat cap. 9. nam uberius loquuntur illius opera præsertim duo libri de Officiis Ecclesiæ. De S. Ildefonso sic Julianus in appendice ad Viros Illustres: *partem sane tertiam, missarum esse voluit, hymnorum, atque sermonum*. Ac demum de Juliano libri ejusdem continuator Felix: *Item librum missarum de toto circulo anni in quatuor partes divisum, in quibus aliquas vetustatis incuria vitiatas, ac semiplenas emendavit, atque complevit, aliquas vero ex toto composuit*. De S. Fructuoso Archiepiscopo Bracarensi Scriptor Synchronus in ejus vita hac super re non loquitur; quum tamen e septem Episcopis, quos recenset documentum, sex navasse operam liturgiæ sit exploratum, non est dubium, quin suæ etiam partes Fructuoso debeant tribui teste Archiepiscopo Felice, qui Hispaniarum rem omnem Episcopalem, & Ecclesiasticam abunde norat. Cum literis vero S. Innocentii quam recte hoc monumentum convenit! Nonne Torquatus, sexque reliqui ab Apostolo Petro ordinati sunt Sacerdotes? Nonne missam, doctrinamque Apostolicam ab iisdem Petri missis Hispania didicit? Ne ipsi quidem Hispanorum traditioni repugnat; re siquidem vera adhuc gentilitate, adhuc idolo-latria laborabat provincia, quam ante annos minimum viginti peragrasse tradunt Jacobum, paucissimosque ad Christum conversos secum abstulisse. Hinc est, quod recte Franciscus Macedus causæ hujus propugnator acerrimus, minime interpretatur scholastico more Innocentii literas, ut ab aliis constat esse factum, sed Evangelii prædicationem a fundatione Ecclesiæ secernit, hancque S. Jacobo nullatenus tribuit. Quod porro discrimen si animadvertissent Scriptores tot voluminum labore improbo atque inutili, & nobis molestiam allevassent, & sibi æstimationem aliquam collegissent.

DISSERT. I. CAP. III.

Isid. de off. Eccl. præf.

De Vir. Ill. cap. 13. & 41.

Diatr. cap. 10. §. 5.

III. Missi scilicet: Roma a Sanctis Apostolis Petro, & Paulo.

Scrupulus fortasse unus Ecclesiae rerum candidatis negotium facessit, quod tam Monumentum vetus, quam Gregorius VII. missos docent eos septem Episcopos a SS. Apostolis Petro & Paulo, Innocentius autem fundationes Ecclesiarum Occidentis iis tradit referri acceptas, quos Petrus, ejusque Successores miserunt. Qui ut penitus avellatur, nosse primum oportet, hujusmodi quaestionis parentes esse haereticos, qui inter caetera observarunt, quod Paulus III. in convocatione Concilii Tridentini, necnon Pius IV. utriusque Apostoli Successores se appellant. Hac autem super re doctissime uberrimeque Card. Bellarminus, & Natalis Alexander contra haereticorum objecta. Deinde animadverti debet, quod aliud est Successio localis quo respiciunt Paulus III. & Pius IV. aliud successio potestatis. Haec enim, tamquam centrum unitatis Ecclesiae, anceps esse non potest: quem Petrus habuit consortem doctrinae, & praedicationis; ipsiusque Romanae Ecclesiae fundationis, cum supremae autoritatis sibi tantum a Jesu Christo traditae collegam adhibere non poterat. At enim quis adeo romani moris est inscius, ut perpetuo a nobis servari non videat sacrum ritum nunquam alterutrum sejungendi festis diebus, quos in utriusque honorem recolimus? Quis sacra limina Apostolorum appellari nescit Apostolicam Sedem? Quis ignorat utrumque Apostolorum Principem nuncupari? Quem e contrario praetereat, Christum Dominum ante fundasse super Cepham Ecclesiam suam, ac Petrum constituisse ejus caput visibile (quoniam ipse quum omnia consummasset, ascensurus in Coelum, futurusque deinceps caput invisibile, Vicarium suum, qui suprema eam potestate regeret, declarare dignatus erat) quam vocaret e Caelo Saulum, vasque electionis factum, Doctorem gentium, ac D. Petri Collegam institueret? Quem fugiat, par hoc Sanctissimum, prae aliis Apostolis doctrina, & laboribus Occidentalium vocationi destinatum, Romanae Ecclesiae fontis, & radicis aliarum omnium, fundamenta conjunctim posuisse, ac proprio sanguine conglutinasse? Collegas hinc scilicet Evangelicae doctrinae; collegas passionum, collegas martyrii Apostolos vides; indeque non obscure intelligis, cur utrumque Apostolorum Principem potestate unum, alterum doctrina universus orbis veneretur. Verum ab ipso D. Paulo accipias sua ipsius merita: *positus sum ego* (in Evangelio) *praedicator, & Apostolus, & Magister gentium*. Quo sane officio studio tam ardenti est defunctus, ut semel Petro ipsi se in faciem restitisse glorietur, quod Antiochiae maluisset gentibus, quam Judaeis scandalo esse, occasione videlicet sumendi cum alterutris cibum. Praeter id officium praedicatoris, Apostoli, & Magistri, quod & fundandis, & con-

Bellar. de R. Pont. l. 1. c. 25. & 27. N. Alex. sec. 1. diss. 4. §. 3. tom. 3.

Timoth. 2. cap. 1.

Gal. 2. 11.

confirmandis Ecclesiis maxime conducebat, eratque Apostolorum omnium commune, aliud ipsi præcipuum commissum fuisse, ut prædicationem in omnes, quam longe lateque patebant, Gentes, quæ Christum non audierant, effunderet, ac Petri collega esset in principe Ecclesiarum omnium Romana fundanda, & confirmanda, ut ajebam, certo certius est. Ea vero non constituunt Paulum Ecclesiæ caput, sed prædicatorem, Apostolum, & Magistrum, qualem se esse ipse testatur, scriptaque ejus multa sapientiæ omnis plena palam faciunt.

IV. Quo potissimum anno in Hispan. mitterentur, incertum.

Quæ quum vera sint, ut sunt plane verissima; monumentum igitur, eòque respiciens Gregorius, quippe meram facti historiam narrant, ab utroque Apostolo missos esse in Hispaniam Episcopos tradunt; sed Innocentius, qui rem habet de suprema autoritate Pontificis, eademque utens decernit de sacris ritibus, rebusque aliis ad Ecclesiæ regimen pertinentibus; nihil prorsus de Petri Collega prædicatore, Apostolo, & Magistro Gentium in Evangelio, loquitur; sed Petri unius meminit, cui pascendæ oves commissæ, cui claves traditæ. Quare ibi, quemadmodum semper fieri consuevit, nullo inter Pastorem & Doctorem discrimine, uterque Apostolorum Princeps pari gressu incedit; hic vero, ut semper jure est factum, semperque usque ad Ecclesiæ militantis consummationem fiet, Doctore prætermisso, Pastor dumtaxat, seu caput Ecclesiæ omnis D. Petrus, ejusque successores memorantur; quæ Catholicis quibuscumque sunt perspecta. Itaque duce eodem monumento citra quæstiones omnes, meram historiam in eo contentam expendam; nil siquidem certius aut antiquius de Hispaniarum Ecclesiæ rebus mihi contigit reperire. Ac primum quo Christi anno ii septem Episcopi mitterentur, decet inquirere. Paulus apud Felicem Procuratorem Judææ, & apud Festum, qui illi successit anno Chr. 56. suam causam dicens, & Cæsarem appellans, ad Cæsarem Romam mittitur, ut testantur Acta Apostolorum, ex quorum postremis quatuor capitibus suppetunt profectus, pericula, adventus Apostoli in Urbem, ejusque biennalis prædicatio in conducta domo, quæ post, liber explicit. Iste autem adventus juxta meliores Chronologos anno evenit 58. exeunte, seu sequentis initio, quum temporis Ecclesiam Romanam administrabat Linus a Petro provincias Occidentales obituro creatus Vicarius anno 57. Eodem anno Petrum discessisse, neque ante 62. esse reversum, quum Paulus in Hispaniam iter susceperat, doctissimus Præsul Veronensis Franciscus Blanchinus & suis & alienis observatis luculenter ostendit. Peragratio Pauli non fuit diuturnior biennio; quare anno Chr. 64. utrumque Apostolum in Urbe

Act. 25. 26. 27. & 28.

Anast. Bibliot. t. 2. pag. 53. & seq.

DISSERT. I. CAP. III.

Urbe degere, ubi martyrium fecerunt sequenti, pronum est creditu. Ante id temporis non fuisse in Hispaniam profectos eos septem Episcopos conjicimus, non affirmamus; id certo discimus ex veteri monumento, quod ab utroque Apostolo missi sunt, ac proinde ante Pauli adventum, Petrique reditum ex provinciis non fuerunt Episcopi ordinati. Quin etiam Pauli ex Hispania reditum ordinationi huic præivisse ratio ipsa persuadet; nam Paulus, se teste, prædicare Evangelium non consuevit, præterquam ubi auditum nondum fuerat: in Hispania vero quamquam traditur prædicationem D. Jacobi præcessisse, æque tamen hunc secum abstulisse traditur quidquid converterat; docetque monumentum, gentili adhuc errore Hispaniam detineri, quum septem Episcopi missi sunt; quod cæteroqui non eripit Paulo, si quem retulerat fructum prædicando, & fortasse etiam aliquos baptizando; dummodo ratum id, atque firmum habeatur, quod nec Jacobus ante annos viginti, neque postea Gentium Apostolus ullam in Hispaniis fundaverunt Ecclesiam.

V. Septem primæ Cathedrales Hispaniarum.

Nullum vero arbitror præclarius afferri potest argumentum ad demonstrandum, quod anno Chr. 64. aut sequenti, septem illi Episcopi susceperunt iter in Hispaniam, quam inspectio urbium, in quibus suam quisque sedem constituit. Acci, Bergium, Carcesa, Urci, Abula, Eliturgis, Eliberris, oppida quidem non ignobilia, sed Magistratibus Romanorum impervia, seu adiri saltem insolita, aliis omnibus, tum quæ Rectoribus provinciarum illustria, tum quæ conventibus juridicundo celebriora erant, præferuntur. Neque ulli persuasum erit unquam, id fortuito factum esse; quin potius pro certo unusquisque habebit, aut sævissimæ illius persequutionis, quam excitavit Nero anno eodem 64. spectatores fuisse Hispaniarum Apostolos, aut ejusdem admonitos ab aliquo ex Romanæ Ecclesiæ alumnis, qui evaserunt tyrannidem, antequam illuc pervenirent, consilium cepisse aliud ab eo, quod antea moris erat, Urbes nimirum insigniores omnium primas adeundi. Nisi veram, vero admodum similem rem affirmo; tametsi operæ non multum collocandum reor in iis quæ incerta sunt, ubi non desunt quæ certa. Accitanam urbem sanctissimi illi viri tenuerunt: non vestitus, non incessus, non nova religio Accitanis Civibus persuaserunt, ut peregrinos hospites reipublicæ turbatores crederent; omnia enim arcana erant. Hinc est, quod postmodo divisi omnes, civitatem alius aliam tenuerunt, plerasque non admodum disjunctas, tum quia id fundandi Ecclesiam ingenium erat, ut fundatorem Anglicanæ Augustinum

Lib. 12. ep. 31.

monebat Gregorius Magnus: *Fraternitatem tuam ita volumus in*

in Anglia Episcopos ordinare, ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minime disjungantur, quatenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicujus Episcopi convenire non possint; tum ut sibi invicem adjumento essent, dum demandati muneris per se quisque satageret. Nam Torquato in eadem Accitana urbe remanente, sex cæteri aliorsum iter susceperunt. Ctesiphon petiit Bergium, Esychius Carcesam, Indalecius Urcim, Secundus Abulam, Euphrasius Illiturgim, & Cæcilius Eliberim, quibus in urbibus unusquisque constitit. Harum quatuor Acci, Urce, Illiberis, Illiturgis, versus meridiem sitæ, parumque invicem dissitæ, ita erant constitutæ, ut Urce in finibus Regni Granatensis, urbsque Accitana in parte Boreali ejusdem regni existens, duas ibidem Ecclesias, maritimam unam, alteram mediterraneam exhibeant; Illiberis Accitanæ propior civitati, quam Urce, at magis occidua, nec longe ab ipsa inclyta urbe Granato, tertiam in eodem regno Ecclesiam ostentet; denique Illiturgis orientalior Corduba, super Bætim posita & aliquanto a prædictis remotior, unicam in Bætica, seu Wandalitia Ecclesiam præseferat. Tres reliquas Geographorum sententiæ aliorum aliæ, a quatuor laudatis admodum dissitas, valdeque invicem remotas constituunt; quumque Carcesa, & Bergium exciderint, ita ut ubinam locorum sitæ essent, deprehendere posteris nobis non liceat, antiquorum opinioni standum esse videretur. Quia tamen & hodie extat in regno Granatensi urbs maritima cui nomen *Berja*, paulo occidentalior Adra, lubet mihi cum nuperis sentire, quartamque in eo Regno Ecclesiam collocare, non enim abludit ut vidimus ab ingenio Apostolicorum virorum propinquitas Sedium. Perinde est de Carcesa, quam puto esse Cartejam in Gaditano freto, non Carthesam in finibus Asturum, & idcirco Wandalitiæ alteram esse dandam Ecclesiam judico. Unicam Abulam, hodie *Avila*, in finibus Castellæ veteris ad Orientem positam, negare non possumus valde a reliquis separatam ab Secundo Episcopo electam esse.

VI. Eædem obscuriores ceteris electæ, ut occultiores essent.

Dedi urbes veteres juxta recentem Hispaniarum divisionem, quo facilius incurrerent in oculos Chorographicam earum tabulam perlustranti. Non enim parvi momenti res est inspicere, quantulam peninsulæ partem Apostolici illi viri tenuerint, dum civitates illæ omnes (præter Abulam in illius fere medio existentem) ultra Bætim sitæ, meridionalem Bæticæ partem, non longe a mediterraneo pleræque mari occupabant, una Illiturgi cæteris altiore in ripa ulteriori Bætis emergente. Territi illi scilicet Neroniana tyrannide, maluerunt in proconsulari provincia (quam sub Neronis imperio magistratus annuos gubernasse, ostendit regimen Tarraconen-

DISSERT. I. CAP. III.

conenſis, ſeu citerioris Hiſpaniæ ab eo commiſſum Proprætori Galbæ, ut ſupra diximus) verſari, quam in Prætoria; plus enim fiduciæ in Senatus, & populi Magiſtratibus ſæpe Chriſtianam profitentibus religionem collocaverant, quam in Augufteis, quorum Deus raro alius erat a Principe. Quod ſane inſtitutum fundandæ inter gentes Eccleſiæ, non modo Apoſtolicorum virorum, ſed etiam Apoſtolorum fuiſſe in more poſitum comperiemus. Quamvis enim negari non poſſit, quod Paulus Apoſtolus, nequicquam adverſante republica Hebræorum, nequicquam territante Romano imperio, & in Sinagoga, & in Areopago Evangelium prædicavit; teſteturque de Apoſtolis cæteris Tertullianus, quod *neminem verebantur, non Judæorum vim, non Ethnicorum*; divino ſiquidem cogente Spiritu, nec tormentis, nec cædibus a ſuſcepto munere poterant retardari; tamen ſi animadvertas Romanæ ipſius Eccleſiæ aliarum fontis, & radicis fundamenta: quam caute, quam latenter poſita fuiſſe cognoſces! Miraberis converſorum multitudinem, Eccleſiarumque tum domeſticarum, tum publicarum numerum, quibus Corintho Paulus ſalutem dicit; at Petri fundatoris ne nomen quidem occurret. Paulum quoque poſtmodo prædicantem Romæ in conducta domo per biennium cum omni fiducia, & ſine prohibitione non ſolum Judæis, ſed omnibus quiquumque ad eum ingrediebantur, nuſquam invenies publice & palam docuiſſe. Quid plura? utrumque Apoſtolorum Principem, ſi Chriſtianos demſeris, qui probe norant, & venerabantur divinam utriuſque vitam, & cæleſtem doctrinam, ab Ethnicis confundi audies cum multitudine, nulliſque ab eadem meritis diſtingui, aut de Chriſtiana religione ſit ſermo, aut de eadem per tormenta & cruces extinguenda cogitetur.

De præſcr. cap. 26.

Rom. c. ult.

Acta Apoſt. c. 28.

VII. Perinde factum erat ipſa in urbe Roma.

Neque, ut verum fatear, potuit ſecus fieri; res enim erat de nova, adverſus Romanorum leges, inducenda religione, quæ gentium mores impios aboleret. Sed ipſa hæc impietas Romanis ignota, putabatur religio, cui quicquid adverſabatur, ſuperſtitio erat: quare Chriſtiani etiam nomen flagitium videbatur. Juvat teſtimonio Scriptorum ejus temporis tam ex Ethnicis, quam ex Chriſtianis opiniones aliorum alias de catholica noſtra religione proferre. Neminem latet, quod primam Eccleſiæ perſecutionem movit Nero, quum autor incendii Urbis jure creditus, hanc ab ſe notam amovere nullatenus potuit; quare in Chriſtianos, quorum non pauci erant detecti, culpam omnem rejecit. Audiatur integer rei teſtis Tacitus: *Non ope humana*, inquit, *non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin juſſum incendium crederetur. Ergo abo-*

Annal. 15. n. 44.

abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Autor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat non modo per Judæam originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Apostolorum Principem inter cruci affixos, Doctorem gentium inter capite plexos nullo discrimine recenseri vides, ita ut nisi Christianus Autor rem testetur, vix persuaderi tibi possit, ea occasione Apostolos martyrium fecisse. Dubium omne amovebit S. Clemens: *His viris* (de Petro, & Paulo sermo est) *qui divinam vitam duxerunt, aggregata est ingens Electorum multitudo qui multas contumelias, multaque tormenta propter æmulationem passi exemplo pulcherrimo apud nos fuerunt.* Sanctum utrumque Apostolum, multosque alios partim Evangelium minime erubescentes, partim quæstione expresso indicio delatos, ultimo supplicio affectos non obscure intelligis: vides insuper S. Clementem, aliosque Christianos occultos a nemine indicatos, fuisse superstites. Quare argumentum firmius aut præclarius isto, quod attuli ex fundatione ipsius parentis Ecclesiarum omnium, ipsiusque Episcoporum Episcopi fundatoris methodo, nec desiderari debet, neque afferri. Caute nunciari oportuit fidem inter Gentes, eamdemque semel amplexi homines monendi fuerunt, ut custodirent occulte.

Ep. 1. ad Corinth.

VIII.
Ita erat facilius persecutiones evadere.

Huc accedit, quod divinitus factum esse videtur, ut Apostolici illi viri quam maxime occultas sibi sedes eligerent; nam dira illa Christianorum persecutio in provincias etiam transiit, missis ad Rectores earumdem decretis. Quo præsertim anno id factum fuerit, inter Autores non convenit, Baronius enim vult missa decreta anno Chr. 69. qui ob biennii anachronismum satis notum apud Annalium parentem, est 67. alii autem sub ipsa principia missa esse contendunt. Quocumque autem anno evenerit, sæviisse in Hispaniis persequutionem testatur vetus inscriptio apud Baronium, Aguirrium, & alios celebris:

NE-

DISSERT. I.
CAP. III.
Gruter. pag. 238.

NERONI. CL. CAES.
AVG. PONT. MAX.
OB. PROVINC. LATRONIB.
ET. HIS. QVI. NOVAM.
GENERI. HVM. SVPER.
STITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.
. . . .
. . . .

Suet. Tr. Galb. c. 7.

Id. in Othon. c. 3.

Id. in Galb. cap. 10.

Hanc, licet mutilam, positam esse a Proprætore Galba, qui citeriorem administrabat Hispaniam (*in oppido*, ait Suetonius, *Fundis moranti Hispania Tarraconensis oblata est*) pro certo habeo; atque ea propter ibi tantum sæviisse conjicio. Otho siquidem Silvius per idem tempus Lusitaniæ Legatus, *provinciam administravit quæstorius per decem annos moderatione atque abstinentia singulari*, Suetonio eodem teste, qui Galbæ inæqualitatem, sævitiam, avaritiam detestatur. Observatu tamen est dignum, quod sæviente Nerone is mitior factus erat; *propositis ante se damnatorum, occisorumque a Nerone quamplurimis imaginibus, deploravit temporum statum; consalutatusque imperator, Legatum se senatus ac populi romani professus est*. Quamobrem tota errare via non dicar, si majorem ea inscriptione severitatem indicari, quam quæ esset adhibita, affirmavero. Metus tyranni, & affectatio imperii secus persuadere non poterant Galbæ homini vafro, ut assentatione Claudium, benignitate subditas Claudio provincias demereretur. Hinc est quod septem ex Episcopis unum Secundum, & quos ipse constituerat sui ministerii adjutores fecisse hac occasione martyrium crediderim; quamquam densa omnia nube sunt tecta, neque aliud tam de Secundo quam de aliis suppetit, præter reliquiarum translationem, cætera tuente traditione, quam sequutus Gregorius VII. confirmasse eos ait Ecclesias proprio Sanguine veteri tamen documento id minus testante. In hanc ego opinionem venio conferens ea verba inscriptionis. *Purgatam provinciam his qui novam generi humano superstitionem inculcabant*, cum aliis multo posterioris Diocletiano positæ, *nomine Christianorum deleto, qui rempublicam evertebant*. Quum præsertim utramque esse repertam Cluniæ testentur Scriptores, utut de priori inconstanter id tradant. Quod etiam facit, ut minus probem Baronii conjecturam de Ecclesia Hispaniarum, quod nimirum florentissima tunc esset. Quæ enim brevi triennii ad summum opera Apostolicorum esse poterat? Sed de fundatione jam satis multa, per-

Bollandiani cal. Feb. 6. non. Maji &c.

Baron. to. 1. an. 69.

pergendum modo eſt ad Eccleſiarum progreſſum inter Cæſarum perſequutiones. DISSERT. I. CAP. III.

§. IX. Progreſſus Eccleſiæ Hiſpanienſis.

De Eccleſiæ Hiſpanæ ingenti, ſingularique, ut verum fatear, inter tam effrenatas Cæſarum perſecutiones progreſſu ſermonem inſtituens, Livii Sententiam uſurpabo: *Sicut proditum memoriæ a proximis temporum illorum Scriptoribus libens poſteris tradiderim; ita meas opiniones, conjectando rem vetuſtate obrutam non interponam.* (Dec. 3. l. 9.) Atque utinam minus vere id ego dicerem! At quem fugiat ſæviſſimi Principis Diocletiani perfidia, qui Chriſtianos ubique abſumere non contentus, memoriales præterea codices Notariorum, ſacroſque alios libros adoleſcentis Eccleſiæ uri voluit, unde ſuppeterent ingentia, certiſſimaque Eccleſiæ Hiſpaniarum incrementa? Poſt centum circiter, & triginta annos Hiſpania omnis habebat Eccleſias, eamque ob id præ aliis effert coævus Scriptor Tertullianus: *Getulorum*, inquiens, *varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa romanis loca Chriſto vero ſubdita.* (Adv. Jud. cap. 7.) Tertulliano autem adſtipulantur tum Prudentius Poeta Hiſpanicus, qui Martyres ſub variis Tyrannis paſſos ſacris hymnis commendat, tum Patres in Concillo Eliberino, ſeu Illiberitano congregati. Ille ſiquidem in libro περιστεφάνων, octo urbium *Cordubæ, Tarraconenſis, Cæſaraugustæ, Gerundæ, Calagurris, Barcinonis, Complutí, & Emeritæ*, cives martyrio in iiſdem affectos enarrans, ibi fuiſſe Eccleſias omni procul dubio demonſtrat; Concilii autem Illiberitani undeviginti Epiſcopi ex Urbibus *Acci, Hiſpali, Agabra, Menteſa, Urce, Cæſarauguſta, Toleto, Oſſonoba, Eliocrota, Malaca, Corduba, Tucci, Caſtulone, Illiberi, Emerita, Legione, Salaria, Elbora, Baſti*, quarum tres dumtaxat a Prudentio laudantur, ſeptemdecim certas Eccleſias exhibent, omnino quatuor & viginti Eccleſiis fidei progreſſum tota Hiſpania teſtantibus. Prætereo ſex & triginta presbyteros, quorum pars alias referebant Eccleſias, pars ex enumeratis ad Concilium venerant cum ſuo quiſque Epiſcopo; nam duodecim interciderunt, hiſtoriamque ob id non integram ſuppeditant; huc accedit, quod imminente Diocletiani tyrannide, non omnes undique Epiſcopos congregari par erat, ne omnes martyrio ſe exponerent. Quamobrem divinare non dicar, ſi perſuaſum eſſe omnibus velim, quod negari mihi non poteſt, nulli Hiſpaniarum civitati ſuum Epiſcopum, ac proinde ſuam Eccleſiam defuiſſe tertio ſeculo exeunte. Verum quemadmodum in ulteriori Hiſpania omnes ab Apoſtolicis iis viris duxiſſe originem, aut ſaltem ab eorum ſucceſſoribus pronum eſt creditu; ita id de citeriori affirmari non poteſt;

quod vere extinctam ibi Ecclesiam a Propraetore Galba per Martyrium Secundi, aliorumque, qui catholicam religionem *inculcabant*, demonstret; nam siqui absque Episcopo Christiani remanserant, ii Ecclesiam minime constituebant. Qua ex re discrimen illud magnum eruitur, quod inter Caesaris, Senatusque ac Populi romani provincias intercedebat: quamvis enim Patricii plures dum annuo fungebantur magistratu, ut Caesarum gratiam inirent, aeque ac Legati seu Propraetores tyrannidem exercerent, tamen annua mutatio saepe Catholica imbutos religione in provincias mittere cogebat, quos communis causa praesidium magis, quam necem attulisse nos docet. Eripuerint bono omine (non enim vacat inutilibus immorari quaestionibus) demum Caesares provinciam populo, sibique vindicarint: at Ecclesiae jam licuerat tam alte, tamqne late radices fundere, ut, modo custodiretur occulte, penitus eradicari amplius non posset.

X. Nova missio in citerior. Hispaniam facta.

Et sane in ulteriorem Hispaniam novos missos esse Episcopos nusquam legi; sed in citeriorem constat S. Eugenium Discipulum, sive, ut alii putant, socium S. Dionysii Parisiensis profectum esse, suamque Toleti sedem collocasse. *Eodem die*, ait Maurolycus in martyrologio XVII. cal. Dec., *S. Eugenii Toletani Pontificis a B. Dionysio ordinati, qui apud Parisiensem pagum consummato agone passionis coronam percepit a Domino*. Et luculentius in topographia; *Eugenius*, inquit, *a Dionysio Episcopo Parisiensi Episcopus Toletanus ordinatus, quumque ipsum reviseret, juxta urbem decollatus, & in lacum projectus, inde anno tricesimo repertus in ipso Magistri templo conditus, cujus brachium a Ludovico Rege Toletanis concessum, fuit multae venerationis*. Attuli ex hoc Agiologo historiam, brevitatis ergo, licet non omnino veram; triginta enim annis post mortem S. Dionysii non erant templa Christianorum. Extat praeterea Leodiense concilium anno Chr. 903. ab Episcopo Stephano celebratum pro vindicandis reliquiis S. Eugenii Toletanae Urbis Episcopi primi, a Monachis S. Dionysii dono datis Gerardo Abbati Broniensi. Et P. Jacobus Breulius Monachus Sangermanensis refert, quod anno 1148. Raymundus Toletanus Antistes ad Remense concilium profectus, vidit S. Eugenii Sepulchrum Parisiis, primusque nunciavit Gallis rei gestae historiam, & locum sepulchri; anno vero 1565. sacrum corpus in Hispanias allatum a Philippo II. celeberrima pompa acceptum fuit, Toletanaeque Ecclesiae dono datum. Hic Eugenius fuit Gothis ignotus, nisi forte a Constantini aevo recensere Episcopos contenti, eos neglexerunt qui praeiverant; quum duo tantummodo extent in catalogis, hic Eugenius, & Melantius, qui Concilio Illiberitano interfuit. Verumtamen de co-

In lib. S. Ildef. de VV. Ill. c. 13. & 14.

eodem quin dubitare debeamus, faciunt Catalogi tum editi tum MSS. priori eum loco numerantes, traditio antiquissima, & consensus Scriptorum. Vera hujus missionis ætas nequicquam quæritur; pendet enim ab incerta, siquid maxime, Dionysii Parisiensis chronologia. Hunc Hilduinus Abbas Areopagitam Athenarum primo, deinde Parisiorum Episcopum facit; Gregorius autem Turonensis duos distinguit Dionysios. Hinc concertatio ingens nata, qua eruditi adhuc digladiantur. Equidem Emmanuelis a Schelestrate, & Antonii Pagii senioris exemplo, probandis, improbandisve aliorum scriptis non insistam, neque in Pagii junioris mediam sententiam eam pedibus; sed integram disputationem relinquam iis, quos negotium magis urget. Ad nostrum Eugenium quod attinet, Mariana consignat ejus martyrium anno Chr. 99. alii, quos inter Ribadineira, 120. ab eorum alterutro non abludunt catalogi; alii enim ab anno 68. alii a 112. circiter illius Episcopatum auspicantur. Certius quicquam non suppetit: at opinio utraque improbabilis; etenim quamvis anno 68. iv. Idus Junias Nero se confecit, persequutio desiit, Clemensque, cui tribuitur ordinatio Dionysii, erat Romanus Pontifex; nimis tamen angusta tempora a veritate abhorrere primam opinionem ostendunt: alteram vero condemnant Dionysii Areopagitæ assertores; nam Nestoreos illius annos respuunt; nec Dyonisii alterius vindices defendunt, quippe maximo distat intervallo ab Imperio Decii, quod prope dimidium seculi tertii cœpit. Quare certam Eugenii epochem cogor in medio relinquere, ut feliciora ingenia vires suas periclitentur.

Dissert. I. Cap. III.

Schel. ant. Ill. p. 2.
Pag. a. 834. n. 9. seqq.
Pag. jun. brev. Pont. t. 4.
Hist. Hisp. lib. 4. c. 4.

XI. Eadem multis fabulis inspersa ab Impostorib.

His tamen non moveor, ut novam hanc missionem, aliunde certam, in dubium revocem, pari enim fortuna uti video fundationes Ecclesiarum omnium occidentis, quamquam Hispanica præ iis laboret etiam vulnere perquam alto ab impostoribus inflicto, quo præcipua ejus fundamenta vacillant, & claudicant. Id enim est proprium eorum, qui a Majoribus tradita, ad significandum quidquid lubet pertrahunt, ut immensis ea commentariis onerent, quæ si Scriptor veritatis amans impugnet, subinde nova primis ampliora conficiant, quibus veritatem nisi opprimunt, saltem infirmant, resque antea certas, controversas posteris transmittant. Quid certius septem primis Episcopis, quos supra retuli? tamen quia eorum acta non extant, ita ut extra Hispaniam ne octavo quidem seculo essent agniti, ut testatur martyrologii genuini Bedæ silentium, nova ab impostoribus confecta sunt, tot fabulis, totque ineptiis referta, ut res vera falsitati proxima Eruditis videatur. Legesis apud Bollandianos exemplum. Quid S. Jacobi prædicatione

Acta SS. d. 15. Maji.

Dissert. I. Cap. III.

catione probabilius, si sola Hispanorum traditione niteretur? tamen Scriptoribus antiquis appingere non contenti opera spuria, ut palam feci, priusquam sacra Jacobi lipsana cælitus monstrarentur, postea etiam confingunt Pontificias literas, quas nemo unquam vidit. Hujusmodi est epistola, quæ dicitur a Leone III. ad Elipandum Archiep. Toletanum data super translatione Sedis Episcopalis ab Iria Flavia Compostellam, in qua esse ajunt mentionem controversæ prædicationis; at ipsi Card. Aguirrio dubia est: *Licet multi*, inquit, *nostrorum asserant, ego testari non ausim, donec in authentico aliquo exemplari id legere contingat*. Et sæpe laudatus Cuperus V.C. Tillemontio objicit Joannis Grimaldi Præfecti Archivi Vaticani editionem selectarum rerum Summorum Pontificum, quam ingenue fatetur se non vidisse, atque interim obtrudit epistolam Leonis III. ex lectionibus breviarii Eborensis, in qua nil de prædicatione, nil de discipulis enarratur. Quid constantius tum apud catalogos, tum apud Scriptores, nova Eugenii primi Præsulis Toletani in citeriorem Hispaniam missione? tamen excogitanda ab impostoribus fuit societas nominum, expiscanda nobilitas, confundenda tempora, &, ut paucis multa complectar, res traditione majorum nitens inter speciosas fabulas rejicienda. Valeant hæc humano generi damnosa ingenia, eorumque sordes moveantur ab iis quibus sapiunt. Equidem Eugenii missionem pro certa habeo, tum quia hos fabulatores novi res origine sua certas contaminare, tum quia Melantius Concilio Illiberitano subscribens catalogis fidem addit, in quibus ante Constantinum Magnum, unde numerare incipit Ildefonsus, duo tantum recensentur, Eugenius, & Melantius. Eugenio autem antiquior Episcopus non occurrit in citeriori Hispania præter Apostolicos; tertio enim seculo vetustiorem neque Acta Martyrum, neque alia documenta, quæ opportune afferam, indidem Antistitem suppeditant, Tertullianus ipse, quo teste didicimus, Hispaniarum omnes terminos Christo esse subditos, florebat exeunte altero, tertioque seculo ineunte. Quin etiam, ut, quam fieri potest tardius, Martyria in Gallias, auspice Dionysii discipulo Eugenio, introducamus (ajente Sulpitio Severo: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans alpes Dei religione suscepta*) præstare id non possumus citra annum 163. quum cœpit persecutio Aurelii, quam Sulpitius vocat quintam, quum vere sit quarta. Atque ea propter recte Tertullianus dixerit, quod *Galliarum diversæ nationes* suo ævo Christi fidem amplexæ erant; etenim quum scribebat, persecutio, quæ religioni posterior est, quadraginta ante annos cœperat.

To. 1. Conc. diss. 9. n. 56.

To. 6. Jul. comm. n. 35.

Sulp. Sev. Hist. Sac. l. 2.

Quam-

XII. Præfertim materiales Ecclesias, seu Basilicas effutiendo.

Quamobrem, nisi ego mu'tum fallor, Eugenii missio in Hispaniam Tarraconensem circa dimidium secundi seculi facta fuit, gloriaque omnis propagatæ in eadem provincia religionis, Toletano huic Episcopo tribui debet, utpote omnium post Apostolicos, antiquissimo. At non propterea ullam adhibere fidem oportet eorum somniis, qui Eugenii traditionem fecerunt dubiam, in altiorem, quam par erat, antiquitatem rejiciendo S. Episcopum, ut gloriam Primatus vindicarent Toletanæ Sedi; quare & Apostolicos Septemviros tam inepte habuerunt, quia Toletum Accitanæ urbi prærogativam non posse eripere animadverterant. Nam Primatus dignitas, ea scilicet major Metropoliticâ, non habet originem ab antiquitate fundationis Ecclesiæ quæ, si nesciunt hujusmodi, vindicesne an assentatores appellem ignoro, non constituit ullam omnino prærogativam Ecclesiarum. Secus enim centrum unitatis, & religionis Romana Sedes loco cederet Antiochiæ, quæ item concederet Jerosolymis: quo argumentandi genere uti hæreticos nemo ignorat. Quid si iisdem ostendam fructum, quem collegerunt, fundationem Ecclesiæ Hispanæ tribuendo (reclamante eorum traditione, quæ est de prædicatione, non de fundatione Ecclesiæ) S. Apostolo Jacobo? Adoptavit audacissimus, & juxta ignorantissimus omnium hominum Lutherus falsam hanc doctrinam fundatæ per Jacobum Majorem Hispaniarum Ecclesiæ, eaque utens, ut Petro & Romanæ Ecclesiæ primatum eriperet, argumentum istud confecit: *Si romana Ecclesia est prima propter primum Apostolum Petrum, eadem necessitate confitebuntur, Compostellanam esse secundam propter Apostolum S. Jacobum, & Ephesinam tertiam propter Apostolum tertium Joannem, & sic per ordinem Apostolorum.* Veniam mihi habituros confido eruditos Hispanos, qui hujusmodi figmenta amandarunt in ultimas Anticyras, si eo usque devenire sum compulsus præ stomacho, quum præsertim viderim, præclaris adeo formis ornata volumina ex figlina impostorum profecta bibliothecarum pluteos occupare, ut impossibile prorsus futurum duxerim, quin Ecclesiæ rerum tirones usurpent oculis, ac mente, tot Ecclesiasticæ historiæ depravationes, uno dumtaxat nomine toleratas, quia nil nisi pium, nil nisi catholicum, quamvis fraus ubique lateat, in iisdem continetur. Quapropter ab illis flagito, ut trium Ecclesiæ seculorum ante Constantinum Ecclesias in gratiam tironum me patiantur describere, antequam de tabula manum tollam; nam præ aliis, quæ illi perperam docent, materiales Ecclesias, seu basilicas nonnisi post Constantinum ædificatas, in Hispaniis ubique positas autumant ipsa sub religionis initia, quum caute, & occulte ab Apostolis, Apostoli-

Resol. prop. Lips. disput. n. 15.

Dissert. I. Cap. III. XIII. Ecclesiæ materiales non erant primis seculis. Act. 2. Act. 20. Coloss. 4. 15.

stolicisque viris fides ubique locorum, & gentium propagabatur.

Congregatio fidelium plurium pauciorumve in aliqua domo, locoque aliquo separato, ac sæviente persequutione in cryptis maxime occultis, cum suo Episcopo, ubi Synaxes, & collectæ absque metu fierent, Ecclesia prisci illius ævi appellabatur. Scripturam non uno in loco rei testem habemus: *Frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione. Una sabbati quum convenissemus ad frangendum panem. Salutate Nympham, & quæ in domo ejus est Ecclesiam.* Id tantum peculiare erat hujusmodi domorum, locorumve, qui conventubus hisce sacris destinabantur, ut minime profanarentur, habereturque iis idem honor, quem domus Dei, seu sacræ ædes, postea ædificatæ, a nobis exigunt. Hinc est, quod Paulus acerbe reprehendit Corinthios secus facientes: *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Nunquid domos non babetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Quamobrem sacræ ædes, Concilia inibi celebrata, & Hierarchicus in Hispaniis ordo, persecutionum tempore, dubii plena omnia sunt; neque id præterit eruditos Hispanos; nam Hierarchicum ordinem quod spectat, luculenter Ferdinandus de Mendoza, proposito exemplo Martialis & Basilidis, de quibus infra agemus, *Si is ordo Hierarchicus*, inquit, *erat in Hispania, quare oborta causa criminum Basilidis, & Martialis Episcoporum, non ad metropolitanum ejusdem provinciæ, sed ad Africam recurrerant, ad Carthaginensem videlicet Episcopum, Cyprianum? quum Episcoporum causas ad Primatem esse deferendas sciamus.* Et de Conciliis septem (videlicet Eliberri anno Chr. 57. in Cheronensi urbe 60. Toleti 105. & 112. Hispali 159. ignoto in loco Anthero Pontifice 235. & Bracaræ 252. ac præterea sub Sixti Papæ Legato, Toletano tertio, quod superioribus adjectum ante annum 260. quum sæva invalescebat Valeriani & Gallieni persequutio, simul cum Tarraconensi anni 270. novem Conciliorum numerum explent) de his, inquam conciliis, ita exclamare cogitur ipse Card. Aguirrius, quem non semel patronum experiuntur pseudo-Chronici, *Admiranda conciliorum multitudo in una Hispania sub crudelissimis persecutoribus, si modo vera!* Et infra sugillans præstigias: *Ad quid igitur*, ait, *in Hispania tot Concilia, quatuordecim annis postea, ut doctrina a Romano Pontifice* (Stephano) *tradita adversus eosdem rebaptizantes examinaretur, aut stabiliretur?* Quod vero spectat ad sacras ædes (tales enim interpre-

1. Cor. 11.

In Conc. Illib. l. 3. c. 41.

Concil. to. 1. diss. 9. n. 147.

pretantur Ecclesias nascentes Fidelium) earum faciem attente inspicere oportet ducibus illis adhibitis, quorum e re erat singula indagare : neque id quidem in sola Ecclesiæ fundatione, quod nuper fecimus ducente Apostolo, quemadmodum factum erat superius de Apostolica sede, in prima Christianorum persecutione a Nerone Claudio excitata ; sed in ejus progressu usque ad persecutorem ultimum Diocletianum. DISSERT. I. CAP. III.

XIV. Congregationum seu conventuum descriptio.

Quinque & quadraginta post martyrium Apostolorum annis Proconsul Bithyniæ Plinius junior, sæviente persecutione, jubetur in Christianos animadvertere. Is vero re penitus explorata, ubi propter numerum Christianorum, qui aut non erubescentes Evangelium ultro se sistebant Proconsuli, aut ab aliis deferebantur, consilii aliud capiendum agnovit, ita præ aliis eorum Ecclesias describit Trajano: *Hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem : seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent*. De statis hisce diebus, qui erant Dominici, de antelucanis horis, de psalmodia, deque aliis rebus a Plinio indicatis dicam sequenti capite, quum de disciplina agam, omniaque exprimam ex Concilio Illiberitano habito sub initia seculi quarti. Quare si memoria teneatur Plinii hæc descriptio, palam erit, quod Hispaniarum Ecclesiæ conditio post annos circiter bifcentum, vix, immo ne vix quidem quicquam diversa erat. Cæterum severissimis prohibebantur legibus prisci illi Christiani, quæ minime vulgabantur, revelare, cujusmodi præstantissima exempla mox adducam : eaque propter Proconsulem Trajano de iis nihil scribere animadvertes. Hæc præcipue arcana erant, ut in Actis Sanctorum Martyrum videre est, Evangelia, & Apostolus, seu Epistolæ Divi Pauli, & quidquid aliud erat novi & veteris Testamenti, ut eruitur ex actis Martyrum Scillitanorum apud Card. Baronium, quæ memorant *omnem divinitus inspiratam scripturam*. Et quidem merito ; inde enim doctrina omnis fidei, ejusque fundamentum omne petebatur : ad sacram ejusmodi lectionem conveniebant Christiani, eaque non semel occasione detecti ad martyrium abripi consueverunt : ac demum sacra mysteria non fiebant absque iis sacris Codicibus in quibus ista continebantur : non quod liturgicum omnem ordinem præseferrent, qui diu perseveravit scriptus in tabulis cordis Episcoporum, & presbyterorum juxta traditionem ; etenim ut docet Tertullianus *Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam*

Plin. Jun. l. 10. ep. 97.

Bar. an. 202.

De cor. Mil. cap. 4.

DISSERT. I. CAP. III.

lam invenies. *Traditio tibi prætenditur autrix*, *consuetudo confirmatrix*, *& fides observatrix*; sed quia docente S. Justino philosopho & martyre in sua apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium & S. P. Q. R. in sacris iis mysteriis fundebantur preces, laus cum gratiarum actione reddebatur, adhibebantur lectiones Apostolorum vel Prophetarum &c. Hinc est, quod ubi crudelissimi omnium Cæsarum Diocletianus, & Maximianus bellum moverunt sacris iis codicibus, quippe qui de radicitus evellenda Christianitate cogitarant, Martyrum constantia illa ingens cœpit, qua tormenta & mortem traditioni codicum præferebant; factumque nomen *Traditoribus*, iis, qui pœnarum genere perterrefacti aut indicare, aut tradere eosdem codices ausi sunt.

XV. Eædem quammaxime occultæ erant Infidelibus.

Verum non ista dumtaxat, quæ cautum erat, ne Christiani evulgarent, occulta erant iis, qui Ecclesiam persequebantur; sed ipsæ illæ domus, ubi collectæ fiebant, Collectoresque ipsi, seu Episcopi, & presbyteri ignorabantur. Possemque exemplis lectorem obruere, nisi unum, aut alterum satis esse viderem ad demonstrandam rem per se claram. Primum peto ex Actis S. Saturnini & sociorum martyrum in Africa: Hi gloriosi martyres multi numero, ubi prædicta Cæsarum rabies emersit in sacros Codices, Proconsuli Anulino, anno Chr. 304. die 12. Februarii sistuntur Carthagine. Capti iidem fuerant in urbe Abitinensi a Magistratibus *in domo Octavii Felicis*, in qua Dominicum celebrabant (est Dominicum is conventus, in quo sacra mysteria fiebant, collecta vero aliis omnibus fidelium congregationibus convenit) missique Carthaginem. Singillatim rogantur a Proconsule, num collectam, & Dominicum celebrarint? Constantiam martyrum, simulque silentium in iis, quæ arcana erant, videsis in ipsis Actis satis prolixis: aliquem tamen eorum non celare Præsidem quis fuerit Collector, nam martyrio paratum cernebat cum sociis, animadvertes. Sic Thelica interroganti Anulino. *Quis autor tecum congregationis vestræ? crudelius sæviente carnifice, clara voce respondit*: *Saturninus Presbyter, & omnes*. Et dum Saturninus penderet in equuleo, & interrogaretur: *Utrum autor ipse esset & omnes ipse adunasset, & diceret*: *Etiam, ego præsens in collecta fui*. *Emeritus lector ad certamen exsiliens, congrediente presbytero*: *Ego sum autor, inquit, in cujus domo collectæ factæ sunt*. Quod postmodo confirmans in quæstione: *In domo mea*, inquit, *egimus Dominicum*. Sciscitanti autem Proconsuli: *Habes ergo scripturas aliquas in domo tua? Habeo*, inquit, *sed in corde meo*. Iterum: *in corde meo illas habeo*. Clarius etiam *Ampelius custos legis* (verba actorum sunt) *scripturarumque divinarum fidelissimus*

Ruinart. Act. Sinc. pag. m. 341.

mus conservator: nam interrogatus ita tyrannum delusit: *Cum fratribus feci collectam, Dominicum celebravi, & scripturas Dominicas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas*. Alterum vero exemplum sumo ex Siciliæ insulæ urbe Catanensi. Eodem anno 304. quum vulgata in omnibus provinciis essent impiorum Cæsarum edicta, martyrium fecit Cataniæ Euplus Diaconus sub Calvisiano Consulari. Hic factus obviam tyranno cum Codice Evangeliorum, quem suum esse aperte fatebatur, ad quæstionem ducitur, positusque in tormentis interrogatur; quare eas lectiones ab Imperatoribus vetitas non tradiderit? *Quia*, inquit, *Christianus sum, & tradere non licebat; magisque expedit mori, quam tradere. In his vita æterna est. Qui tradit, vitam æternam perdit. Ut eam non perdam, vitam meam do*. Multa ex his discimus: Extremo nimirum seculo tertio a presbyteris etiam absque Episcopo collectas, & Dominicum celebrari; & ab ipsis Diaconis fieri collectas, citra Dominicum; eadem adhuc celebrari in privatis domibus, quæ persecutoribus ignotæ erant; conditionem, cultumque externum Presbyterorum & Diaconorum, Lectorumque & aliorum, nihil prorsus ab omnium communi differre; sacros codices tam arcanos teneri consuevisse, ut Fideles maluerint vitam, quam eos, profundere.

DISSERT. I. CAP. III.

Ruin. ibid. pag. 261.
Baron. ad an. 303.

XVI. Episcopi exteriique nullo exteriori cultu secernebantur.
Ruin. Act. Sinc. p. 364.

Dixi presbyteros, & cæteros communi amictu incedentes fefellisse persequutorum insaniam; dixissem id quoque moris fuisse Episcoporum: Porro ita docent Acta S. Philippi Heracleensis Episcopi, quæ Ruinartius affert ex Analectis Mabillonii; nam S. Episcopum coram se constitutum interrogat Bassus Præses his verbis: *Quis ex vobis* (erant cum Philippo Severus presbyter, & Hermes diaconus agonis socii) *Christianorum magister est, aut Doctor Ecclesiæ? Respondit Philippus: Ego sum ille, quem quæris*. Atque eodem pacto Justinus annuo in Magistratu Successor Bassi: *Tu es Episcopus Christianus? respondit Philippus: Ego sum, negare non possum*. Hæc nosse illos oportebat, qui tam liberaliter ausi sunt nobis imponere: aut nisi ab Sacrosancta ea vetustate Ecclesiæ amabant instrui, non deerant in recenti Ecclesia exempla Episcoporum misera, quæ pristinam Cæsarum persequutionem referrent. Nostra etiam ætate nonnulli alicubi insignem, qua ornantur, dignitatem adeo satagunt occultare, ut proprias dumtaxat oves non fallant. Haud pridem est, quum ipse sum deceptus Romæ ab hujusmodi Antistite. Mercatorem credidi: quin vestitu, incessu, alioque omni exteriori cultu illusus, penu potius egentem putavi hominem, quam mercatorem divitem: ac propterea Mercatorem certum uno eodemque in loco degentem prætuli ignoto Episcopo; cumque

DISSERT. I. CAP. III.

illo agens perhumaniter, nulla hunc veneratione, obsequio nullo sum prosequutus. Quamobrem ferre eorum scripta nequeo, qui fulgorem, majestatemque Sacerdotii & religionis suorum temporum, priscis illis calamitosissimis apposuerunt. Hi tamen adhibentur duces (atque utinam cessatum jam esset!) tum a plerisque ex Hispania hominibus, tum a nostratium quoque non paucis; ita ut jure timeam, ne ad detergendam historiam istam toto animo incumbens, injuriam dicar, quam beneficium pluribus contulisse. Cæterum ex Actis Heracleensis Episcopi nuper laudatis, præter *Dominicum*, id nimirum conventuum genus, in quibus sacra peragebantur mysteria, & *Collectam* nomen quibusvis conventubus congruens, confirmatum videmus quod Pauli autoritate docebam, loca illa utquumque domestica, & occulta, nullisque aut sacris imaginibus, aut aliis ornamentis, venerationem domus Dei præseferentia, ita enim faciendum persuadebat instaurata identidem persequutio, semperque libertas religionis negata, summæ apud Christianos reverentiæ ac venerationis fuisse, non secus ac basilicæ postmodo excitatæ, ac templa magnifica idolorum profano cultu expurgata, cultuique veri Dei in Sanctorum honorem dedicata. Quin etiam e re esse duco animadvertere cum doctissimo Valesio, quod priscis iis temporibus Ecclesiæ nomen privatum erat ejus congregationis Fidelium, cui Episcopus præerat. Neque enim repugnant Acta præsentia, ubi ajunt Philippum *Dominici foribus* innixum; iterumque *in Heraclea ad Dominicum convenisse*; quippe vicissim Ecclesiam, & Dominicum appellari in iisdem constat. Quare colligimus, quod Ecclesiæ Episcopi etiam Dominici nomen tribui consuevit; at Dominico, seu Collectæ illi cui presbyter, aut Diaconus præerat, Ecclesiæ nomen minime adscribebatur, ut liquet ex Actis Martyrum. Recte autem sentire Valesium docent Patres Illiberitani, ajentes: *Si quis in civitate positus per tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur*. Civitatis enim Ecclesia solum memoratur, quia extra civitatem non constituebatur Episcopus: & siqui in vicis, aut oppidulis Christiani apud presbyterum, aut Diaconum convenissent, celebrasse collectam, non collegisse in Ecclesia, dicerentur.

In Eufeb. Hist. Eccl. lib. 9. cap. 1.

Conc. Illib. can. 21.

XVII. In Hispania æque ac alibi omnia erant occulta.

Sed ne ampla rerum segete cogente ab instituto longius vager, spectare aggredior, in Hispaniis quemadmodum se haberent Ecclesiæ. In postrema omnium sævissima persequutione, qua de agebam nuper, martyribus multis abundasse Hispanias hymni a Prudentio in eorum laudem facti testantur. Una in urbe Cæsaraugusta octodecim numerantur; præterea passiones celebres Eulaliæ,

liæ, & Vincentii per idem tempus evenerunt, Daciano nimirum Præside. Quid vero? Ad cæteras Hispaniæ calamitates non modica hæc accessit, ut Acta aut Præsidialia, ant a notariis excerpta interierint; culpane Christianorum, an gentium, ut Chelidonii & Emetherii Actis contigisse dolet Prudentius, incertum. Pius vero hic poeta, & qui pace Ecclesiæ reddita scripsit agonem Sancti Vincentii satis accurate, nihil omnino agunt de sæva illa tyrannide, quæ sacros ubique Codices, ad extirpandam penitus religionem, absumebat igni: tametsi sævitum ibi esse æque ac in aliis provinciis, vetustiora utroque Scriptore monumenta, quæ Cluniæ extant, testantur.

I. DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIAN. HERCVLEVS
CAES. AVGG.
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM.
ET
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT

Gruter. pag. 280.

II. DIOCLETIAN. CAES
AVG. GALERIO. IN. ORI
ENTE. ADOPT. SVPERS
TITIONE. CHRIST
VBIQVE. DELETA. ET. CVL
TV. DEOR. PROPAGATO

Hæc quidem Actis quibuscumque illustrius Ecclesiæ Hispanæ conditionem ostendunt. At quoniam opus est imbibitam convellere opinionem de Ordine Hierarchico, celebratis Conciliis, cæterisque id genus multis, quæ ab impostoribus prodierunt; retrocedendum mihi erit annis circiter quadraginta, quum Severiani & Gallieni persequutio, octava scilicet, in provinciis invalescebat; nam divinitus servata ad nos venerunt Acta S. Fructuosi Episcopi Tarraconensis, ejusque Diaconorum Augurii & Eulogii, quæ primum edidit Bollandus, deinde recensuit, spectatis codd. optimæ notæ Ruinartius. Animadvertamus igitur, quænam esset una ex celebrioribus Hispaniarum Ecclesiis: *Reposito autem Fructuoso*, Actorum verba ipsa sunt, *Episcopo in cubiculo suo, direxerunt beneficiarii in domum ejus, idest Aurelius, Festucius,*

Bolland. ad d. 21. Jan. Ruin. Act. Sincer. p. m. 191.

 Ælius,

Ælius, Pollentius, Donatus, & Maximus. Qui quum sensisset pedibulum ipsorum, confestim surrexit, & prodiit foras ad eos in soleis. Cui milites dixerunt. Veni. Præses te accersit eum Diaconibus tuis. Quibus Fructuosus Episcopus dixit: Eamus, aut si vultis, calceo me. Cui milites dixerunt: Calcea te ad animum tuum. Christiani plures, qui Ecclesiam Tarraconensem conficiebant, eos comitantur ad carcerem, eosdemque præsentes agoni, utquumque omnia observarent prædicti milites, sic solatur: *Jam non deerit vobis Pastor, nec deficere poterit caritas, & repromissio Domini tam hic, quam in futurum.* Et quidem jure solabatur Ecclesiam, quæ Episcopo & ambobus diaconibus martyrium facientibus, absque Pastore, & collectoribus relinquebatur; nam Augustalis lectoris Acta meminerunt, præter hunc vero, cui nulla in Ecclesia autoritas erat, non Presbyterum, non Diaconum, non demum Subdiaconum (quem ordinem jam tum in Hispania esse testatur Canon Illiberitanus 34.) superfuisse comperies. Non tamen putes extinctam omnino esse ibi Ecclesiam. Christiani enim plures latebant, fortasse etiam presbytero eos colligente in abditissimo aliquo loco, ut moris erat Romæ in arenariis, ac cæmeteriis, quibus non caruisse Hispanos liquet: idemque postea a finitimarum urbium Episcopis rite ordinatus Fructuoso successerit, quod ejus miserrimæ ætatis fuisse ingenium ignorat nemo.

XVIII. Quam sedulo Hispanienses celarent Ecclesiam.

Porro S. Fructuosum, perinde ac Saturninum & socios in Africa, atque Heracleæ Philippum cum Presbytero & Diacono fecisse vidimus, summa cum hilaritate ad agonem advolasse Acta nos docent. Verum animadverti oportet, quod ubi Episcopi illi prisci, persecutione intermittente respirabant, minusque caute implebant ministerium, causa erant utplurimum, cur tam ipsi, quam fideles nonnulli, necnon collectæ eorum a Magistratibus, stationariisque militibus deprehenderentur, quare erumpente persecutionis novo edicto, nec semper copia erat recedendi, nec quandoque recedere conducebat; sæpe enim confirmari illos oportebat exemplo, qui acquisiti erant doctrina. Mirum in modum hanc rem persequitur egregius Ecclesiæ Doctor Isidorus: *Vir sanctus, inquit, ultro se in agone pro certamine non debet offerre justitiæ, sed tamen si agonis fructum videt uberrimum, non debet declinare laboris periculum. Quod si major est labor, quam animarum lucrum, declinandus est labor, quem minimum comitatur augmentum. Utrumque enim fecit Apostolus, qui & periculis se ultro dedit, ubi maximum animarum lucrum vidit, & sapienter se periculo abstulit, in quo potiorem laborem, quam lucrum esse perspexit .... Accipe exemplum martyrii de trepidatione humani cor-*

Sententiar. lib. 3. c. 26.

corporis ad salutem, dum quisque & de spe reparationis gaudet, & de incisionibus malorum, ceu amarissimis poculis, mœret. Quot enimvero inconstantes animas perdidissent, si oblatam, confirmandi in fide alios, occasionem declinassent? Quot e contrario novos pepererunt Martyres constantia sua? consule per ocium Acta. Quod poterant sancti illi Episcopi, necessitate etiam edocente, nil non moliebantur, ut id mali a se suisque averterent: idque Elibertini, seu Illiberitani Concilii multis decretis instruimur. Congregati siquidem Patres in Martyrum album referri eum vetant, qui Idola frangens occiditur, nec Evangelio præcipi, neque ab Apostolis ita factum ajentes. Negant communionem vel in fine vitæ Delatoribus, si proscriptio, aut mors delationem sequitur. Episcopi ipsi, Presbyteri, & Diacones, ut cæteri hominum frequentabant nundinas, ac negotiabantur; ita ut decerni oportuerit in Concilio, ne iidem vagarentur per provincias (ne Ecclesiæ nimirum detrimentum inferrent absentia sua) at negotiarentur intra provinciam, mitterentve ad comparandum victum aut filium, aut libertum, aut mercenarium. Episcopi, presbyteri, diaconi etiam uxorem habentes assumebantur, tametsi prohiberentur dare operam suscipiendis liberis, dum in ministerio erant. Non celebrabant collectam in Ecclesia nisi diebus Dominicis. Vetitum quoque erat picturas in parietibus Ecclesiæ fieri. In summa collineabant omnia ad occultandam Ecclesiam infidelibus. Quare damnandus hauddubie illorum zelus, qui Novatianis, & Iconomachis favere Elibertinam Synodum pronunciarunt: mitius enim agi oportuit; quemadmodum S.Innocentii potioris judicis sententia præmonet: *Quum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio.*

Concil. Illib. can. 60.73.19. 33. 21. 36.

S.Innoc.I.ep.3. c. 2.

XIX. Exemplis semper fiunt illustriora quæcumque argumentis demonstrantur. At quia hæc non suppetunt ex Hispania, unum petam ex finitima Africæ provincia, ejusdem scilicet temporis, quum Præses Æmilianus in Hispania, & Paternus Proconsul cæsareis morem gerebat Edictis in Africa; petamque ex Actis celeberrimis martyrii S. Cypriani. *Exquisivi*, ait Proconsul, *de nomine tuo, quid mihi respondes? Cyprianus Episcopus dixit: Christianus sum, & Episcopus. Nullos alios Deos novi, nisi unum & verum Deum, qui fecit cælum & terram, mare, & quæ sunt in eis omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus; hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis, & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum Imperatorum .... Paternus Procos. dixit: non*

Ita enim conducebat servandæ inter persecutiones Ecclesiæ.

Ruinart. pag. 188.

DISSERT. I. CAP. III.

non solum de Episcopis, verum etiam de presbyteris mihi describere (Imperatores) *dignati sunt. Volo ergo scire ex te, qui sunt presbyteri, qui in hac civitate consistunt. Cyprianus Ep. respondit: Legibus vestris bene atque utiliter consuluistis, delatores non esse. Itaque detegi, & deferri a me non possunt. In civitatibus autem suis invenientur. Paternus Procos. dixit: Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Quum disciplina prohibeat, ut quis se ultro offerat, & tuæ quoque censuræ hoc displiceat; nec offerre se ipsi possunt: sed a te exquisiti invenientur .... Præceperunt etiam,* ait Procos. *ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cæmeteria ingrediantur. &c.* Quod sane exemplum doctrinam omnem de occultanda infidelibus Ecclesia tam perspicue, tam evidenter comprobat, ut plura mihi opus non esse arbitrer ad hanc provinciam ornandam. At enimvero documenta nulla extent, quibus instrui posteritas valeat: certe ducemur ratione ipsa in veritatis hujus cognitionem. Unde enim erat, quod persequutione frequenter instaurata delendo Christiano nomini, religio alacrius feraciusque emergebat? Quia scilicet Christianorum pars magna erat occulta. Unde erat, quod deprehensi aliqui, ac super secta, quam vocabant, novæ superstitionis interrogati, non deferebant nisi quos Martyrii socios videbant certatim tormenta petere? Quia nempe severissimis Delatores pœnis obnoxii erant. Unde demum erat quod Præsides provinciarum sibi blandiebantur Christianum penitus nomen eradicasse; itaut Neroni præsertim & Diocletiano monumentum posuerint illius rei, tanquam debellatæ alicujus gentis, aut exercitus ad internecionem cæsi? Quia videlicet Christi fideles ignorabantur. Qui autem ignorarentur, si basilicæ extitissent, quo conflueret multitudo credentium in oculis Magistratuum? Abutor tempore. Proferatur aliqua ex his basilicis solo æquata, aut excisa, non dico in Africa, sive Hispania, sed toto in Occidente, dum toties sævitum fuit in Christianos, Christianique nominis memorias omnes. In Oriente quidem Eusebius docet, post pacem Ecclesiæ redditam, magnificentius excitata templa, quam fuerint prisca; tametsi in Actis Philippi Heracleensis Episcopi supra laudatis, legitur: *Ipsum etiam Dominici tectum devoluto omni tegularum fraudabatur ornatu*: quod ab Ecclesiæ Occidentalis ingenio nihil discrepat.

Ruinart. A. Sinc. p. 366.

XX. In occidente enim Idola, & Imperatores adorabantur.

Animadverti tamen oportet, quod magnum intercedebat discrimen inter Orientales, & Occidentales Christianos. Ibi nati erant, magnaque ex parte ab umbra legis veteris, ad veritatem Evangelicam venerant; Romanique Imperatores, qui adorationis disparitati insueverant, minus perspicue Sinagogam ab Oratorio, alio-

aliove parum diverso ædificio, subditos habere populos contenti, principio secreverant; nec nisi sicui in mentem venit Idolo-latriam Romanam toto romano orbe propagare, fuit negotium facile illa deprehendere. In occidente vero Christianorum cultus erat omnino novus, magnumque importabat detrimentum & Romanorum religioni quam putabant sanctissimam, & honori Cæsarum, quos ambitio, & assentatio eo usque perduxerat, ut instar Deorum adorari, & templa in toto romano orbe sibi erigi voluerint, ac Divi appellari. In Hispaniis præsertim singularis hæc vesania fuit. Vel supplices ex ulteriori Libelli venerunt Romam, referente Tacito, ut poni liceret templum Tiberio, matrique ejus, antequam e vita discederet, id factum & in Asia esse obtendendo: de Templo Tarracone posito in Augusti honorem, instauratoque magnificenter sub Hadriano, nihil dico: prætereo documenta innumera Augustorum, Augustarumque vel scelestissimarum nominibus posita, quorum unum seculo tertio ineunte Colonia Julia Gemina Accitana dedicavit Mammææ matri Severi, devotam se numini, majestatique ejus iniquissimæ feminæ appellans: omitto illud dicere, quod ingens adeo suppellex apud Augustinum Hispaniensium eruditorum facile principem, Occonem, & Gruterum, Idolo-latriæ urbium utriusque Hispaniæ suppetit, ut argumenta alia non sint opus ad demonstrandum, quis esset Hispaniarum cultus publicus ante Constantinum. Id tantum præterire non possum, quod si ulla occasione maximam me in admirationem impostores conjecerunt, id certe evenit, quum vidi eos Hierarchiæ a se fundatæ res gestas persequi, verosimilia falsis admiscentes: at nullo loco habere hujusmodi tot documenta, quibus omnibus adjicitur Epigraphe: *Devot. Num. Majestatique ejus, vel eorum*: præcipue quæ tria affert Ferdinandus de Mendoza ex ipsa urbe Illiberi, ubi celebrabatur Concilium, de quo tam multa obtrudunt. Horum scilicet primum dedicatur Furiæ Sabiniæ Tranquillinæ conjugi M. Antonii Gordiani Junioris, qui regnare orsus est anno Chr. 238., alterum incerto Augusto, Augustæve; tertium Cæsari M. Aurel. Probo, qui cœpit imperare anno 276. Singula devotionem Numini Majestatique Principum præseferunt; singula dedicantur sumtu publico ab universo ordine Illiberitano. Quibus si adjunxeris nuper laudatum ab Accitanis civibus positum Mammææ; vides principem Ecclesiarum omnium Hispaniæ, Accitanam urbem, quæ hospitio accepit Apostolicos viros eo missos a D. Petro; necnon Illiberim Apostolico viro & ipsam illustrem, quæ præterea a Patribus celeberrimi, antiquissimique Concilii, ad Ecclesiastica negotia tractanda prima omnium Hispanarum electa est, publice & palam Idolo-

DISSERT. I. CAP. III.

A. lib. 4.

Gruter. pag. 271.

In Conc. Illib. comm. l. 1. *c.* 1.

DISSERT. I. CAP. III.

Idolo-latriam proteſtari; &, quod magis, tertio ſeculo ad exitum vergente. Quid autem dicam de Jove Capitolino aliiſque tot Romanorum numinibus, quorum templa, altaria, Sacerdotes, & Sacrificia ubique ſumma cum reverentia fieri iiſdem ſolita, vigebat Illiberitani Concilii ævo, cujus præcipui Canones fuerunt conditi ad continendos fideles, ne in Idolo-latriam relaberentur? Equidem nihil pronunciabo; liceat tamen oro Eccleſiam Hiſpanam tertii ſeculi declinantis cum Eccleſia Bithyniæ incuntis ſecundi conferre, ut per ſe lector judicium ferat.

XXI. Quam in idolo-latriam facile labebantur Chriſtiani.

Plin. jun. l. 10. ep. 97.

Inter alia multa, quæ Proconſul Plinius referebat Trajano, ut mitiorem erga Chriſtianos redderet, quos flagitiis carere invenerat, narrat, non paucos in libello anonymo recenſitos Chriſtianiſmo ſe abdicaſſe, Diiſque & Auguſtis ſacrificaſſe. *Propoſitus eſt*, ait, *libellus ſine autore, multorum nomina continens, qui negarent, ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, quum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent, præterea maledicerent Chriſto: quorum nihil cogi poſſe dicuntur qui ſunt revera Chriſtiani. Et imaginem tuam, deorumque ſimulacra venerati ſunt: ii & Chriſto maledixerunt.* Hæc de Eccleſia Bithyniæ oculatus teſtis circa annum 110. De Hiſpanica vero, anno 258. ita S. Cyprianus ſuper lapſu celebri Epiſcoporum Baſilidis, & Martialis, de quibus infra redibit ſermo. *Quum, ſicut ſcripſiſtis, Fratres dilectiſſimi, & ut Felix, & Sabinus collegæ noſtri aſſeverant, utque alius Felix de Cæſarauguſta fidei cultor, ac defenſor veritatis literis ſuis ſignificat, Baſilides & Martialis nefando idolo-latriæ libello contaminati ſint, Baſilides adhuc inſuper, præter libelli maculam, quum in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemaverit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit...... Martialis quoque.... actis etiam publice habitis apud Procuratorem Ducenarium obtemperaſſe ſe idolo-latriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit &c.* Nullum ego aliud diſcrimen inter Cypriani, & Plinii narrationes invenio, præter iſtud, quod uni ſermo eſt de chriſtianis in genere, alii autem lapſus Epiſcoporum ab aliorum lapſu ſecernitur. Præterea mentio non fit a Cypriano adorationis Cæſarum, quæ cæteroqui neceſſaria erat, tum ut comparatio omnino conveniat, tum ut ſuperius dicta confirmentur. Verum quod minime factum memorat Epiſcopus, fieri volebat Præſes in Hiſpania eadem ſub Valeriani & Gallieni perſecutione, in qua Baſilides, & Martialis lapſi erant. Et ſane teſtantur Acta S. Fructuoſi, quod Præſes Æmilianus iratus S. Præſuli, quod adorationem Cæſarum ſus deque haberet: *Qui audiuntur*, inquit, *qui timentur*,

S. Cyprian. ep. 68.

Ruinart. A. Sinc. p. 191.

tur; *qui adorantur*; *si Dii non coluntur*, *nec Imperatorum vultus adorantur?* En plenam comparationem Christianorum Bithyniæ sub tertia Ecclesiæ persecutione, cum Hispanis sub octava post annos centum quinquaginta. En faciem Ecclesiæ Hispaniarum æque ac in cæteris romani orbis provinciis fœdam, cui nonnisi clanculum coalescere sævitia Cæsarum permittebat. Plura his non esse opus, ut teneantur fundatio, & progressus Ecclesiæ hujus, æquus quisque antiquarum rerum æstimator mecum sentiet. Cætera plane omnia, quæ seu ab impostorum figlina profecta sunt, seu ab hominibus veritati minus, quam studio adhærentibus disputata, inanis utriusque generis hominum labor habendus est, qui crassis potius voluminibus conficiendis, quam sui nominis gloriæ consuluerunt. Et nostra forsitan contemnentur ab eruditis, sed privatam hanc laudem nobis auferet nemo, quod Ecclesiam inhospitam primi contemtis ducibus ingressi sumus, futuri olim posteris aut ductores, aut comites viæ, quam multi quidem tentarunt, sed nulli prorsus susceperunt. DISSERT. I. CAP. IV.

CAPUT IV.

De Disciplina Ecclesiæ Hispanæ ante Constantinum M.

QUAMQUAM nonnulla habentur indicia disciplinæ Ecclesiæ Hispaniarum ante Concilii Elibertini celebrationem; tamen quia potissima rerum momenta erui ex eodem oportet, aliquid de ætate ejus, & natura dicam necesse est. Ætas haud dubie melius, quam ab aliis, definitur a Natali Alexandro, qui eruditissime adversariorum argumenta, præcipue Morini, confutat, docetque ante Diocletiani & Maximiani persecutionem esse habitum, quum auditum fuit, brevi erupturam. Natalis doctrinæ fidem addunt Patres ejusdem Concilii, dum nil de Traditoribus codicum decernentes clam nemine esse sinunt, persecutionum veterum ingenium referri eorum decretis, at imminentis conditionem ab aliis, quæ præiverant, diversam, penitus ignorari. Quamobrem in doctissimi viri sententiam eo pedibus, rejectis aliorum aliis; Conciliumque tot disputationibus antea dimotum de sua certa Epoche, ad initia quarti seculi revocandum pro certo habeo. Concilium idem tota ex Hispania Episcopi celebrabant; nam ulteriori ex Hispania, juxta priscam ejus amplitudinem, undecim aderant: Hispalensis, Agabrensis, Malacitanus, Cordubensis, Tuccitanus, Illiberitanus, Accitanus, Virgitanus, Castulonensis, Salariensis, Bastitanus; Ex citerioris Hispaniæ provincia Tarraco-

I. Concilii Illib. ætas, & natura.

N. Alex. Sec. 3. dissert. 21.

DISSERT. I. CAP. IV.

nensi, quinque advenerant: Mentesanus, Cæsaraugustanus, Toletanus, Eliocrotensis, Legionensis: Et ex Lusitania tres, Ossonobensis, Emeritensis, Eborensis. Quare si, antequam diversa Conciliorum nomina audirent, suum velimus Elibertino facere, Nationale est nuncupandum. In Ecclesia Eliberina dicuntur convenisse. Quænam ea esset Ecclesia, constat ex superius disputatis; quæ nisi sunt satis, velim observari, quod non multo post Concilium hoc Elibertinum, habitum est Cirtæ in Numidiæ urbe in causa *Traditorum*, Concilium Episcoporum Africæ, iidemque convenerunt in domum Urbani Carisi, celebrem sane domum, quia hinc Theologia, quam vocant accommodantem, suam ducit originem. Quippe congregati in ea domo Episcopi in causa omnium communi judices æquo benigniores peccata invicem confessi sunt, eorumque indulgentiam invicem sunt sibi elargiti. Quamobrem quum audis Ecclesiam Eliberinam, non statim basilicam, aut templum interpreteris; congregatio enim illa cui præerat Episcopus, ut notavimus cum Valesio, Ecclesia appellabatur. Illiberi autem, in urbe nimirum ab uno e septem Apostolicis electa ante annos circiter biscentum quadraginta, suum esse locum, quo Christiani convenirent, intermittente persecutione, cum suo Episcopo, hunceque appellari Ecclesiam, dubitari non potest, at locum juxta morem illius ævi occultum infidelibus, solique cognitum fraternitati Christianorum fuisse, creditu admodum proclive mihi videtur. Exploremus modo ex Concilii hujus decretis disciplinam minime dubiam Ecclesiæ Hispanæ; ut demum aliquando certi aliquid teneamus, citra impostorum fraudes, de illa Ecclesia, ante tempora Constantini.

II. Episcopi, presbyteri, diaconi erant Hierarchia Hispaniensis priorum trium secul. Conc. Illib. can. 18. 19.

Ordo omnis Hierarchicus priorum trium seculorum non erat alius in Hispaniis, nisi Episcoporum, presbyterorum, diaconorum; (subdiaconi enim, Lectores, & siqui alii minores fuisse comperiuntur, ii sub Diaconorum nomine continentur.) Evidens id faciunt duo Concilii Canones: *Episcopi, presbyteri, diacones, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mœchati, &c.* Item: *Episcopi, presbyteri, & diacones de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias, quæstuosas nundinas sectentur*. Episcopi vero, ut presbyteri, & diacones, suum constituebant ordinem Hierarchiæ: digniorem quidem cæteris, at dignitate, & autoritate adeo æqualem in Hispaniis, ut non illo dignior, aut præstantior hic Episcopus haberetur; sed pari omnes potestate conspicui, suam quisque Ecclesiam regeret, juxta eam traditionem, quam ab Apostolicis viris per manus acceperant. Eadem hac traditione edocti Summum Romanum Pontificem successorem D.

Petri,

Petri, tanquam caput Ecclesiæ omnis, venerabantur, summamque ejus potestatem, in gravioribus causis implorabant. Quod fecisse Basilidem a sua sede dejectum negat nemo; tametsi aliquis conditor novi dogmatis se torquet, ut minime id factum jure ratiocinando evincat. Stultum laborem! Basilides circumvenit Pontificem Stephanum: inficiari non ausim; attamen Stephanus qui eum absolvit, suamque in sedem restituit, jure suo usus fuit. Basilidis fallaciam Cyprianus improbavit: certo certius est; at Pontificis autoritatem non negavit. Quî autem negarit Africanæ Ecclesiæ Episcopus, quæ suam omnem doctrinam Romanæ Sedi referebat acceptam, eamque unam fidei magistram prædicabat? *Habes Romam*, ait Tertullianus, *unde nobis quoque autoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt. Ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur. Ubi Paulus Joannis exitu coronatur. Ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus, quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit*: Et Episcopus, quod majus est, Cyprianus, testis ille integerrimus (zelo licet nimio aliquando laborans) prærogativæ Romanæ Sedis in universas Ecclesias, Basilidis demum rite ob delicta depositi, novoque crimine condemnandi, quod Pontificem circumvenerit, judicavit causam non esse præferendam ordinationi rite factæ Episcopi eidem suffecti: res est plane verissima; at Cyprianus nusquam dixit, non potuisse Episcopos ad supremam Romani Pontificis autoritatem confugere; imo potius damnavit audaciam, quod ad tantum fastigium sceleribus contaminati non dubitarint accedere: quod luce clarius ostendam in sequenti dissertatione, ubi agam de judiciis Ecclesiæ, quorum forma non spectat ad priora secula in quibus versor. Huc accedit quod erant Episcopi in Gallia, erantque in Italia, præsertim Mediolanensis, qui, tanquam viciniores, incommodum longæ viæ abstulissent Basilidi; attamen Romam, utquumque longe dissitam, petit, prætermissis aliis quibusve Episcopis. Num ratio quæritur? Quia scilicet a viris Apostolicis relicta erat hæc institutio Hispaniarum Episcopis, ordinem omnem Episcopatus a Christo Domino prodeuntem, pari ubique autoritate esse, præterquam in Romana Sede, ubi Christi vices gerens D. Petri successor Episcoporum omnium, qui sub cælo sunt, Princeps, in centro Christianæ religionis residet, nullique obtemperans, ut Monarcha omnibus aliis præest.

De præscr. cap. 36.

III. Episcopor. Hispaniæ perpe-

Quam sane Apostolicam traditionem Hispaniarum Episcopi sartam atque tectam nostra etiam ætate conservant, quare optimo,

Dissert. I. Cap. IV. tua veneratio erga Summum Pontificem.

mo, meritoque jure illud regnum antonomastice Catholicum nuncupatur. Contra alicubi, ac si nullam habuerint Apostolicam traditionem, summæ huic Romani Pontificis potestati præscribunt suos limites, quod ne faciant nulla prorsus ratione ducti, a prioribus Ecclesiæ seculis mutuantur exempla, quum agitata ubique Ecclesia non semper erat licitum Christi Vicario aut admonendo, aut puniendo, Episcopos in officio continere. Inter alia, & istud Basilidis carpunt, suasque ad partes trahunt: quam feliciter, dicam aliquanto infra. Interea summa Episcoporum Hispaniæ veneratio erga Romanum Pontificem, ad quam natura ipsa instituti sunt, utpote veri Apostolicorum virorum successores, a quibus fundatas esse suas ipsorum sedes non scriptis, sed factis demonstrant; summa, inquam, ea veneratio exigit, ut tum veterum tum recentiorum propriam faciam S. Bernardi præclaram de Christi Vicario confessionem: *Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, gregumque pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius, utrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi sunt crediti, uni unus. Nec modo Ovium sed & Pastorum tu unus omnium Pastor*. Ita cum Bernardo septemdecim spatio seculorum catholice senserunt de Romano Pontifice Hispaniarum Episcopi, utque perpetuo inter eos vigeat illibata hæc sententia, perpetuum indixerunt bellum novorum dogmatum conflatoribus, itaut horum scripta, aut penitus ab Hispaniis eliminentur, aut severissime castigentur. Exemplum, ut dicam libere, dignum quod Catholici ubique Episcopi amplectantur: eo enim devenimus, ut fidem, quam majores nostri tot seculis tenuerunt, non amplius e scriptis Patrum, & Conciliorum decretis valeamus discere; sed ex iisdem non semel prave detortis, in alias, aliasque opiniones distrahamur, quæ totum vitæ curriculum exerceant disputationibus, quæ ut sint nobis, aliisque utiles ad credendum, operibus tamen vacuos, ablatis omnibus momentis, dimittunt æternæ sortis incertos. Ego ipse hujusmodi concertationibus ero non semel implicitus, dum Episcoporum Hispaniæ veterum sanctissimam disciplinam expendam, magis ut neotericis veri Episcopatus specimen præbeam, quam ut Præsulibus Hispaniarum nostræ ætatis antiqui moris retinentissimis gratum faciam. Nequicquam sibi blanditur,

De consid. lib. 2.

in

in Ecclesiæ unitate esse, qui vel minimum a centro unitatis deflectit, a Romano nimirum Pontifice, cujus de prærogativis Catholicam Hispanorum sententiam ex D. Bernardo jam expressi, ut sit tamquam cardo eorum, quæ de iisdem constitui dicere.

IV. Quam caute eligebantur Episcopi prioribus seculis.

Profecto, si sedulo animadvertas, quanta olim probitate ad Episcopatum assumebantur veteres, vix potuisse fieri agnosces, ut eorum ullus in pravos mores degeneraret. Concilio Elibertino utamur duce in re tanti momenti. Talis erat Patrum sollicitudo, ut Cleri religio, unde in plebem doctrina omnis derivatur, illibata esset; ut (præterquamquod cuivis fideli in hæresim lapso, ac redeunti communionem differri oportere decernunt, quoad decennio eum pœnituerit) non modo rejiciant ab ordinatione quemvis hæreticum fidem amplexum, sed si aliquis antea ordinatus reperiatur, eum esse deponendum decernant. Pari utuntur severitate, ut puri ab omni sorde, & turpitudine futuri, juxta Apostolicam traditionem, eligantur; quod maxime notandum, tunc enim temporis ob probatorum hominum, ac doctrina præstantium inopiam, moris erat vel ad Episcopatus apicem evehere, qui uxoribus erant juncti; quare siquis in adolescentia esse mœchatus deprehendatur, eum ne ad subdiaconatus quidem ordinem promoveri posse decernunt, ac deponi debere si post ordinationem scelus ejus detectum erit: quia, inquiunt per subreptionem ad altiorem gradum non est promovendus. Quod si forte Episcopi, presbyteri, aut Diaconi mœchati fuerint, propter scandalum, ut ajunt, & nefandum crimen, a communione in fine etiam vitæ rejiciunt. Eapropter vix iis permittunt, ut secum habeant sororem, aut filiam virginem Deo dicatam, quacumque extranea rejecta. Præterea arcent a Clero peregre baptizatos, & libertos dominorum gentilium. Clericum usurarium degradandum, & communione privandum esse deliberant. Ac demum Diacono mortale crimen fatenti triennii pœnitentiam injungunt, ab aliis autem accusato vix comunionem laicam post quinquennii pœnitentiam concedunt. Hæc disciplina erat aurei illius ævi Catholicæ religionis, non solum de electione, sed de vita etiam, & moribus Episcoporum, presbyterorum, Diaconorum; severa quidem, ac delicatulis nobis horrida; sed quæ tantam conciliabat venerationem apud totam Ecclesiam isti priscæ Hierarchiæ, ut Augelos potius quam homines præseferre crederetur. Homines tamen & ipsi erant, proindeque vitiis humanitatis obnoxii: tales nihilominus fuisse conjicio ex canone 75. ejusdem concilii, ut rari admodum inter eos reperirentur, qui crimina admitterent; nam Patres decernunt, ne in fine quidem vitæ dandam esse communio-

Conc. Illib. can. 22. 51. 30. 18. 27. 24. 80. 20. 76.

nem

Dissert. I. Cap. IV.

nem ei, qui *Episcopum, presbyterum, vel diaconem falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit*. Videbant ii scilicet, quam necessaria esset ad ædificationem Ecclesiæ sanctitas Sacerdotum, ut plurimis in locis Sacræ Scripturæ admonent; & contra quam facile Ecclesiam destruit malum Sacerdotum exemplum. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor*. Propterea ab omni etiam calumnia, si fieri potuisset, eos volebant immunes; ne suspicio ipsa scandalo esset Ecclesiæ.

Osee 5. 1.

V. Quomodo fieret ordinatio Episcoporum. *S. Cypr. ep. 68.*

De ordinatione Episcoporum nullum canonem Patres Elibertini condiderunt, nam traditionem Apostolicam servabant Hispani Episcopi. Ea vero quænam esset, luculenter docet Cyprianus. *Quod*, inquiens, *diligenter de traditione Divina, & Apostolica observatione servandum est, tenendum; quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit*. Quæ sane doctrina integerrimi, & oculati testis, non leviter prætereunda est; sed huc convocandi omnes ii, qui utilitatis non parum se putant contulisse Ecclesiæ rebus, quod contra Gelasii decretum vindicare conati sunt Canones Apostolorum. Recitetur horum primus: *Episcopus a duobus, aut tribus Episcopis ordinetur*. Quid? Cyprianus divinam, & Apostolicam traditionem commendat, ignorat Canones? Pergo: Non multo post Concilium Elibertinum, nempe ipso anno pacis Ecclesiæ redditæ 314. primum decretum de hac re, constanti eruditorum opinione prodiit in concilio Arelatensi, estque hujusmodi: *De his qui usurpant sibi quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumtis secum aliis septem Episcopis; si tamen non potuerint septem, sine tribus Fratribus non audeant ordinare*. Lubet, quandoquidem semel cœpi, rationem quoque reddere hujus rei ipsissimis verbis egregii Doctoris S. Isidori. *Porro*, ait, *quod Episcopus non ab uno, sed a cunctis comprovincialibus Episcopis ordinatur, id propter hæreses institutum agnoscitur, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ unius ordinantis tyrannica autoritas moliretur. Propterea ab omnibus convenientibus constituitur, ac non minus, quam a tribus præsentibus, cæteris consentientibus testimonio literarum*. Obstupesco. Apostoli rem docuerunt, quam nec S. Cyprianus, nec Patres Concilii Arelatensis I., nec Doctor Ecclesiæ Isidorus, no-

Can. Apostol. 1.

Conc. Arel. 1. can. 21.

De offic. Eccl. l. 2. cap. 5.

norunt. Lusi satis. Docebit ipse creditus aut collector, aut etiam Autor Canonum S. Clemens, quid hac de re sit sentiendum: *Per regiones* (loquitur de Apostolis) *& urbes verbum prædicantes, primitias eorum spiritu probantes, Episcopos & diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt.... Per Jesum Christum dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine Episcopatus oborituram: atque ob hanc causam perfecta præscientia præditi constituerunt prædictos, ac deinceps ordinationem dederunt, ut in defunctorum locum alii viri probati succedere, & illorum munia exequi possent. Constitutos itaque ab illis, vel deinceps aliis viris celebribus cum consensu universæ Ecclesiæ, quippe inculpate ovili Christi deservierunt cum humilitate, quiete, & absque omni sorde & turpitudine, & longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos non sine injuria, munere vel officio suo exui existimamus.*

Ep. 1. ad Cor. num. 42. 44.

VI. Adveniebant ex provincia Episcopi viciniores, iidemq; ordinabant. *N. Alex. sec. 1. diss. 18.*

Certissima ex hac S. Clementis epistola rejiciuntur Canones Apostolis adscripti, qui tantas pepererunt quæstiones hinc pietate nimia vindicantium rem falsam, illinc aculeatis disceptationibus pios magis quam eruditos vindices traducentium. Uberrimam Natalis dissertationem hac de re legendam puto, non enim suppetit quicquam firmius; & siquid suppetit breviter indicabo infra; quum de seculi quarti Ecclesia agam. Interim sentio cum Natali, aliquam horum Canonum partem emersisse tertio seculo exeunte, & quidem in Orientali Ecclesia; deinde id pro certo assero, quod in Occidente serius multo fuerunt cogniti, & a Gelasio Papa inter Apocryphos rejecti: in Hispania vero nec post Gelasii Decretum fuisse agnitos ut pseudepigraphos, ostendam alibi. Verumtamen nisi cum doctissimis Cardinalibus Bellarmino, & Baronio quinquaginta priores Canones nullum sapientes errorem, immo multas antiquæ Ecclesiæ consuetudines nobis servantes pro legitimis Apostolorum Canonibus haberi posse mihi videantur; nihilominus cum Catholica Ecclesia instar veræ doctrinæ regularum esse habendos teneo; iis autem nullatenus utendum esse ad Ecclesiæ ritus servata ratione temporum demonstrandos, & ipse compertum habeo, & suadeo illis, quos æstimationem prostituere nequaquam juvat. Utinam scriptor eruditissimus veteris & novæ disciplinæ minus frequenter adhibuisset hos canones ad notanda tempora disciplinæ! tot siquidem nævis non scateret tam præclarum opus. Cæterum consuetudinem illam, quæ Cypriani tempore in omnibus fere provinciis invaluerat, ab Apostolicis potius viris profectam, quam ab Apostolis testatur Clemens, quo docente & Diaconos, & Episcopos fuisse ab Apostolis ordinatos, hif-

Bellarm. de Scr. Eccl. in S. Clemente. Baron. a. 102.

hisque traditam ordinandi alios facultatem, didicimus; at nihil de consecrantium numero; quis enim nesciat unico ab Episcopo ordinationem perfici, adsistentes alios nuncupari? quis ignoret, disciplinæ omnis parentem D. Petrum, aliosque Apostolos per se solos plerumque Episcopos ordinasse? quem fugiat S. Linum a S. Petro constitutum in Romana Sede successorem, constituisse & ipsum sibi successorem Cletum? Hunc itaque morem nascente ubivis Ecclesia obtinuisse primum, deinde Apostolicam traditionem, quumprimum licuit, cœpisse, probabile est; quippe primi illi fundatores Ecclesiæ ita in provinciis facere jussi fuerint, ubi primum possent. Cujus rei, tametsi minus clarum habeamus testem S. Clementem, tamen in Hispaniis argumentum non spernendum suppeditat vicinitas illa sedium, quas primi fundatores elegerunt, instituente haud dubie utroque Apostolorum principe, antequam Roma illuc pergerent. Utquumque autem sit de primo illo ævo, quum vel successorem sibi eligere licitum fuit Episcopis instante persequutione, Cypriani tempore Apostolica vigebat traditio, ut proximi quique provinciæ Episcopi ad ordinationem Fratris rite peragendam convenirent.

VII. Provinciæ Eccl. Hispaniar. priorum trium secul.

Ita electi, ita ordinati Episcopi, tametsi nullo, ut ajebam, autoritatis discrimine Ecclesiam unusquisque suam gubernaret; tamen suas agnoscebant provincias, constituebantque totidem corpora Episcoporum, quot erant provinciæ. Evidens id nuper est factum Cypriani verbis; dum ad ordinationem unius Episcopi proximos quosque ejus provinciæ Episcopos convenire ex Apostolica traditione ait. Perinde manifestum facit Canon undevicesimus Elibertini Concilii jam allatus, prohibens Episcopis, presbyteris, diaconis circumire provincias negociandi causa. Hæc postea corpora, quum suum quæque caput agnoscerent, appellari consueverunt Gothorum ævo Concilia, Conventus, Synodi: quod minime animadvertentes nonnulli, cætera eruditissimi, Concilia numero plura, quam quæ extant, aut quorum certum indicium est, celebrata esse in Hispaniis voluerunt, magnosque non semel in scopulos sunt impulsi; unde evasuri res certas conjectando dubias reddiderunt. At de his agendum erit suo loco. Operæ nunc pretium esset perscrutari, quænam ab Episcopis provinciæ in Hispaniis agnoscerentur ante Constantinum; sed brevi opus istud absolvitur redeundo in memoriam ordinationis Augusteæ, quam persequutus sum primo capite; Ecclesiasticæ enim provinciæ a civilibus, non contra, suam ducunt originem. Itaque Bætica, sive ulterior Hispania, Lusitania, & Tarraconensis, juxta citerioris bipertitam divisionem, tres Civiles provinciæ erant, totidemque Eccle-

Ecclesiasticæ, quas profecto non jurisdictio Episcopalis, quæ hauddum audiverat apud Christianos, sed rerum, ac negotiorum prosecutio apud laicos Magistratus, atque inquisitio Christianorum tempore persequutionis, ostenderant. Harum autem provinciarum Antistites honoris aliquid impendere, sive ut melius dicam, deferre primas consueverunt Seniori Episcopo: quam rem didicerintne a natura ipsa, sive Africæ finitimæ, quæ hujusmodi consuetudinem ne post institutas quidem metropoles deposuit, exemplum sint sequuti, non facile affirmes. Id tantum est certum quod in Africa tres erant civiles provinciæ, Africa, Numidia, Mauritania, totidemque Ecclesiasticæ sensim cœperunt nosci, quarum unaquæque suum habebat Seniorem, seu Primatem, ita tamen ut in Africa proprie dicta, quæ & Proconsularis, Carthaginensis semper Episcopus honore illo frueretur, in duabus cæteris modo hic, modo illic Primatem constitueret ordinationis antiquitas, non sedis alicujus prærogativa, aut dignitas. Perinde in Hispaniis fuisse docet Concilium Elibertinum: *Placuit ubiquumque, & maxime in eo loco, in quo primæ Cathedræ constitutus est Episcopus, ut interrogentur hi, qui communicatorias literas tradunt, an omnia recte habeant, & suo testimonio comprobent*. Mirum est quantas pepererunt disputationes decreto isto Patres Elibertini! Nonnullas breviter exsufflabo, quarum confutatio Hispaniarum rebus conducit, estque ad universalis Ecclesiæ disciplinam stabiliendam necessaria.

Conc. Illib. can. 58.

VIII. Eædem nullum habebant Episcopum autoritate præeminentem.

Quæ nimia levitate homines, præque iis Gonzales in commentariis ad hoc Concilium, congesserunt argumenta, quippe quæ a Pseudo-Dextri officina profecta esse omnes vident, ex se ipsa corruunt. Non ita quæ vir doctissimus Ferdinandus de Mendoza, & Ludovicus Thomassinus disputarunt; probabilibus siquidem rationibus uterque utitur, quæ nisi falsi arguantur, veram sententiam Canonis nequaquam assequi datum erit. Docet igitur Mendoza, vulgatam lectionem Canonis esse rejiciendam, cujus loco debeat substitui varians aliorum Codd. lectio: *maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatus*: Quo posito fundamento suam promit opinionem primo adspectu veri admodum similem. Contendit scilicet, quod eæ literæ communicatoriæ debebant ubique ostendi in villulis, vicis &c. Corepiscopis seu vicariis Episcoporum, presbyterisque, ut eorum testimonio probarentur; maxime vero in Ecclesia matrice, in qua erat sedes Episcopalis. Conatum, libere dicam quod sentio, nec laudo, nec amplector. Quis enimvero Corepiscopos usquam locorum invenit ante Constantinum? Scriptor Disciplinæ veteris nullum reperit

In Conc. Illib. c. 42.

rit ante quintum seculum; at fuerint etiam quarto; fuerint exeunte tertio, dum Elibertinum Concilium celebrabatur: in Hispaniis certo certius est, id nomen tunc temporis non audire, nam Concilium idem Episcopis, presbyteris, diaconis totam constare Hierarchiam testatur. Quis Cathedræ nomen tribui etiam consuevisse legit usquam Parochiis, aliisve presbyterorum Ecclesiis? Esto non sit id novum, neque inauditum: Concilio tamen docente didicimus vix vocari Ecclesias, collectas fidelium in civitatibus, & uno verbo Cathedrales; nam siquæ extra civitatem erant collectæ, aut conventus, quod dubium valde est, Ecclesiæ nomine haud vocabantur. Otio abutar, si hujusmodi conjecturis confutandis insistam. Firmior aliquanto esse videtur Thomassini doctrina super eodem Canone. Omnium primos sancire, aut ponere ait Patres Elibertinos: *ut sui cuique sint provinciæ Episcopi primæ Cathedræ, seu Metropolitani, penes quos sit autoritas quædam præcipua in examinandis literis communicatoriis*. Alibi autem indicat fontes, unde suam hanc doctrinam derivat. Primum omnium laudat Canonem 35. vulgo Apostolorum: *Episcopos uniuscujusque gentis oportet nosse eum, qui in eis est primus, & existimare ut caput*. Deinde Laodicenum 12. cujus verba ab eo prætermissa, sunt hujusmodi: *Ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt provehantur ad Ecclesiasticam potestatem*: nonumque Antiochenum: *Per singulas provincias Episcopos convenit nosse eum, qui in Metropoli præest Episcopum*. Quos ego Canones suo loco expendam, quum de metropolitis agam. Eosdem vero ad seculum quartum pertinere nemo nescit; nam Laodicena Synodus celebrabatur anno Chr. 320. & Antiochena 340. quare autoritate dumtaxat pseudepigraphi Canonis Apostolorum Thomassini doctrina nititur; qui nihilominus æqua lance Elibertinum cum hisce canonibus pendit. Nam sibi persuadet de Metropolitanis in Hispania rem esse. Equidem mox teneri faciam manibus, quod secus se res habet.

De benef. p. 1. l. 1. c. 40. n. 7.
Ibid. c. 3. n. 4.

IX. Quod evidens fit autoritate concil. Elibertini.

Concilium ipsum magno historiæ præsidio nomina Episcoporum præfert in fronte, quemadmodum in Acta per notarium sunt relata; quare non est dubium, quin eum ordinem congregati Patres retinerent, qui oculis omnium subjicitur. Variant quidem codd. MSS. nonnihil, sed ita, ut rem magis confirment. Et vero, qui præsidet in Concilio est Felix Accitanus ulterioris nempe Hispaniæ Episcopus: hunc sequuntur duo ejusdem provinciæ Sabinus Hispalensis, & Smagius Egabrensis. Quarto loco, & juxta codd. MSS. septimo, fit obviam primus ex comprovincialibus Hispaniæ citerioris, seu Tarraconensis, estque Pardus Mentesanus, quem se-

ſequuntur tres comprovinciales Urcitanus, Cæſaraugustanus, Toletanus. Octavo demum loco primus occurrit Luſitaniæ Epiſcopus, Vincentius Oſſonobenſis; quem poſt, recenſentur alii undecim modo ex una, modo ex alia trium provinciarum. Quæro; num Accitanam, Menteſanam, Oſſonobenſem unamquamque ſuæ provinciæ ſedibus præferendam putas? At in Bætica eſſe debuit præcipua ſedes Hiſpalis; in Luſitania Auguſta Emerita; in Tarraconenſi Tarraco. Num Accitanam ſedem, quæ prima omnium Apoſtolicos viros hoſpitio excepit, ſedeſque Epiſcopalis prima omnium facta eſt, ac demum prima omnium inter Sedes Epiſcopales recenſetur in Concilio, a Patribus indicari arbitraris per *primam Cathedram*? At monet Africa finitima, id ſecus eſſe, Carthaginis exemplo in medium prolato, quæ quum ſemel prærogativam inter alias ſedes habuerit, nunquam deinceps exuiſſe illam legitur; imo potius illuſtrior poſt Conſtantini pacem effecta eſt, & ſiquando inter Wandalos immaniſſimos caput extulit, ſeu Maurorum rebus afflictis ad momentum revixit, priſtina ſemper dignitate conſpicuam ſuſpicere illam eſt. Contra Accitana ſedes Carthaginenſis provinciæ, poſt Coſtantini ordinationem, ſuffraganea eſſe cœpit nullum antiquæ dignitatis, quam habuerit, veſtigium relinquens. Alia igitur via incedi oportet, ut Hiſpanorum Præſulum diſciplinam hac in parte aſſequamur: Ea vero nulla alia eſt, præter ſuperius indicatam: Hiſpaniarum nimirum Antiſtites aut Africanorum exemplo, aut natura ipſa duce, nam Afris antiquiores multo iidem ſunt, ſenioribus ordinatione deferre primas conſueviſſe. Ita enim eſt majorum in more poſitum; ita Eccleſia ſemper tenuit, ac tenet; ita Sacrum Emm. Cardinalium Collegium Eccleſiæ omnis exemplum docet, ut Eccleſiæ Proceres una eademque dignitate conſpicui, niſi ſublimiori aliquo gradu alter alterum præeat, antiquitate dumtaxat ordinationis invicem ſecernantur. Concilium quoque Tridentinum hanc certiſſimam doctrinam affirmat, ubi de convocandis conciliis provincialibus decernit: *Metropolitani*, inquiens, *per ſe ipſos, ſeu illis legitime impeditis Coepiſcopus antiquior non prætermittat Synodum in provincia ſua cogere*. Quamobrem nequicquam Thomaſſinus, aliique Canonum vulgo Apoſtolorum credita antiquitate decepti, perſuadere conantur, quod primum, poſt decreta Apoſtolorum, de Metropolitica præeminentia ſtatutum Elibertini Concilii Patribus refertur acceptum, nam ii de Epiſcopis antiquioribus, non de Metropolitis, decernunt.

Seſſ. 24. de ref. c. 2.

X.

Idem urgetur, penſiuſque o-

Hanc profecto ſimilitudinem Eccleſiarum Africanæ & Hiſpanicæ neminem obſervaſſe, dignum videtur admiratione: canon quip-

DISSERT. I. CAP. IV. Ostenditur Depositionis Episcoporum ratione habita.

quippe Elibertinus satis apertam sententiam continet; *Maxime*, inquit, *in eo loco, in quo primæ Cathedræ constitutus est Episcopus*. Nullam ut audis Civitatem nominat, nam desultoriæ erant primæ istæ Cathedræ in provinciis: quare quæ in ulteriori Hispania tunc erat Acci, brevi futura erat Hispalis, ejusque Episcopo ante Accitanum moriente, Agabra &c. antiquitatis Præsulum ratione habita; ac perinde evenire poterat in duabus provinciis cæteris, quarum Episcopi primæ sedis, juniores erant; siquidem tres Mentesano Seniores, septem Ossonobensi comperies, si cœtum omnem Episcoporum consideres neglectis provinciis. Majori tamen dignum admiratione est, quod eruditi plures tum qui afferunt jura S. Sedis, tum qui eadem audacissime oppugnant, Synodum provinciæ, & judiciorum formam rudi in hac Hispanorum disciplina ausi sint deprehendere. Quod quum præstiterint unica Basilidis & Martialis causa inspecta, quam omnes ex Cypriani Epistola alibi laudata hauserunt, operæ pretium fecero, si rem totam quemadmodum se habuit, compendiario hic exhibeam. Lectis Cyprianus epistolis presbyteri Felicis, & Ecclesiarum Legionis, & Asturicæ, necnon Lælii Diaconi, & Ecclesiæ Emeritensis, quas attulerant Felix, & Sabinus Episcopi suffecti Basilidi, & Martiali jam expulsis propter scelera, lectisque in conventu Fratrum Episcoporum, ut moris erat Ecclesiæ veteris in rebus momenti; quoniam consilium Hispanos petere intellexit, tum hoc non negat, tum Scripturarum testimonio allato, quæ summa ejus eruditio erat, uberrime ostendit, quod Ecclesiæ Hispanorum regi potius a recens rite ordinatis debebant, quam ab expulsis, quorum scelera detestatur, ac Basilidis præsertim obreptionem exaggerat, qui Stephano Pontifici ausus erat imponere, ut suam in Ecclesiam summa illius autoritate restitueretur. En principium epistolæ clarius luce ipsa, qua utimur: *Cyprianus &c. Felici presbytero, & plebibus consistentibus ad Legionem, & Asturicæ, item Lælio Diacono, & plebi Emeritæ consistentibus fratribus in Domino salutem. Quum in unum convenissemus, legimus literas vestras, fratres dilectissimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Coepiscopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei timore fecistis, significantes, Basilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos & nefandorum facinorum conscientia vinctos Episcopatum gerere, & sacerdotium Dei administrare non oportere; & desiderastis rescribi ad hæc vobis, & justam pariter, ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ sublevari*. Et infra de Basilide specialiter loquens, ausum eum esse exaggerat Romam pergere, ac Stephanum Papam deci-

S. Cypr. ep. 68.

decipere, ut ejus autoritate in ſedem Epiſcopalem, unde erat dejectus, reſtitueretur. Quamobrem multis Sacræ Scripturæ locis allatis, oſtendit, Baſilidem non eſſe Epiſcopatu dignum, quippe *ad ſuperiora ejus peccata etiam fallaciæ, & circumventionis crimen acceſſerat*: ac poſtremo quidquid rationum ipſe congeſſerat, ut *ſolatio, vel auxilio* (notanda hæc Cypriani verba ab iis qui S. Sedis ſummam autoritatem corrodere non verentur) eſſet iis, qui ſceleſtiſſimum Epiſcopum, autoritate Romani Pontificis decepti ejuſdem fraudibus nitentem, munere ſuo fungi per ſummum nefas dolebant, confirmat Cornelii Papæ Decreto: *Maxime*, inquiens, *quum jampridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis etiam Cornelius collega noſter, ſacerdos pacificus, ac juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque ſacerdotali honore prohiberi*.

XI. Depoſitio Epiſcoporum Hiſpan. a viciniotibus Epiſcopis, ut ordinatio fiebat prior. ſec.

Præterea hic rerum a Cornelio & Africanis geſtarum ſeriem, adverſus Novatianos contendentes, quod ii ſuſcipiendi non erant in communionem, qui Idolis ſacrificaverant; quod ſchiſma avulſum eſſe per Cornelii decretum Cyprianus indicat. Hiſpanienſis ſiquidem diſciplina in dejiciendis a ſua ſede Epiſcopis, me revocat ad rem meam. Quamquam, ut ego arbitror, ſatis aperte liqueat de maxima Hiſpaniæ provinciarum cum Africanis ſimilitudine, haud tamen affirmare auſim, utramque Eccleſiam conferri omnino poſſe; quippe Epiſcopi Carthaginenſis Africæ inter cæteros illius Eccleſiæ Præſules quædam hactenus incompertæ origini s præſtantia, inter Hiſpanos nequicquam quæritur. Hinc eſt, quod Baſilidis & Martialis depoſitiones non modo nihil habent ſimile cum iis, quæ per quartum ſæculum cœperunt fieri poſt Metropolitarum inſtitutionem in provinciis, ſtabilitamque judiciorum formam; ſed ne cum Africanis quidem tertii ſeculi comparari poſſunt, tum quia frequentia Epiſcoporum Africæ, conventubus ſeu Conciliis celebrandis conducebat; tum quia peculiarem hanc Africæ diſciplinam coeundi Epiſcopos plures in Concilium, ſi Romam excipiamus, in nulla Occidentis Eccleſia reperiemus. Tametſi dignum notatu eſt, quod ubi de Epiſcopo deponendo res fuit, juxta veterem illam diſciplinam æque attendebatur populi teſtimonium, atque in illius ordinatione actum erat: quare formale judicium provincialis ſynodi nequicquam quæritur illo ævo. Cujus rei luculentiſſimum ſuppetit argumentum ex eodem Cypriano, quum Stephani Romani Pontificis ſummam autoritatem in univerſam Eccleſiam implorans contra Marcianum Arelatenſem Epi-

Dissert. I. Cap. IV.

S. Cypr. ep. 67.

Episcopum in Novatiani errorem lapsum: *Dirigantur*, inquit, *in provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litera, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur*. Hæc siquidem si conferantur cum iis, quæ nuper attuli ex epistola sexagesima octava, disciplinam veterum depositionum palam facient. Iidem scilicet Episcopi viciniores provinciæ, qui consecrare Episcopum plebi alicui consueverunt, eadem præsente, quum Episcopalis sedes vacabat, ubi depositionis causæ aderant, perinde conveniebant, auditaque ipsius plebis accusatione, alium Episcopum substituebant in illius locum, eo *abstento* seu communione privato. Etenim tam ordinationis, quam depositionis Episcoporum, nulli adhuc Canones Conciliorum, nullaque Romanorum Pontificum Decreta, quod sciamus, definiverant disciplinam. Et, quod maxime animadverti velim, ea in Episcoporum æqualitate unius Romani Pontificis prærogativam agnoscentium, judicium Episcopi ab judicio presbyterorum, & diaconorum, putabat Cyprianus, numero tantum Præsulum judicantium discrepare. *Quum statutum sit*, ait Cornelio Papæ de Fortunato & Felicissimo presbyteris, *omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum; & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus præsumus non circumcursare nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possunt.* Perinde autem faciendum occasione *abstinendi* Episcopos credidisse, non erit obscurum memoria repetenti, quod Cyprianus de ordinatione Episcoporum agens, fieri illam ajebat ex traditione Divina, & Apostolica, *plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Atque eapropter, nullo adhuc Canone Conciliorum, nullove Romani Pontificis Decreto secus jubente, quis miretur, zelum domus Dei Cypriano persuasisse, ut dejectiones Episcoporum sceleribus inquinatorum ita fieri oportere contenderet?

Idem ep. 55.

Idem ep. 68.

XII. Post hujusmodi depositiones unica erat appellatio ad S. Sedem.

Equidem illam eamdem Sancti Præsulis ad Cornelium Papam epistolam serio animadvertens, præclarisque eam argumentis inspersam videns, quibus Romani Pontificis, sanctæque Sedis prærogativam, seu supremam in universam Ecclesiam potestatem fatetur, temporumque rationem habens, Cypriano non ausim vitio vertere, quod duce traditione ita agendum contenderit in causis Epi-

Episcoporum. Audaciam vero eorum condemno, tum qui ex Cypriani aliusve antiqui Patris ardenti in Religionem studio argumenta adversus Romani Pontificis autoritatem expiscantur, tum qui, Theologorum veterum, recentiorumque turba reclamante, falsitatis insimulant Patrum opera, temporum rerumque conditione non explorata. At enim Cyprianus ait: *Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens .... Insuper Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Et alibi dixerat: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* Necnon de Cornelii ejusdem Papæ electione agens: *Factus est autem*, inquit, *Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit suffragio, & de sacerdotum antiquorum, & virorum bonorum collegio, quum nemo ante se factus esset, quum Fabiani locus, idest quum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.* Hinc vero satis liquet, Cyprianum nosse optime, quod Romanus Pontifex summa in universam Ecclesiam autoritate pollebat, tanquam Petri Ecclesiæ Capitis, & principis Episcopatus successor. Quamobrem ii prorsus desipiunt, qui Cyprianum adhibent testem, ut appellationes ad S. Sedem in dubium revocent: hic siquidem non negavit potuisse fieri; putavit, contenditque non debuisse Sedem illam sacrosanctam decipi, unde unitas sacerdotalis proficiscitur; ac sacerdotalem concordiam *subdola, & fallaci temeritate collidi a presbyteris Romam ire ausis.* Idem porro evenit in causa Episcoporum Hispaniæ, quam supra attuli. Res enim erat de scelere Idolo-latriæ ab Episcopis perpetrato, quod genus flagitii severissima plectendum pœna, ut plures Elibertini Canones docent, dissimulatum noverat, sanctæque Sedis autoritatem petitam, ut de damnatione æquissima triumpharetur. Idcirco novum Basilidis flagitium exaggerat, quod *Stephanum Papam fefellit, ut exambiret injuste se reponi in Episcopatum, de quo fuerat depositus*: verum præstantissimum hac occasione exemplum affert supremæ potestatis Romani Pontificis, quem unum restituere posse Episcopis sedem suam affirmat, utpote unum inter omnes Principem.

S. Cypr. ep. 55.

Idem ep. 40.

Idem ep. 52.

Conc. Illib. c. 1. 2. 3. 4. 40. 41. 46. 55. 56. 57. 59. 60.

XIII. Ibi enim supremam esse potestatem in regendo Christi ovili nemo antiquor. ignoravit.

Non me latet, carpsisse hæreticos quidquid apud Cyprianum invenerunt, ut parem Apostolorum omnium potestatem, proindeque Episcoporum evincerent: quos imitari non puduit Catholicos nonnullos novarum rerum cupidos. Præ aliis vero celebris est locus in libro de unitate Ecclesiæ: *Hoc erant utique*, inquit, *cæteri*

DISSERT. I. CAP. IV. *teri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur*. Tametsi paulo infra præter hanc paritatem honoris & potestatis, supremam autoritatem declarat, quam vaferrime illi dissimulant: *Compendio*, ait, *veritatis loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, &c. & portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam & illi pascendas mandat oves suas*. Id autem hæretici faciunt, ut vel Primatum Petro, & successoribus negent; aliique, ut supremæ autoritati Pontificis quid detrahentes Episcopalem plus æquo extollant, suumque ita finem assequantur. Utrorumque deliria, versutiæ, machinamenta eo devenerunt doctissimorum Theologorum opera, ut novum de iis sermonem instituere, libido potius, quam necessitas scribendi dici possit. Quum tamen nonnihil de iisdem differere opus habeam in sequentibus, abs re facturus non esse videar, si traditionis illius Divinæ, & Apostolicæ autoritate, qua Patres inhærere vidimus ante Conciliorum Canones, & Decreta Pontificum, demonstravero, qua honore & potestate pares erant Apostoli, ac proinde sint Episcopi eorum successores; & qua Divus Petrus præibat cæteris autoritate, adeoque illius Successor Romanus Pontifex suprema in universam Ecclesiam potestate utitur. Coram Apostolis aliis Petrum alloquens Christus: *Tu*, inquit, *es Petrus, & super hanc petram ædifica-*
Matth. 16. 17. *bo Ecclesiam meam & tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcumque solveris &c.* (Prætereo hic Apostolorum eorumdem aper-
Marc. 9. 34. tissimum rei testimonium: *Quid in via tractabatis?* ait Christus post allatam promissionem mussitantibus Apostolis: *At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset*.) Potestatem hanc præ aliis Apostolis promissam Petro, eidem confert post resurrectionem pari modo præsentibus Apostolis aliis, licet non omnibus: *Simon*, inquit, *Joannis, diligis me*
Jo. 21. 16. 17. *plus his? Pasce agnos meos. Pasce agnos meos. Pasce oves meas.*
Matth. 18. 18. Promissi hujus partem alteram post Petrum & aliis fecit: *Quæcumque*, ajens, *alligaveritis super terram &c.* iisdem post resurre-
Jo. 20. ctionem præstitit quod promiserat. *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata &c.* Commentariis ista non indigent, si autem desiderantur, passim habentur apud doctissimum Bellarminum, Theologosque innumeros. Hæc divina oracula probe intelligentes antiqui Episcopi, si forte e suis sedibus ejiciebantur, ad sedem successorum D. Petri undique convenerunt:

runt: *Ad hanc enim Ecclesiam*, ait S.Irenæus, *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, fideles.*

DISSERT. I. CAP. IV. *Adv.hær.lib.3. c.3.*

XIV. Quatenus Pontificia, & Episcopalis dignitas ac potestas æquales sunt.

Accuratius expendi oportet utramque potestatem; neque enim minus cavendum est, ne suprema Pontificis autoritas deprimatur, quam ne, obtentu eam extollendi, autoritas Episcopalis destruatur. Utriusque dignitatis originem & potestatem si spectemus, facile assequemur Cypriani illud de Apostolis omnibus: *pari consortio præditis honoris, & potestatis*. Et sane in ultima Cœna Christus potestatem ordinis ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum largitus est una eademque ratione omnibus: *Hoc*, inquiens, *facite in meam commemorationem*. Perinde ad remittenda, seu retinenda peccata fidelium: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc quum dixisset insufflavit, & dixit eis accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Necnon ad prædicandum ubique Evangelium: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. (Quæ postrema verba extraordinariam indicant potestatem paulo infra explicandam, quam a Christo Domino Apostoli omnes acceperunt.) Verum præter communem hanc potestatem, aliam penitus singularem accepit Petrus, quam pariter Cyprianus disserte explicat, omnia hæc (quæ iterum referre lubet) Petro uni, exclusis omnino cæteris, a Christo data enumerans: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce Oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas*. Equidem dicam quod sentio, aut insanire illos puto qui a perspicuis hisce ac divinis oraculis recedentes, testimoniis Patrum subobscuris supremam hanc potestatem conantur dubiam reddere; aut Schismatis conflandi cupidos censeo: quippe eos video, quemadmodum de schismaticis idem Cyprianus affirmat laudato loco: *Asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur*. At enimvero quis mecum non sentiat? Inhærent illi scilicet inconstantia S. Augustini super vera interpretatione Petræ; nam Syriacæ & hebraicæ linguæ ignarus *Cepham*, latine petram dici non intelligens, putavit se errasse, quum aliorum instar Pa-

Luc. 22. 19.

Joan. 20. 21.

Marc. 16.

S.Cypr.de unit. Eccles.

DISSERT. I. CAP. IV. *Retract. lib. 1. c. 21.*

trum docuit, Petrum esse illam petram super quam fundata erat Ecclesia; ideoque doctrinam hanc retractavit: *Non enim*, inquiens, *dictum est illi, Tu es Petra, sed tu es Petrus*. Verum observare illos decuit, quod ibidem S. Doctor suam incostantiam fatetur; quumque sua ætate nullum immineret periculum Ecclesiæ unitati, credereturne eadem fundata super Christum, qui est petra, an super Petrum, qui pariter petra est, ancipitis suæ doctrinæ lectorem fecit judicem: *Harum duarum sententiarum quæ sit probabilior eligat lector*.

XV. Quatenus Pontificia Episcopalem superat.

Neminem hodie præterit, quod S. Hieronymus Augustini æqualis, hebraice, Syriaceque doctissimus, cumque eo vis ingens Sanctorum Patrum non modo probabiliorem, sed certissimam esse sententiam illam, quæ pro petra Petrum accipi oportere docet, affirmat. Neque enim magnos eos doctores turbavit Apostolus Christum appellans *fundamentum*, *summumque angularem lapidem*; tum quia Apostolos etiam & Prophetas fundamenta ab eodem vocari intellexerunt; tum quia Christum esse petram principalem, gratiarumque omnium fontem & originem, ut alibi ab eodem Apostolo petræ nomine significatur, nullatenus impedire agnoverunt, quin super Petrum infallibilis Ecclesia Christi ædificaretur a Christo eodem infallibili Ecclesiæ Capite, at invisibili; namque in cœlis est, quo antequam ascenderet, visibilis Ecclesiæ caput similiter visibile hic in terris reliquit Petrum, prærogativas in eum omnes effundens, Scriptura teste, quæ ad omne Christi ovile, idest fideles, eorumque parentes Apostolos seu Episcopos, *agnos*, *& oves*, pascendum fuerant necessariæ. Harum vero nullam Apostolorum alicui largitus est. Super unum Petrum ædificavit Ecclesiam, (quod recte intelligens Cyprianus, semper *super Petrum*, non *super petram* pronunciat) idest centrum in eo & successoribus constituit Fidei Christianæ, doctrinamque infallibilem de ipsa Fide & moribus; Petro uni dedit claves regni Cœlorum, idest Principem renunciavit hujus Ecclesiæ Petrum unum, ut videlicet non gregi tantum suo ut cæteri, sed omnium gregibus præesset, & uno verbo *custodiret ipsos custodes*. Vix unum promisit Petro, quod datum postea etiam aliis compertum est *Ligare*, & *solvere*. Quam utique potestatem fecisse primum Petro soli, deinde Petro & Apostolis simul, singulare quicquam præsefert. At lubet pro coronide hujus doctrinæ S. Isidori Hispalensis, egregii Doctoris Ecclesiæ sententiam hic subjicere, ex epistola ad Eugenium Toletanum Episcopum: *Quod vero*, inquit, *de parilitate agitur Apostolorum*, *Petrus præeminet cæteris*, *qui a Domino audire meruit*: *Tu vocaberis Cephas*, *tu es Petrus &c. &* *non*

S. Isidor. p. m. 489.

non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei & Virginis Filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit. Itaque ut Catholice de hoc discrimine potestatis definiamus, id statuere oportet, quod Romanus Pontifex, ut Petri Successor, est Princeps, seu Monarcha universæ Ecclesiæ, qua in re nihil omnino habent cum eo simile Episcopi cæteri, quippe qui subjecti eidem sunt. Idque autor Commentariorum in epistolas Pauli ab aliis Ambrosius, Hilarius ab aliis creditus, perspicue docet: *Quum totus*, ait, *mundus Dei sit; tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cujus hodie rector est Damasus*.

DISSERT. I. CAP. IV.

Aut. Comm. in 1. Tim. cap. 3.

XVI. Rom. Pontifex idem est in Ecclesia, qui Monarcha in republica.

Ita, si meministi, Romano Imperio fuit nomen Domus Augusta, tametsi multi illud Principes, multaque minora officia administrarent: nam Princeps Summus seu Imperator ipsis Principibus distribuebat officia. Hoc sibi volebat Optatus, ubi ait: *Præferri Petrus cæteris Apostolis meruit, & Claves regni Cœlorum communicandas cæteris solus accepit*. Et hae quidem in parte perinde est de privilegio illo Pontificio, quod usque adeo fastidiunt Dupinii asseclæ. Minime enim secernunt jurisdictionem Apostolicam ab Episcopali; quum tamen, excepto Romano Pontifice, qui succedit Petro Ecclesiæ Capiti, & Monarchæ, Episcopi alii omnes, Episcopalis tantum jurisdictionis hæredes sint, non Apostolicæ; quam ideo habuerunt Apostoli communem cum Petro, ut *in omnem terram exiret sonus eorum &c.* Fuisse autem hanc jurisdictionem Extraordinariam Apostolis, neque ad Episcopos transiisse, ut molestiam nobis non ingerant suis cavillationibus Dupiniani, satis superque discimus a vicinioribus ejus ævi Episcopis Apostolicæ traditionis scientissimis, & juxta retinentissimis. Et ne Cypriani semper testimonio eadem urgeam, ad Nicænum Concilium me verto veteris disciplinæ testem uberrimum, quod unum Innocentio docente *Omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum*. Ita igitur de Episcopali jurisdictione Nicena Synodus: *De his, qui communione privantur seu ex clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut ii qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur*. Quam rem luculentius demonstrare juvat apud Præsules Hispaniarum ante Nicænum id decretum. *Ab eo Episcopo*, ajunt Patres Elibertini, *quis recipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo fuerit. Quod si aliquis Episcopus præsumserit eum admittere, illo adhuc minime sciente vel consentiente, a quo fuerat communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse eum status sui periculo præstaturum.* Hinc est, quod alio Canone decernunt, posse presbyterum aut Diaconum jussu Episcopi communionem reddere pœniten-

Optat. lib. 1.

S. Innoc. ep. 18.

Concil. Nic. c. 5.

Conc. Illib. c. 53

Ibid c. 32.

Dissert. I. Cap. IV.

nitentibus, tametsi ex primævæ Ecclesiæ disciplina id solis Episcopis competebat. Et ante Elibertinos Patres Cyprianus ita presbyteris & Diaconis mandat: *Quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum esse, & jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis, & gravibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniat ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos directis desideraverunt.* Quæ sane literæ *Confessoriæ* nuncupatæ, Communicatoriis permutari jubentur a reconciliante Episcopo, cujus unius officium erat, minime urgente necessitate. Estque hoc præsentissimum argumentum ad evincendam jurisdictionem uniuscujusque Episcopi circumscriptam limitibus commissi unicuique gregis, itaut presbytero potius, immo etiam Diacono Episcopale munus demandaretur, quam viciniori alicui Episcopo. E contrario ex remotissima quavis provincia alieni gregis agnos & oves ad Summum Pastorem, quippe non Episcopalis, at Apostolicæ jurisdictionis hæredem omnis fatetur antiquitas, convenisse, nequicquam se torquentibus nonnullis, qui aut capti sensibus sunt, aut captos se esse simulant: nam Romano Pontifici, ut Monarchæ, Catholicus omnis orbis subjicitur. Conclamatam hanc ego causam non tractassem, nisi Hispanæ Ecclesiæ disciplina, cujus præcipua meoque tantum instituto necessaria capita expendi, Pontificiæ, simulque Episcopalis potestatis, atque jurisdictionis argumenta suppeditasset. Verumtamen quoniam brevi, sed perspicuo Ecclesiam universalem sermone sum amplexus; id affirmare non dubito, quod tribus prioribus Ecclesiæ seculis, unde novarum rerum cupidi aucupantur argumenta, quibus supremam Romani Pontificis potestatem aut negent, aut enervent, nulla ætas præclarius prærogativas D. Petri successorum palam facit.

S. Cypr. ep. 13.

Conc. Illib. c. 25



DIS-

DISSERTATIO II.

Dissert. II. Cap. I.

De Ecclesia Hispana quarti seculi.

CAPUT I.

Hispania Civilis ante Wisigothorum invasionem.

I. Nova Rom. Orbis dispositio Constantini, quâ reprehendi quâ laudari potest.



NVERSOREM, conturbatoremque Romanæ reipublicæ Constantinum Magnum appellat Zosimus (*lib. 2. hist. Eccl.*) cui adstipulantur Recentiores eruditi, præque iis Claudius Combefisius in Ammianum; *Oneravit enim*, inquiens, *rempublicam inutili officiorum ac dignitatum turba*. Quare & ipse cum Guthero dicam: *Constantini Magni pietatem ut maxime laudo; sic illius in republica administrationem minus probare possum; quod Imperii Romani magnitudinem mutationibus variis ac prodigentia perturbarit. Hic enim primus omnium fauces familiarium aperuit, quos medullis provinciarum Constantius filius saginavit*: quæ ille didicit ex Ammiano. Quî enim hanc sententiam non amplectar, dum video exspoliatis ab eo Principe ripis Danubii omni fere militum præsidio, patefactum esse aditum Hunnis, Alanis, Wandalis, Gothis, & uno verbo barbaris Septemtrionis omnibus, qui postmodo in Imperium irruentes Romani nominis gloriam extinxere? Nil autem melius demonstrat laudibusne efferenda, an potius improbanda ea forma reipublicæ, quam brevis ejus duratio. Remotiores enim Romani orbis provinciæ aut Imperii reverentia non amplius motæ brevi tyrannidem usurparunt; aut novis parere Dominis quam celeriter didicerunt: & quæ paulo ante, ut fideles sociæ, & amicæ, romanis obtemperabant legibus, eædem postea jus Romanorum onus intolerabile esse factum senserunt, certatimque jugum excutere conatæ sunt. Inter principes, quæ defecere provincias, si modo est deficere invadi ab hostibus, numerari potest Hispania, (quamquam ejus pars non modica in fide Romanorum perseveravit); nam sexaginta vix annis elapsis post constitutam hanc novam reipublicæ formam, Wisigothis parere, graveque barbarorum invasorum pondus ferre infelix debuit; quare ex illa antiquitate nobis

De offic. domus Aug. l. 1. c. 44.

DISSERT. II. CAP. I.

nobis posteris utrumque latus, & pectus lacerum ostentans, & ipsa inversoris nomine Constantinum appellat. Quæcumque autem bene verterint ante miserum eum casum, ex dispositione hac Constantiniana, breviter enarrare constitui; ea quippe ex parte laudem profecto maximam dispositio illa consequuta est, qua normam dedit Ecclesiæ ad novas ubique provincias instituendas, & ordinem Hierarchicum antea occultum explicandum. *Per singulas regiones*, ajunt Patres Antiocheni, *Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant.* At ante eos, mihi objicient, qui Constantino hanc partem laudis eripiunt, definiverat Nicænum generale Concilium: *Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo*; idque ante dispositionem Constantini; quum primum, juxta communem Autorum sententiam, instituti sunt Metropolitani. Quare suas Ecclesiam provincias qui affirmant novisse, antequam civiles constitueret Imperator, magno, gravique teste utuntur Concilio generali primo. Attamen duo allati Canones valde discrepant inter se, ad provincias quod spectat; quamquam de Metropolitica autoritate idem decernant. Nam Patres Nicæni de provinciis ante Constantinum amplissimis rem habent; Antiocheni vero de multo brevioribus Constantinianis. Id enim consuevit Ecclesia, ut civilem ordinationem in constituendis provinciis sequeretur; cujus rei habemus testem Concilii pariter generalis canonem vel dimidio seculo quinto. *Si civitas per autoritatem Imperialem renovata est, aut si renovetur in posterum civilibus, & publicis ordinationibus, etiam Ecclesiasticarum parochiarum sequatur ordinatio*: nondum enim Principes ea Ecclesiæ imitatione abusi erant. Sed de his opportunius agam, ubi & de ordine hierarchico disputabo; quæ enim dixi, sunt satis ad demonstrandum, quâ meretur laudem Constantiniana ordinatio, qua de loquimur.

Conc. Antioch. an. 340. can. 9.

Conc. Nic. can. 4.

Conc. Chalc. can. 16.

II. Quo anno Constantinus novam reipub. formam instituerit.

Stabilire igitur præsertim oportet, quando primum facta ea Civilis ordinatio, quam sequuta est Ecclesia, tum ut eas conderet provincias, quæ in monumentis Ecclesiæ vetustissimis occurrunt, tum ut hierarchicum illum ordinem, quem Leo Magnus enunciat, explicaret; tametsi aliquanto hic serius emersit, nonnullisque circumseptus ambagibus, quas fore confido, ut ego expediam animis, quos aliquot recentiorum commenta occuparunt. Constantinum reipublicæ formam aut constituisse, aut invertisse negat nemo; nam Zosimi non obscura autoritate id factum inhæret: *Conturbavit*, inquit, *& Magistratuum officia jam olim insti-*

Hist. Eccl. cap. 33. l. 2.

instituta. Nam, quum duo essent Præfecti Prætorii, qui hoc officium communiter gerebant.... Constantinus autem recte constituta loco movens unum hunc Magistratum in quatuor imperia discerpsit. Tantum quæstio est inter eruditos, quo anno id evenerit. Baronius Coss. Gallicano, & Symmacho, quum nova Roma Constantinopolis, Byzantii nomine antiquato, dedicabatur, quod collegium consulum anno Chr. 330. tribuitur, ordinatas quoque provincias affirmat. Baronii autem opinioni suffragatur nuperus Chronologus eruditissimus Franciscus Blanchinius, qui autoritate Lydiati Onuphrium, Goltzium aliosque coarguit rejicientes novam illam ordinationem in sequentem annum. Antonius autem Pagius biennio discrepat; Coss. enim Pacatiano & Hilariano, anno videlicet Chr. 332. id contigisse & affirmat & demonstrat. Animadvertit siquidem apud Chronicon Alexandrinum, his consulibus designari annonæ distributionem factam Civibus Constantinopolitanis, & Zosimus post eam distributionem narrat innovationem reipublicæ. Cassiodori etiam Chronicon favet Pagio, iisdem Coss. referens Encænia Urbis Constantinopolis. Quare aut Pagio adhæreamus, quem Blanchinius ipse non refellit, aut Baronii opinio nobis magis arrideat, biennii dumtaxat discrimine, serius ocyus esse factam videmus provinciarum dispositionem, anno videlicet 330. aut 332. Equidem, sentio, dedicatæ urbis annum a 330. removeri non posse, invicte enim probari eam ætatem video ab omnium recentiorum facile doctissimo Chronologo, autoritate fastorum Idacii, Chronici Alexandrini, & Marcellini comitis, non repugnante Pagio, qui Baronio hac in re non adversatur. Ordinationem vero reipublicæ minime factam esse eodem anno Chronicon Alexandrinum evidenter docet, notis omnibus temporis, quas videre est apud Pagium, an. 330. indicantibus, V. Idus Majas Encænia Urbis Constantinopoleos constituens; annonæ vero distributionem biennio post, dieque 18. mensis maji, post quam testatur Zosimus ordinationem provinciarum factam esse. Quamobrem tam dedicatio urbis 330., quam nova dispositio 332. certa mihi sunt.

Card. Noris de Epoch. Syrom. pag. 183.

III. Eadem in Romani orbis provinc. cognita post an. Chr. 332.

Epoche igitur certa ordinationis hujus novæ constituta, eaque ad annum Chr. 332. per nos relata, dubitatio non esse potest, quin provinciæ omnes imperii ante eum annum gubernarentur juxta veterem Augustorum institutum, aliquidne iidem ex prima ordinatione Octaviani Cæsaris mutaverint, ut de Adriano diximus, necne. Varietas autem opinionum, quam inter Scriptores diligens quisque lector inveniet dum aut ex veterum scriptis, aut ex Imperatorum Sanctionibus reipublicæ administratores nituntur erue-

DISSERT. II. CAP. I.

eruere, confugiumque omnium commune ad certissimam ordinationem Constantini, quam exhibet Notitia Imperii, abunde persuasum nobis esse jubet, quod generalis Romani orbis forma post Augusteam nequicquam quæritur ante Constantinum. Italiam profecto quatuor Consularibus ab Adriano commissam esse constat liquido; at in remotioribus provinciis, quicquid novos quæsierim Magistratus, eosque nomine tenus invenerim, sistema novum reipublicæ agnoscere hauddum potui. Hinc est, quod Hispaniam sive, ut melius dicam, continentem Hispaniæ, in tres maluerim provincias divisum proponere, quam cum Sexto Rufo quinquepartitum, ut Panvinus, cæterique faciunt, imaginari. Quid enim interpretari lubeat sententiam Scriptoris, Valentiniano breviarium rerum gestarum populi Romani, exhibentis multo post Constantini ordinationem, ita ut Adriano magis quam Constantino ipsi provincias ab eo enumeratas tribuamus? *Per omnes Hispanias*, inquit, *sex nunc* (nempe Valentininiani ævo) *sunt provinciæ*, *Tarraconensis*, *Chartaginensis*, *Lusitania*, *Callectia*, *Betica*, *transfreta etiam in solo terræ Africanæ*, *provincia Hispaniæ est*, *quæ Tingitana Mauritania cognominatur*. Quibus ex Rufi verbis, si certum aliquid non pigeat affirmari obiter (licet inexploratum) Baleares insulas, quæ septima sunt Hispaniæ provincia in Notitia, nondum fuisse Hispaniæ provinciam Valentiniani ævo affirmemus oportet; neque id cum Notitia ipsa pugnare norunt eruditi, quam constat literis consignatam esse Arcadii Honoriique tempore. Cæterum Rufus ipse contra obtrudentes Adriani ætatem reclamat: *Ex his*, ajens, *Bætica & Lusitania Consulares*, *ceteræ sunt Præsidiales*: etenim ista indicant ordinationem Constantini, utut Præsidiales inter provincias & Gallæciam enumerent, quæ Consularis, juxta Notitiam habetur. Hinc vero (ut de Balearibus insulis fecimus) Valentiniani ævo, Gallæciam nondum Consulari sub administratione esse conjicimus. Quapropter de Adriano ipso illud certum scire possumus, quod *Officia publica*, *Palatina*, *necnon militiæ in eam formam statuit*, *quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverat*; videlicet sub Arcadii, & Honorii imperio, ut docet Aurelius Victor: at novam reipublicæ formam Constantino Maximo reservamus; quam, ut supra est demonstratum, constituere prohibemur ante annum Chr. 332. ac proinde mutationem in Romani orbis provincias sensibilem ante id temporis inferre nec debemus, nec possumus.

Sex. Ruf. Fest. breviar.

Idem ibi.

Impp. Epitome in Hadr.

IV. Ordinatio Constantiniana circa provincias Hispaniæ.

Præ oculis ponenda nunc esset Dispositio eadem, prout extat in breviario, seu Notitia Romani Imperii ultra Arcadii Honoriique tempora. Verum hæc satis nota est eruditis, ac præterea nec

nec quæ ad Orientem ſpectant, cum meo inſtituto aliquid faciunt, nec provinciarum occidentis pars major enumeranda mihi eſt agenti de unica Diœceſi. Quamobrem ejus Notitiæ ſumma dumtaxat capita attingam, quæ ad meam Spartam adornandam neceſſaria erunt. Diviſo per Conſtantinum Orbe Romano inter quatuor Præfectos Prætorio, horum duobus Orientem, duobus alteris Occidentem adminiſtrandum commiſit. In Oriente Proconſules, Vicarii, Comites Præfectis ſuberant, iiſque obtemperabant Conſulares, Correctores, & Præſides. In Occidente autem Vicarii tantum ſub Præfectorum imperio erant; ipſiſque Vicariis, ſi tres Italiæ Correctores, unicumque Africæ Proconſulem demas, cæteri omnes Magiſtratus Conſulares, & Præſides moremgerebant. Utraque Imperii pars in ſeptenas omnino Diœceſes dividebatur. Præfecto Prætorio Illyrici pauciores, quam reliquis obvenerant, nam Dacia tantum, & Macedonia illi ſuberant. Præfectus Prætorio Orientis numero plures, quam alii, Diœceſes ſortitus erat, quippe Aſiæ, Ponti, Orientis, Ægypti, Thraciæ Diœceſibus jura dabat. Septem vero Diœceſes Occidentis ita inter duos Præfectos dividebantur, ut quatuor parerent Præfecto Prætorio Italiæ, Roma, Italia, Illyricum Occidentale, Africa; tres autem reliquæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Præfecto Prætorio Galliarum. Poſtremæ hujus quadripartiti imperii partis unica Diœceſis Hiſpaniarum ad nos attinet. Ea vero in provincias ſeptem dividebatur, Bæticam, Luſitaniam, Gallæciam Conſulares, Tarraconenſem, Chartaginenſem, Baleares inſulas, Mauritaniam Tingitanam Præſidiales: earumque erant Metropoles, ſeu Conſularium, & Præſidum ſedes Hiſpalis, Emerita, Bracara, Cæſarauguſta, Carthago nova, Palma, Tingis. Quin etiam hac ex Diœceſi Tractus Galliarum, (ita appellabatur pars illa Imperii quam regebat Præfectus Prætorio) quas duas provincias omnium poſtremas enumeravi, tanquam extra continentem Hiſpanienſis Diœceſis, Baleares inſulas, & Mauritaniam Tingitanam præterire conſtitui: ſatis enim eſt ad res Eccleſiæ demonſtrandas, ſermonem habere de iis quinque provinciis, quæ intra limites continentis ſitæ ſunt; neutra quippe earum erat provincia Eccleſiaſtica Hiſpaniarum, Tingitana ad Africam pertinente, & Balearibus Eccleſiaſticam haud provinciam conſtituentibus. De iis igitur quinque mox loquar ſingillatim; moneo tamen, ut memoria teneantur quas prætereo, ne mutilam videar Diœceſim deſcribere, dum Eccleſiæ magis, quam civilibus rebus inſervio.

V. Præfecti Prætorio & Vicariorum autoritas.

Summam Præfectorum Prætorio autoritatem, quade Pancirolus, Gutherus, & Gothofredus, inſpectione legum, uberri-

DISSERT. II. CAP. I.

me disputant; quum castrensis, civilisque omnis potestas apud eosdem esset; eousque provectam a Constantino, utilitatemne reipublicæ, an damnum interpretemur (eo quod nonnulli asserere sibi imperium sint ausi, unde tyrannis, & excidium) res ipsa docet. Cæterum Præfecti adorabantur more Principum, & vice sacra judicabant: quin idem Constantinus, ne contingi veneratio Principis videretur, a sententia eorum provocari vetuit. Quare constat, Præfectum unumquemque in suo Tractu summum exercuisse imperium, causasque omnes Diœceseon, quibus præerat, nisi a Præsidibus, Consularibus, Rectoribusque provinciarum quiescente utraque parte absolvebantur, sive etiam per Vicarium Diœcesis, supremo veluti ex tribunali cognitas definitasque esse a Præfecto Prætorio, tanquam Principe. Trium itaque Diœceseon Galliarum, Hispaniarum, Britanniarum Vicarii Præfectum Prætorio Galliarum venerabantur ut Principem; quumque hujus sedes esset Treviris constituta, hinc Rectores provinciarum, si ei lubebat, confirmabat, hinc dabat Codicillos administrationis iis, qui alterius aut defuncti, aut aliam ob causam officio haud fungentis loco regebant provinciam, quoad novus Rector ab Imperatore crearetur; hinc Judices mittebat in provincias, removebatque officio, si aderant causæ, hinc denique acta & delegationes a Principe manantes mittebat in provincias, & tributa iisdem indicebat. Spectabilium autem Vicariorum, qui pro Præfectis Prætorio in Diœcesibus judicabant, si Vicarium urbis Romæ exceperis, qui propriam jurisdictionem beneficio Principis exercebat, magna quidem, at non summa erat autoritas, eaque in civilibus tantum rebus versabatur: Castrenses enim quod spectat, Vicarii potestatem Comes militum superabat, perinde ac Vicarius in civilibus Comiti præferebatur. Quo autem inferiores Vicarii erant Præfectis, eo præstantiores Præsidibus, & Consularibus, cæterisque Rectoribus censebantur: hi siquidem provincias singulas, illi singulas Diœceses administrabant; & quamquam præsente Præfecto iidem essent privati, quippe qui vices Præfecti absentis agebant: tamen Magistratus hic erat valde conspicuus, ab ipso Principe conferebatur, (inter Senatores Vicarios censeri tradit Cassiodorus) aliisque utebatur insignibus, queis merito inter Spectabiles Magistratus recensebatur.

Variar. lib. 6. formul. 15.

VI. Rursus de Vicarii Diœceseos autoritate.

Alia profecto Vicariæ dignitatis eximia ornamenta Cassiodorus laudato loco enumerat, quæ ipsemet, ut ingenue dicam, Vicariis omnibus tribuere quemquam ægre fero. Sermo enim est in ea formula de Vicario urbis Romæ, quem ab aliis secernendum ajebam. Hinc est quod Senatorum ipsi ordinem assequerentur, necne, fides apud Pancirolum sit, qui Cassiodori locum, de Vicariis in ge-

Notit. Imp. Or. cap. 122.

genere interpretatur. Magna cæteroqui autoritate, dignitateque illos præstitisse testatur Rex Theudericus instaurator Dignitatum Imperii apud eumdem Cassiodorum, quamquam duobus fere seculis post institutum eum Magistratum, id testetur. Instruit is Virum spectabilem Gemellum, quem in Gallias nuper a se debellatas Præfecturæ Vicarium mittit, hisque inter cætera eum verbis alloquitur; *Talem te judicem provincia fessa suscipiat, qualem Romanum Principem transmisisse cognoscat. Desiderat viros egregios coacta cladibus suis. Effice, ut victam fuisse delectet. Nihil tale sentiat, quale patiebatur, quum Romam quæreret*, & capite sequenti universis provincialibus Galliarum; *Ideo enim*, inquit, *vobis Præfecturæ Vicarium direximus, ut cum tanta dignitate & civilem videamur regulam destinasse*. Ex quibus & autoritatem & dignitatem Vicarii Diœceseos abunde dignoscitur cum ea, qua utebantur Præfecti, utpote summa, comparari certe non posse, at magnam aliique cuivis præferendam esse; nisi forte Proconsularem, Comitisque Orientis, ac Præfecti Augustalis Ægypti autoritatem eidem æquandam velimus, quippe quibus plures provinciarum Rectores obtemperabant, ut de Vicariis dictum est. Quamobrem prætermissis iis omnibus, quæ viri doctissimi disputarunt adversus Constantinianam Ordinationem, nos, qui Ecclesiam inspicimus carpere nullo modo eamdem possumus: Divina enim dispositione esse factum videbimus, ubi ad res Ecclesiæ convertetur sermo; ut præter cujuscumque provinciæ Rectorem, Tractus quoque cujusvis Diœceses singulæ, autoritate & dignitate majorem haberent Magistratum, qui ab ipso Principe mitteretur, ipsius Principis legum observantiam tueretur, causasque omnes Diœcesis cognosceret ab aliis Rectoribus judicatas, nullaque appellandi spes ab eo esset nisi ad ipsum Principem, seu ad Præfectum Prætorio, qui loco Principis habebatur. Interea, quum breviter disputandum mihi fuerit de his dignitatibus in genere, qua in re prolixior fuisse ab aliquibus forte dicar, quam res postulare videatur, ad Hispaniarum Diœcesim juxta narrata explorandam totum me verto.

DISSERT. II. CAP. I.

Variar. l. 3. cap. 16.

VII. Vicarius Diœcesis Hispaniarum.

Spectabilis igitur Vicarius Hispaniarum, qui præ aliis nominatur ut animadvertit Gothofredus, sub Præfecto Prætorio Galliarum *l. 61. de cursu publico*: sedem habebat Hispali in urbe Metropoli provinciæ Bæticæ, ut patet ex *l. 5. de Sponsalibus Cod. Theodos.* Omnia hujus Diœcesis Vicariorum nomina non extant; quæ autem suppetunt ex Codice Theodosiano, idem vir doctissimus Gothofredus collegit. Tiberianus scilicet ea dignitate erat conspicuus anno Chr. 336. Albinus, 341. Valerianus, 365. Artemius,

M 2

DISSERT. II. CAP. I.

temius, 369. 370. Martinianus, 383. Petronius 395. 396. 397. Macrobius 399. 400. Res hic non parvi momenti indicanda mihi erit, feliciori fortasse olim ingenio penitius exploranda. Tum Palatinorum, tum provincialium Magistratuum scientissimi Pancirolus, & Gothofredus observant, quod Constantino Magno imperatore, præter Vicarium Diœcesis Hispaniarum, leges aliquot commemorant etiam Comitem. Hunc Pancirolus eumdem esse putat, ac Vicarium: *Constantinus*, ajens, *Vicariis Comitis titulum addidit: Octavianum enim Hispaniarum Comitem creavit, mox Tiberianum, quem aliquando Vicarium, quandoque comitem appellat*. Gothofredus vero & ipse fatetur, sub Constantino tantum ejus mentionem occurrere: at diversum a Vicario esse ostendit, dum Cordubæ constituit illius sedem; quum autem inter Spectabiles locum ei det, Comitivam primi ordinis, ac potestatem Vicarii similem in plures provincias, tribuit. Uterque Octavianum agnoscit, ætatem addente Gothofredo, annum nempe 317. ac præterea Comitem alium detegente, Severum nomine, qui Comitiva sit fruitus annis 333. 334. 336. tametsi de Tiberiano, quem primum Vicariorum enumerat, apud Cod. Justinian. relinquit fidem, cujus *l.6.de servis fugit.* etiam hic appellatur Comes Hispaniarum, anno scilicet 332. ante Severi Comitivam. Quid hac in re statuendum mihi videatur, dicam libere, non meam ut in sententiam alios pertraham, sed ne dicar dissimulare quæ incerta mihi sunt. Rejicio primum quidquid Pancirolus docet de Constantino, quod nempe Vicariis, Comitum nomen addiderit, prolatis exemplis Tiberiani Vicarii Hispaniarum, & Tertulliani Vicarii Asianæ Diœceseos: utrumque enim Vicarium ex Chronologia legum a Pancirolo adhibitarum, Comitivam obtinuisse palam fit, ante quam Constantinus novam Reipublicæ formam institueret. Nam Tertulliano *l. 1. finium regundor.* scribitur VIII. Cal. Mart. anni 330. & Tiberiano ut nuper ajebam, eo ipso anno 332. quum novam Respublica formam induebat, antequam novos Provinciæ Magistratus agnoscerent. Quare Comitis Asianæ Diœceseos autoritate omnino rejecta, Comites Hispaniarum, aut Comitiva militari ornatos cum Gothofredo intelligo, & cum Guthero conjicio; aut civili etiam Comitiva conspicuos fuisse suspicor; nam ad Severum Comitum postremum legem 8. *de navicular.* datam esse video XIV. Cal. Jun. ad Tiberianum vero Vicarium Hispaniar. *l. 5. de Sponsalib.* Id. Jul. eodem quidem anno 336. sed duorum fere mensium intercapedine: utrovis enim modo Comites Hispaniarum accipiantur, Vicariatum minime perturbant. Vicarii quippe nomine semel audito, nullus amplius Comes occurrit. Ita

Notit. Or. cap. 122.

De off. Dom. Aug. l. 1. c. 15.

Ita mihi videtur sentiendum servata ratione temporum ad evolvendam Comitivæ, & Vicariatus confusam Panciroli doctrinam.

DISSERT. II. CAP. I.

VIII. Præsides, & Consulares Hispaniæ.

Major profecto difficultas oritur de Magistratibus provinciarum Diœcesis Hispaniarum; pauci enim occurrunt in Codice Theodosiano, & siqui in eo reperiuntur, aut ad Constantini ordinationem non pertinent, aut obscuritatis nonnihil involvunt. Et sane Julianus Præses Tarraconensis, ad quem Constantinus dat *l.* 1. *de tempor. cursu*, prid. non. Maj. anno 316. necnon Præses incertus Bæticæ, ad quem *l.* 1. *de distrab. pign.* data Castulone prid. Cal. Jan. 324. quum præcedant ordinationem reipublicæ novam, ac proinde ad rem nostram minus spectent, veteri formæ Imperii relinquentur. Duo præterea Magistratus occurrunt, Præses Bæticæ Egnatius, ad quem ipso anno Constantini Maximi emortuali 337. Constantinus Junior dat *l.*2. *de distrab. pignor.* prid. Id. Decembres; & Cælestinus Consularis Bæticæ, ad quem Constantius dedit *l.* 3. *de bonis præscriptor.* v. Cal. Sept. an. 357. Quum vero & Præses, & Consularis ejusdem provinciæ certissime debeant referri ad Constantinianæ ordinationis ævum; namque, ut nuper vidimus, Idibus Juliis 336. Tiberianus Vicarius Diœceseos Hispanæ sua in sede Hispalensi Metropoli morabatur; inde est, quod unius provinciæ, cujus Magistratus nobis exhibentur in codice, conditio varia percipitur. Quamobrem explorare oportet maturius istam rem. Ex Plinii Junioris epistolis tres Proconsules Domitiano Imperatore Bæbium Massam, mox Cæcilium Classicum, ac denique Callestrium Tironem idem Pancirolus, qui de Hispaniæ Magistratibus non semper recte, agnovit. Deinde mentionem facit Ignatii Taurini sub Adriano, & Ælii Marciani Jureconsulti sub Pio, suppresso nomine Magistratus; uterque autem in legibus a Pancirolo indicatis, ab Augustis Proconsules appellantur *l.* 4. *ff. de Sicariis*: & *l.* 2. *ff. de bis, qui sunt sui, vel alieni juris*. Quare dubitari nullatenus potest, quin Proconsules Bæticam gubernarint usque ad M. Antoninum, qui ad Imperii fastigium ascendit anno Chr. 161. tertio circiter & vicesimo post mortem Adriani, quod est argumentum non obscurum, novam illam reipublicæ formam ab eodem Adriano excogitatam, quæ alicubi evidens est, in Hispania non obtinuisse. Atque hic animo reputanda sunt quæ ajebam differtat. 1. cap. 1. provincias videlicet mihi juxta Augusteam dispositionem usque ac Constantinum M. permansisse; Magistratuum vero nomina, pro arbitrio Imperatorum mutata aliquando occurrere, tametsi Monumenta annalium prisca etiam retineant, generali Præsidum nomine non rejecto. Pancirolus post Marcianum sub Pio, descendit ad supremum Constantini annum 337. quum erat Præses

Lib. 7. *ep.* 33. *Lib.* 3. *ep.* 4. *Lib.* 7. *ep.* 16.

Bæ-

DISSERT. II. CAP. I.

Bæticæ Egnatius Faustinus, totam eam annorum circiter 180. intercapedinem Præsidibus relinquens, factamque eam provinciam postea Consularem affirmans: quin etiam videtur credere, hanc mutationem Magistratus sequutam esse Cælestinum an. 357. quippe quem præmittit suæ de illa mutatione doctrinæ.

IX. Provincia Bætica primum Præsidial. postea Consularis.

Equidem arbitror, instaurari non oportere quæstionem de Præsidum generali nomine; satis enim videor id demonstrasse primæ in dissertationis capite primo, ubi prolata inscriptione Tarraconensi anni 283. palam feci, quod M. Aurel. Valentinianus & Præses provinciæ Hispaniæ citerioris, & Legatus Augusti, & Proprætor, titulis hisce omnibus ornatus procedebat. Præterire tamen non debeo, quod ejusdem omnino conditionis mihi sunt duo nuper memorati Præsides Tarraconensis, & Bæticæ, qui Constantinianam ordinationem præveniunt; ac proinde Julianum considero, uti Præsidem provinciæ Hispaniæ Citerioris, & Legatum Augusti, & Pro-Prætorem; incertum vero Præsidem Bæticæ, tanquam ulterioris Hispaniæ Pro-Consulem. Secus est de duobus reliquis Constantini novam formam sequentibus Egnatio Præside, & Cælestino Consulari ejusdem provinciæ: atque ea propter rem quemadmodum se habet, exponam necesse est. Hispanias in quinque provincias divisas esse una cum cæteris Romani Orbis provinciis anno Chr. 332. in nova urbe Roma, seu Constantinopoli admodum probabile est; at illius in administrationem Magistratus missos esse ab antiquis diversos non constat, ante annum 336. quum certo scimus, Tiberianum Vicarium Diœcesis Hispaniarum Hispali residere. Itaque provincia Bætica ab eodem anno 336. Consularem agnoscere debuisset, ut Sextus Rufus, & notitia Imperii postmodo agnovisse testantur: nihilo tamen minus sequenti anno post Magni Constantini mortem Constantinus Junior, cui obvenerat cum aliis Diœcesibus Hispania, dat legem ad Egnatium Præsidem Bæticæ. Quid vero? Post triennium (nam Constantinus idem, quod fratri Constanti adversaretur, ab hujus militibus obtruncatur in agro Aquilejensi III. Cal. Maj. anno 340.) Bæticam paruisse viro Clarissimo Consulari testatur monumentum vetus extans Cordubæ ad D. Mariæ, quod Gruterus exscripsit e schedis Antonii Augustini, neque, ut Gothofredus observat, alii Constantino, quam huic Juniori tribui ullo pacto potest; id autem est hujusmodi:

Cod. Theod. to. 4. pag. 86.

FOR-

Gruter. pag. 383.

FORTISS. ET. INDVLGENTISS
PRINCIPI. DOMINO. NOSTRO
CONSTANTINO. VICTORI
PERPETVO. SEMPER. AVGVSTO
DECIMIVS. GEMINIANVS
VIR. CLARISS. CONSVLARIS
PROVINCIE. BAETICAE
N. M. Q. E.
DICATISSIMVS.

Quæ quum ita sint, cur tardius Constantino Magno provinciarum Hispaniensium Magistratus processerint juxta Notitiam, affirmare non ausim; nam, ut antea vidimus, Valentiniani tempore quum scribebat S. Rufus, nec Gallæciam Consularis honorem assequutam esse adhuc, idem Rufus testabatur; nec de Lusitania item Consulari aliquid aliunde certum suppetit. Attamen Bæticam evidenter novimus, ante annum 340. Consularem esse factam. Consulares autem provincias nemo nescit Præsidialibus digniores honoratioresque fuisse: unde fortasse evenit, ut minime declararentur eæ tres Hispaniæ duabus reliquis Tarraconensi, & Carthaginensi potiores, nisi post inspectam tributorum exactionem, quæ præcipua erat cura Magistratuum provincialium; hac enim in re cæteris potiores fuisse tres illas Consulares, testantur tres mulierum effigies Notitiæ, vasa habentes aureis plena, dum aliæ desiderantur.

X. *Quinque Hispan. provinciis quinque Magistratus preerant, ordinarii dicti.*

Cæterum serius ocyus præclariores factæ sint provinciæ illæ, id certe non impedit, quominus a Præsidibus quinque, totidem continentis Hispaniarum provinciæ regerentur, post ordinationem Constantini, qui omnes sub dispositione essent viri Spectabilis Vicarii Hispaniarum, cui tanquam Pro-Præfectis Prætorio Galliarum tota Diœcesis Hispanica demandata fuerat. Quare omissa sollicitudine indagandi, quando primum a Præsidibus nonnullæ ad Consulares transierint, id firmum ratumque esse debet, quod unaquæque suo Magistratui ex Clarissimorum genere obtemperabat, cujusmodi erant Rectores omnes provinciarum, quibus unica provincia committebatur, ut sunt Consulares, Correctores, Præsides. De ipsis autem Clarissimis animadversione dignum est, quod iidem Ordinarii provinciæ judices appellabantur, nec licitum erat ad Spectabilem Vicarium, seu Præfectum Prætorio confugere, antequam Clarissimus causam quamlibet, seu litem examinasset: *Nemo*, ait Constantinus l. 4. C. de jurisd. om. judic., *post*

Pancirol. not. Or. cap. 157.

DISSERT. II. CAP. I.

post litem contestatam, Ordinariæ Sedis declinet examen: nec prius Præfecti Prætorio, aut Comitis Orientis, vel alterius Spectabilis judicis imploret auxilium, quam coram Præside egerit. De iisdem vero Clarissimis Ordinariis extat Theodosii rescriptum *l. 2. C. de off. Præf. Aug.* ad Rufinum PP. *Præfectus Prætorio Augustalis Ordinariorum sub se judicum examinandi flagitia, & super his referendi, non amovendi, vel puniendi habeat potestatem*. Quas porro dispositiones Cæsarum in administratione provinciarum civili, velim serio animadverti; inde enim Romani Pontifices, & Concilia tum Generalia, tum provincialia non parum hausere, ut planum faciam sequenti capite. Idque non eo admoneo, quo melius rem docere mediter, quam eruditissimi tot Scriptores usque ad hunc diem planissime demonstrarint; sed tum quia disputandum mihi est de Ecclesia Hispana quarti seculi tam male a nonnullis habita, ut pene iterum ex vetustatis tenebris eruere illam oporteat; tum quia identidem mihi res futura est cum hominibus Ecclesiæ judiciorum originem, & progressum privato magis studio expendentibus, quam pro dignitate, ac reverentia Successorum D. Petri, qui eadem stabilierunt, de tanta re disputantibus. Cætera quæ ad officium attinent tum spectabilis Vicarii, tum Clarissimorum Ordinariorum, tamquam parum facientia ad rem Ecclesiasticam Hispaniarum Diœcesis, quæ præcipua mea cura est, prætermitto; si enim de iis quicquam dicendum aliquando erit, ut civilia cum Ecclesiasticis comparentur, consulto id fiet, quandocumque occasio se offeret. Unum præterire non debeo de eorumdem Clarissimorum Insignibus; quod nempe iisdem præferri erant soliti vultus Imperatorum in summo aureæ pilæ. *Vultus quin etiam*, ait Cassiodorus, *Regnantium geniata obsequii pompa præmittit: ut non solum summi Judicis, sed & Dominorum reverentia cumulatus orneris*. Etenim hinc, ut ante me Pancirolus observat, Crux argentea Patriarchis, & Archiepiscopis præferri solita suam duxit originem.

Variar. l. 6. form. 10.

Notit. Or. cap. 119.

XI. Civilis hæc administratio in Hispan. viguit usq. ad Gothor. invasion.

Opportunam Ecclesiæ præsertim Hispaniarum hanc Magni Constantini ordinationem fuisse palam erit, ubi tot in ea Metropoles Ecclesiasticas, quot erant Civiles, continuo institutas esse videbimus. Verum si ullus ex Romani Orbis Tractibus quam ocissime amplecti debuit Civilem ordinem, ut eidem Ecclesiasticum accommodaret, is revera fuit Tractus Galliarum, quippe quem quarto hauddum seculo evoluto & usurpata tyrannis, & barbarorum incursiones vehementer conturbarunt. Altera ex ejus Diœcesibus Hispania aliquanto tardius mutationem sensit; nam quinto seculo ineunte invasionibus patuit barbarorum: at quum iidem se-

ſemel eam ingreſſi, duobus fere ſeculis retinuerint armorum, hæreſiſque artibus, detrimentum Eccleſiis maximum importarunt, quæ niſi antea ſanctiſſimis ſtabilitæ legibus fuiſſent, everti haud dubie funditus poterant. Atque hæc ſatis paratam nobis viam aperiunt, quam ſequamur. Adhuc tamen aliquantulum, Ordinationi eidem Conſtantinianæ, inſiſtam oportet; nam confutanda eſt illorum opinio, qui ante barbaricam invaſionem contendunt, adminiſtrationem aliam eſſe advectam in Hiſpanias, quæ opinio infirmo nititur fundamento, diruendo nihilominus, ne offendiculum ſit ſtudioſis hominibus, qui Vicariatu parum contenti, Præfecturam viribus nerviſque omnibus vindicandam ſuſciperent Scriptorum autoritate, quos neſcio an incuria, ſeu potius fiducia deceperit. Interea id nobis firmum ratumque ſit velim, quod ab anno minimum 336. ad 401. Spectabiles Vicarii Diœceſim Hiſpanienſem adminiſtrarunt; quemadmodum patet ex laterculo a me exhibito ex Codice Theodoſiano; necnon quod eorum ſub diſpoſitione erant in continente Hiſpaniarum quinque Viri Clariſſimi, qui totidem provinciis ſinguli ſingulis imperabant, Conſulares, Præſidialeſve illæ fuerint, quippe de initio Conſularitatis non liquet. Quumque paulo poſt initia quinti ſeculi barbarorum irruptio Romani Imperii politiam peſſum dederit, non eſt dubium, quin paucis iis annis ſuperſtitibus, quorum nulla ſuppetit lex in Codice ad Vicarium Hiſpaniarum, genus idem adminiſtrationis viguerit; nam laudato ex laterculo evidens eſt, quod viginti ſupra annis leges quandoque ſilent, dum ſpectabiles Vicarios in Hiſpaniis eſſe negat nemo.

XII. Panciroli error de Vicariis, detegitur.

Notit. Imp. Occ. cap. 67.

Hæc quum ita ſint, confutare nunc oportet eorum doctrinam, qui Præfectum Prætorio Hiſpaniis aſſerunt, Panciroli autoritate; & ne immorer derivatis rivulis, ipſum fontem recta aggrediar. Docet Pancirolus, quod Arcadio, & Honorio imperantibus Macrobius Præfectus Prætorio Hiſpaniarum, & Proclianus Vicarius quinque provinciarum, quæ dumtaxat relictæ erant a barbaris, inveniuntur conſtituti; hujuſque novæ, & inauditæ doctrinæ teſtem citat *l.* 15. *C. Theod. de paganis, ſacrif. & templ.* quæ data eſt Ravennæ IV. Cal. Febr. 399. *Macrobio PP. Hiſpaniarum, & Procliano Vicario quinque Provinciarum.* Quam immane peccat eruditiſſimus legum interpres! Tractum plurium Diœceſeon ad unicam, eamque mutilam Diœceſin reducit; Diœceſi eidem uni mutilæque Præfectum Prætorio Illuſtrem Magiſtratum, Spectabilem Vicarium, Clariſſimoſque Conſulares & Præſides præficit; ac denique barbaricam invaſionem, reclamante hiſtoria omni, novem decemve annis retrahit, ut novam hanc Hiſpania-

DISSERT. II. CAP. I.

ſpaniarum adminiſtrationem obtrudat. Quare ſi alibi ajebam, hunc Lazio gravius peccaſſe, ut Præfecturam Hiſpaniis traderet; hic omnium oculis ſubjicio cauſam, cur id affirmare non dubitaverim: factunim autem me eſſe eamdem rem luculentiorem confido, ubi laudatæ a Pancirolo, aliarumque autoritate legum oſtendero, veniam fortaſſe aliquam Lazio antiquorum monumentorum interpreti adhibendam eſſe, ſi *Pr. Pr.* Præfectum Prætorio intellexit; nullam vero dandam interpreti Legum, qui ſecus ipſis legibus edocetur. Quod ſi Gutherus tam vehementi proſequitur reprehenſione Lazium: *Hæc quidem*, inquiens, *non reipublicæ Romanæ commentaria, ſed ægri hominis commenta dixerim*: potiori eadem jure proferri poſſe de Commentariis Guidi Panciroli in Notitiam utriuſque Imperii, dum talia peccet, perſuaſum unicuique erit. Secus autem mihi videtur. Quid enim ſim injurius viro cætera eruditiſſimo, quod graviter lapſus ſit in rerum Hiſpanienſium hiſtoria undique ſcatente commentis innumeris? Errorem potius detegam, ne impune alii ſequantur, quam probris inſequar (quod inepti homines faciunt) virum doctiſſimum, cui Officia Palatina, civilia, militaria Notitiæ, aliaque innumera Romanum Imperium illuſtrantia poſt Conſtantinum Magnum referuntur accepta.

De eff. Dom. Aug. l. 2. c. 7.

XIII. Vicarii alio etiam nomine dicebantur Pro-Præfectis.

Legem igitur quintamdecimam *de paganis* nuper laudatam lex alia ſequenti anno 400. inter plures ad Præfectum Prætorio Galliarum datas Mediolano, videlicet 61. *de curſu publico* Vincentio P. F. P. v. Id. Decemb. luculenter declarat: *Macrobium*, ait Imperator Honorius, *inlicita præſumtione evectiones feciſſe conſtitit, quum neceſſitas publica non flagitaret, quique multam temeritatis excepit. Ne autem idem in futurum contingat ſublimitas tua Vicarios admonebit, atque eorum Officia, interminatione propoſita, ut ab hujuſmodi uſurpatione noverint abſtinendum*. En Præfectum Prætorio Panciroli aperte Vicarium appellatum. Quare autem non Vicarium vocaverit Imperator Macrobium, ſed Pro-Præfectis, eruditorum communis ſententia eſt, quos reſcripta & leges Principum edocuerunt, eamdem prorſus rem eſſe Vicarium, ac Pro-Præfectis; Vicarii enim, ut obſervat Gothofredus ad prædictam legem 61. pro Præfectis Diœceſes ſibi creditas temperare dicebantur. Qui vero hanc rem enucleatius exponit, eſt eruditiſſimus Henricus Valeſius in Ammianum Marcellinum, ubi agit de Martino Pro-Præfectis Britanniarum, quem idem & Pro-Præfectis, & Vicarium nullo diſcrimine appellat. Nam Valeſius Rutilii prius teſtimonio adhibito in Itinerarii libro primo, *Aliud*, inquit, *eſt agere pro Præfecto, alud agere pro Præfectis.*

Marcellin. l. 14. cap. 5. pag. 17.

Agere

Agere enim pro Præfecto dicitur is, cui Præfectus Urbi, seu Præfectus Prætorio in speciali negotio vices suas mandavit. At vero pro Præfectis agere dicitur, qui ordine Codicillorum Vicariam potestatem exercet. Deinde Codicis Theodosiani, & ejusdem Marcellini, quem illustrat, prolatis apertissimis sententiis, postremo suam doctrinam adstruit Cledonii Senatoris Romani verbis: *Sæpe*, ajentis, *quæsitum est, utrum Vicarius dici debeat etiam is, cui magnificentissimi Præfecti vices suas in speciali causa mandaverunt. Nequaquam. Nam Vicarius dicitur is, qui ordine codicillorum vices agit amplissimæ Præfecturæ. Ille vero, cui vices mandantur propter absentiam Præfectorum, non Vicarius, sed vices agens; nec Præfecturæ, sed Præfectorum dicitur tantum.* Quid desideratur illustrius ad rem penitus assequendam, quæ Pancirolum decepit? Itaque Macrobium Pro-Præfectis Hispaniarum *l. 15. de paganis* appellatum, Vicariumque *l. 61. de cursu publico*, ipsissimum agnoscimus virum Spectabilem Constantinianæ ordinationis, & Notitiæ, illique Præfecturam Prætorio perperam adscriptam, merito abjudicamus: deinde a primo ad ultimum colligimus, quod civilis Hispaniarum administratio perseveravit usque ad barbaricam invasionem, quæ ad dissertationem hanc nequaquam spectat.

XIV. Falso tribuitur a Pancirolo Vicarius quinque provinciarum Hispaniis.

Altera nunc videnda hallucinationis pars, Vicarii nempe quinque provinciarum institutio ab Imperatoribus facta in Hispaniis, quarum tunc temporis quinque tantum provinciæ Romanis suberant, ut docet Pancirolus. At quænam eæ fuerint divinandum nobis relinquit. Equidem, quum opportunius de invasione illa, quam Pancirolus æquo mitiorem putat, disputabo, ostendam quidquid provinciarum in ditione Romanorum remansit; modo autem nihil prorsus de Hispaniarum provinciis; non enim data lex ad Vicarium Diœcesis Hispaniarum Macrobium, simulque ad Proclianum ejusdem Diœcesis Vicarium, sed conjuncte ad duos Vicarios, quorum alteri Hispania, alteri quinque in Galliis provinciæ obtemperabant: neque id novum; etenim plures inveniuntur leges ab Augustis datæ uno eodemque tempore non modo ad Officia ejusdem generis, ut exempli gratia Theodosii *l. 3. de Salgamo*, & *l. 18. de erog. mil. an.* datæ anno 393. Constantinopoli *Abundantio, & Stilichoni, & cæteris Comitibus utriusque militiæ*; sed etiam ad diversi generis Officia. Et ne ab Honorio discedamus, cujus est laudata *l. 15. de paganis* ad utrumque Vicarium, anno 408. Imperator dedit *l. 42. de hæreticis* Ravennæ *Olympio Magistro Officiorum, & Valenti Comiti Domesticorum*. Omitto plura exempla unicuique obvia in utroque Codice, præ-

 fertim

DISSERT. II. CAP. I.

sertim in Chronologia legum Theodosiani a Gothofredo digesta; unam tantum præterire non possum, nec debeo, videlicet *l. unde superindicto* quam Valentinianus anno 382. dedit Mediolani, *ad Proconsules*, *Vicarios*, *omnesque Rectores*. At enim quis miretur dedisse Honorium *l.* 15. sæpe laudatam ad duos Vicarios finitimarum Diœceseon, Tractusque unius, quum videat Valentinianum conjuncte dedisse legem ad alios aliarum Diœceseon, aliorumque Tractuum Spectabiles, necnon Clarissimos Viros legem unicam? Vereor profecto ne molestus fuerim eruditis, rem comprobans quibuscumque, ut arbitrantur, notissimam; at, mihi hanc veniam dent, scrupuli quam fieri possit pauciores relinquendi sunt iis hominibus, qui pseudo-Chronicorum, studiosorumque Autorum scriptis insueverunt; nec fidem adhibere ullam nostris dignarentur, nisi eadem confirmaremus exemplis. Cæterum patefaciendi causa, quanta errarit via Pancirolus unica in Diœcesi, eaque mutila, Præfectum Prætorio, & Vicarium constituendo, satis erat suam ipsi doctrinam de Magistratibus objicere; recte enim animadvertit, quod Præfecti Prætorio Tractibus plurium Diœceseon, Vicarii, aliique Spectabiles Diœcesibus, Consulares, Præsides, & cæteri Rectores provinciis imperabant. Jam vero vindicato Procliano Spectabili Vicario quinque provinciarum in Galliis, restat nunc, ut dicendum aliquid videatur de ipsis quinque provinciis, quamquam digredi aliquantulum ab instituto opus erit: eas enim detrahere Hispaniis, quibus Pancirolus adscripserat, neque Galliis cur afferantur demonstrare, integri, honestique scriptoris non esset.

XV. Quinque illæ provinciæ erant in Galliis.

Quo perceptu faciliorem Notitia præfert Hispaniarum Diœcesim vel ab ævo Constantinianæ ordinationis; eadem quippe ab initio fuit, quam invadentes barbari quinto ineunte seculo repererunt: eo difficiliorem exhibet Diœcesim Galliarum, cujus plures easque incertas principio, & ordine, ante pessumdatam sub initia quinti ejusdem seculi Romanorum politiam, monumenta vetera nobis indicant potius, quam demonstrent. Hinc est, quod Scriptores Franci eruditissimi de varietate provinciarum omnes conveniunt, de earumdem tamen dispositione discrepant, maximeque digladiantur. In uno conveniunt omnes, quod Augusti dispositionem in partes quatuor Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, Belgicam, Ordinatio Constantiniana in quatuordecim divisit, singulis illis quatuor in plures, paucioresve provincias dissectis. Ex Narbonensi enim quatuor emersere: *Narbonensis*, *Viennensis*, *Alpes maritimæ*, *Alpes Grajæ & Penninæ*: Ex Aquitanica tres; *Aquitanica* I., *Aquitanica* II., *Novempopulana*: Ex Ludunensi item



item tres: *Lugdunensis* I., *Lugdunensis* II., *Maxima Sequanorum*: Denique ex Belgica quatuor: *Belgica* I., *Belgica* II., *Germania* I., *Germania* II. Quam porro dispositionem usque ad Valentiniani Senioris tempora viguisse Rufus Festus demonstrat, quippe qui suo in breviario, circa annum 370. conscripto, octodecim enumerat provincias Galliarum, Aquitanicæ, & Britanniarum; namque provinciis quatuor Britanniarum demtis, quatuordecim nuper laudatæ in Galliis sunt reliquæ. Hinc vero incipiunt concertationes doctissimorum Recentiorum Jacobi Sirmondi, Jacobi Gothofredi, Petri Marca, Quesnelii, & Antonii Pagi, eruditis nostri temporis non ignotæ, quarum triumphus eorum postremo passim decernitur. Prima eos inter disceptatio est, num ex Viennensi bissecta orta sit Narbonensis II., an ex Narbonensi bipertita; certo enim constat ex Notitia, post Sextum Rufum Galliarum provincias numero septemdecim evasisse, quam novam divisionem vulgo tribuunt Gratiano, utraque videlicet Lugdunensi in binas provincias conversa, & addita Narbonensi II. quade inter Scriptores dissidium; quumque id nostra nihil referat, sub judice relinquimus. Quæstio altera, eaque vehementior & multiplex, profecta est ex nomine provinciarum septemdecim, bifariam prodeuntium in monumentis veterum: Galliæ enim & quinque provinciæ, Galliæ & septem provinciæ appellantur. De utraque hujus quæstionis parte differtissime agit Pagius in Critice Card. Baronii, quem consulet qui plura cupit. Ad nos enim quod attinet, de Gallia, & quinque provinciis agendum est, ut Vicarium quinque provinciarum ablatum Diœcesi Hispaniarum afferamus Galliis, aliorum argumentis haud spretis, nostrisque additis.

Pagius Ann. 374. n. 14. & seqq. 401. n. 33. & seqq.

XVI. Quænam ex fuerint non satis certum.

Duo Gallicana Concilia Valentinum anno 374. celebratum, & Taurinense 401. certissimam Diœcesis Galliarum bifariam appellatæ ætatem docent; nam primi Synodica incipit. *Dilectissimis Fratribus per Gallias & quinque provincias constitutis Episcopis*: alterius vero: *Fratribus dilectissimis per Gallias, & quinque provincias constitutis, S. Synodus, quæ convenit in urbe Taurinatum, &c.* Quare, utquumque incerta sint hujus appellationis, seu malis divisionis, principia, eadem anno 374. non potes tardius constituere, quum Valentini Patres adversentur. Concilii quidem Taurinensis, cujus Canon V. videtur innuere, Siricium Papam esse superstitem, dum occubuerit mortem anno 399. die 19. Septembris, Epochem retro quis trahendam contenderit, quidquid Pagius doceat, ab anno 401. haud removendam: id vero parum promovet; tum quia lex 15. de Paganis ad Proclianum data ex die 17. Januarii anno 399. quum Siricius erat in vivis; tum quia

DISSERT. II. CAP. I.

quia mentio septem provinciarum, quæ quinque provinciis successere, non occurrit ante annum 417. Quamobrem dubitatio nulla est, quin datæ legis tempore Gallicana diœcesis in Gallias & quinque provincias, quodammodo bipertito, divideretur. Quænam vero illæ fuerint, affirmatu difficile est. Gothofredus ad dictam legem eas fuisse putat duas Aquitanicas, Lugdunensem quartam, sive Senoniam, & Lugdunensem primam, & secundam. At secus alii sentiunt; quinque enim provincias in antiqua Narbonensi comprehensas, accipi oportere contendunt, duas nempe Narbonenses, Viennensem, alpes maritimas, & Penninas, quam sententiam tenent Berterius, Marca, aliique passim, ut ait Pagius, qui omnibus adversatur, tres Lugdunenses Gothofredi rejiciens, & selecta, qua solet, eruditione aliorum Penninas, seu Grajas alpes invicte demonstrans, e quinque provinciarum numero non fuisse. Denique statuit quinque illas provincias aliunde peti non debere, quam e septem provinciis vulgo dictis, quæ leguntur in Notitia, easque numerando ita percenset: *Narbonensem* I. *Viennensem*, *Alpes maritimas*, *Narbonensem* II., *& Aquitaniam* I. quibus postea Petronius Præfectus Prætorio Galliarum adjunxit Novempopulanam, & Aquitaniam II. Et hæc satis superque erunt ad aliena quod attinet argumenta: si tamen vacat, adire non pigeat uberrime de iisdem provinciis differentes Antonium Pagium ad annos nuper laudatos, & Jacobum Gothofredum ad sæpe memoratam legem 15. *tom.* 6. pag. 280. Reliquum est modo, ut aliorum ad argumenta & mea adjiciam, quod sum pollicitus.

XVII. Probabilior de iisdem opinio.

Quamquam Recentiorum eruditioni, & acerrimo ingenio fatear, me primas partes in rebus vetustis examinandis concedere; non tamen eorum ex numero credi velim, qui statim in virorum eruditione celebrium sententias patiuntur abripi; quorum sane scripta nihil aliud novi afferunt, quam stilum plerumque alium, proindeque materiam unam eamdemque ornatiorem, simplicioremve, prout ii elegantiori, minusve compta scribendi arte valent. Quamobrem, ut Pagio, qui rem de quinque provinciis post alios expendit, non adverser, validioribus ejus doctrinam diruens argumentis; attamen Scriptores vetustos, illorum temporum æquales, quum Galliæ a quinque provinciis secernebantur, spectare lubet. Sextus Rufus Festus aliam Galliarum partem ab ipsis Galliis non dividit præter Aquitaniam: *Sunt*, inquit, *Galliæ cum Aquitania, & Britanniis provinciæ decem & octo*: deinde ab Aquitanicæ provinciis enumerandis incipiens, prosequitur: *Alpes maritimæ, provincia Viennensis, Narbonensis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ*. Idem præstat coævus Auctor Marcellinus

Ruf. Fest. breviar.

or-

ordine licet inverso; postquam enim Galliarum provincias enumeravit: *In Aquitania*, inquit, *quæ Pyrenæos montes, & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos prima provincia est* Aquitanica, *amplitudine civitatum admodum culta: omissis aliis multis, Burdegala, & Arverni excellunt, & Santones, & Pictavi*. Novempopulos *Ausci commendant, & Vasatæ*. *In* Narbonensi *Elusa, & Narbona, & Tolosa principatum urbium tenent*. Viennensis *civitatum exultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelatæ, & Valentia, quibus Massilia jungitur, cujus societate, & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluvii sunt, & Nicæa, & Antipolis insulæque Stœchades*. Aliquid certe discriminis inter utrumque Scriptorem occurrit; nam Rufus duas numerat Aquitanicas, ac proinde sex in Aquitania provincias agnoscit; contra Marcellinus unicam; quæ res in admirationem conjecit Valesium, dum Rufum Ammiano antiquiorem duas jam novisse animadvertit. Verum quum ipse Ammianus ex utraque Aquitania in unica provincia urbes memoret, aut in unicam rediisse utramque innuit, aut conjuncte utramque pro unica haberi suo ævo nos docet: quis enim testi oculato, liberalique Scriptori litem intentet post tredecim secula? Erravit is quidem, quum Cæsaris commentaria amplexus, Garumnam constituit limen Celtarum, seu Gallorum, & Aquitanicæ: Augustus enim usque ad Ligerim hanc protenderat: se tamen ipse arguit, dum civitates enumerat Aquitanicæ amplioris, quam militari officio fungentem, qui non semel eo divertit, haud penitus agnovisse vix persuaderi mihi potest. Quamvis enim capite nono ejusdem libri xv. se excusans: *Galliarum*, ait, *tractus, & situm ostendere, puto nunc tempestivum, ne inter procinctus ardentes, præliorumque varios casus ignota quibusdam expediens, imitari videar desides Nauticos*: tamen & constituens initium Galliarum ad confluentem Rhodani, & Araris, & provincias tum Galliarum, tum Aquitanicæ enumerans, non eum se præbet, qui ex discussis aliorum scriptis, sua depromserit, sed qui ob oculos provincias ipsas habuerit. Aliud præterea discrimen est inter Rufum, & Marcellinum, quod hic Alpes Maritimas non recenset: quin etiam Salyes & Antipolim seorsum a Viennensi nominans provincia, Nicæam tantum urbem Alpium Maritimarum, ut nobis posteris videtur, adducit. At unica ea urbs est satis ad eam provinciam indicandam cujus certos limites nudum Rufi nomen non describit. Cæterum uterque octo tantum provincias in Galliis novit, hauddum bipertito divisis Lugdunensibus: & Rufus sex, Marcellinus quin-

Amm. Marcel. lib. 15. c. 11.

quinque in Aquitania: quumque nomen quinque provinciarum sit auditum post Rufi Breviarium Valentiniano scriptum, Ammiani autem historia decennio tardius sit absoluta, post mortem Valentiniani ejusdem, ipso in Gratiani principio, cui Galliarum divisionem in septemdecim provincias vulgo tribuunt (quamquam & antea consors imperii factus a patre, conregnaret cum patruo Valente) nemo, arbitror, mihi succenseat, si juxta Marcellini sententiam quinque provincias eas esse affirmem, quæ in Aquitania sex a Rufo enumerabantur. Propterea eædem omnino esse mihi videntur quinque provinciæ a Galliis distinctæ, ac septem postmodo dictæ a Galliis pariter sejunctæ.

XVIII. Quando earum Vicarius institutus incertum

Quanam autem ratione, vel occasione (ut verba usurpem Gothofredi *ad d. l.* 15.) quinque hæ, quas dixi, provinciæ Galliarum peculiarem Vicarium habere cæperint, difficile dictu. Idque jure affirmat vir doctissimus; Notitia enim imperii, aliquanto post conscripta, unicum Galliarum Vicarium præsefert, nec Ordinatio Constantiniana plures tribuisse Galliis videtur. Quum vero prima Vicarii mentio occurrat anno 399. eamdem non puto rationem habendam esse de eodem Vicario, quam habuimus de provinciis, sed potius differendam esse, contra Antonium Pagium, eam de septemdecim provinciis divisionem post exitum quarti seculi, ut Quesnelius animadvertit, Vicarium vero quinque provinciarum faciendum non esse antiquiorem motibus Gallicanis, quum videlicet Maximus tyrannus ex Britannia in Galliam transmittens ab infensis Gratiano legionibus exceptus fuit, Gratiano eodem in fugam verso, & paulo post occiso: quæ evenerunt anno 383. & sequenti. Tradunt enim Scriptores Tyrannum Treveris consedisse, unde legatione ad Theodosium adornata simulatam obtinuit pacem, eque invasore Imperator per quinquennium est visus. Hinc, ni ego fallor, indaganda Vicariatus hujusce principia, quorum nihil certum affirmare ausim, nullo antiquorum mihi viam sternente; nec profecto meum ad institutum plura iis, quæ narravi, necessaria esse video. Quandoquumque igitur Vicarius quinque provinciarum fuerit institutus, certe anno 399. Proelianus dignitate ista conspicuus accepit legem una cum Macrobio Pro-Præfectis, seu Vicario Hispaniarum, qui finitimam Diœcesim administrabat; proindeque nullam Hispaniæ vicissitudinem toto seculo quarto senserunt; at semel cœptam ordinationem Constantini usque ad invasionem barbaricam conservarunt. Ab Hispaniarum Diœcesi non videar diutius quam par erat, vagatus esse alienis confutandis insistens; si duo hæc serio reputentur, quæ necessarium fuisse ostendent, quidquid de Aquitania in medium at-

Aurel. Vict. in Grat. Cassiodor. Chron.

attuli. Primum: ibidem Gothorum Regiam sedem diutissime perseverasse, unde & Galliæ Gothicæ adepta est nomen: quæ res ostendit, quod diœcesis hæc quinque provinciarum cum Hispanica maxime conjuncta est. Deinde non parum præsidii, quum Hispania Saracenis fere omnis parere compellebatur, ex eadem diœcesi in illam venisse regnante Carolo Magno Francorum Rege, ut dicam, quum illuc ordine temporum ductus ero. Quamobrem quæ adversus Pancirolum, aliosque disputavi, ut quinque provinciarum certa haberetur notio, fuerunt velut proludium eorum quæ dicenda olim erunt de Hispaniis ipsis, a quibus quinque easdem provincias optimo meritoque jure docui rejiciendas omnino esse simul cum novo illo, atque inaudito magistratu Præfecti Prætorio. Hæc de politia Hispaniarum a Constantini ævo, ad tempora infelicia Arcadii & Honorii. Spectare nunc oportet Ecclesiarum ordinem, earumque disciplinam per idem tempus: quod præstare nitar sequentibus Capitibus, agens primum de ipsis Ecclesiis: deinde de illarum disciplina veteri: ac postremo de earumdem judiciis, ob profligandos errores, continendosque clericos, aliosque priscæ Ecclesiæ ordines in officio.

CAPUT II.

De conditione Ecclesiæ Hispanæ per quartum seculum, nempe a S. Silvestro ad S. Innocentii I. tempora.

I. *Res Ecclesiasticæ non indagandæ in Decretalibus suppositis ante Siricium.*

QUEMADMODUM civilem Hispaniarum politiam per seculum quartum ex legibus Imperatorum magna ex parte eduxi: ita Ecclesiasticam aliunde petere non deberem, præterquam ex Romanorum Pontificum, Conciliorumque Sanctionibus. Romanus quippe Pontifex directa, qua divinitus utitur, potestate, multo etiam amplioribus circumscripto limitibus dominatur imperio, quam olim Augusti, *Roma*, inquit S. Prosper, *per Sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis*: (*De Voc. Gent. lib. 2. c. 6.*) & S. Cælestinus (quid enim prohibet ultra fines mihi statutos aliquantulum progredi?) multo etiam clarius rem d[illegible]: *In speculis*, ait, *a Deo constituti, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda sunt resecemus, & quæ observanda sunt sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficit, sed se per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendit*. (*Epist. Decr. ad Episc. Vienn. & Narb.*) Verum quemadmodum difficilia ea tempora quæ ante S. Silvestrum percurrimus, præ aliis calamitatibus, quas Eccle-

siæ intulerunt, Decretales epistolas Summorum Pontificum, quarum fragmenta nonnulla extant apud Patres, nobis posteris inviderunt: etiam post S. Silvestrum, quidquid genuinum superest Marci, Julii, Liberii, Felicis, Damasi, nequicquam desideraremus nisi in operibus Patrum recitaretur; tot enim falsis, & inutilibus rebus insperse prodierunt personatæ illæ Decretales ante Siricium, ut certi inde nihil peti possit. Quamobrem ex huiusmodi sanctionibus, seu decretis non minus quid historicæ veritati noceat, quam quid eidem prosit, secerni oportet: ut nimirum quæ incertæ fidei sunt, prætereantur; admittantur quæ certæ. Hinc est, quod Decretales illæ ante Siricium Epistolæ Isidori mercatoris nomine vulgatæ, prorsus rejicientur; ita enim fieri jubent scriptores gravissimi. *Dudum ab eruditis observatum est*, ait Card. Bona, *illorum Epistolas Decretales usque ad Siricium suppositititias esse, a quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi seculi pia fraude confictas, & ex sententiis veterum Canonum, legum etiam civilium, & Sanctorum PP. qui & quarto, & quinto seculo floruerunt, turpi anachronismo, eodemque fere stylo, ac dicendi charactere magna ex parte contextas: quas primum ex Hispania in Galliam detulit, labente octavo seculo Riculfus Episcopus Moguntinus, & inde in alias regiones disseminatæ, ac communiter receptæ sunt. Sed tandem impostura detecta est: & Baronius de his epistolis disserens anno 865. earum falsitatem agnoscit, & aperte fatetur: Ne quis, inquit, calumniari possit, ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse. Earum igitur testimoniis tamquam falsis & inutilibus rejectis, certiora ex veris, & legitimis Pontificum, & Patrum scriptis proferenda sunt*. Doctrina, & pietate insignem hunc Romanæ Ecclesiæ Cardinalem (qua nimirum Epistolas Decretales rejicit, non qua autorem earum cum vulgo repetit ex Hispania, quod falsum est, ut suo loco ostendam) quem præiverat pari laude ac dignitate conspicuus Cæsar Baronius, præferendum hauddubie omnes sentient eruditissimo Aguirrio, quem amor patrius, & studium ingens pertraxere in eorum sententiam, qui interpolatas eas tantum ag[illegible]scunt Epistolas; etenim Augiæ stabulum faciliori quis nego[illegible]rget, quam Pseudo-Isidori Decretales detergat. Equidem pro certo habeo, futurum omnino neminem, qui Aguirrio malit audire hac in re, quam Bonæ, & Baronio; quare Decretales omnes ante Siricium pseudo-Isidorianæ collectionis respuo; neque ullum inde certum argumentum ad Ecclesiasticam vetustatem comprobandam afferri posse cum recentioribus eruditis pronuncio.

Rer. Liturg. lib. 1. c. 3.

II. Neque ex Ca-

Perinde est de canonibus, qui vulgo appellantur Apostolo-

rum.

rum. Non quod eorum quinquaginta priores refellendos temere judicem; quum præsertim ediderim Concilium Lateranense Stephani III. al. IV. anno 769. celebratum, cujus Actione quarta sic statutum legitur: *Non amplius suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem nisi quinquaginta capita, quæ suscipit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia*: sed quia neque Apostoli eos condiderunt, neque S. Clemens collegit: & dum quinquaginta eos amplexa est Ecclesia, non temporum, sed doctrinæ rationem habuit. Nos vero hic temporum magis, quam dogmatis satagimus; quapropter, tametsi non contemserim eos, qui tertio exeunte seculo, vel principio quarti emersisse horum Canonum partem aliquam in Oriente contendunt; hac tamen occasione æque ac Decretales Epistolas ante Siricium, mihi esse rejiciendos cum primis docent Hispani Episcopi, qui eosdem in Codicem veterum Canonum non retulerunt. Quin etiam, ut ingenue fatear, mirari me multum jubet Card. Aguirrius, quod primo in volumine suæ Maximæ collectionis vires, nervosque omnes intenderit, ut tum Canones istos, tum Decretales ante Siricium assereret; tertio autem volumini principium dederit eodem illo Codice præstantissimo Veterum Canonum, de quo egimus in præfatione, omnium oculis subjicientes præstantissimum id monumentum, innumeris purgatum mendis, ut gratificaremur Hispanis, eruditisque cujusvis gentis, qui tale quicquam ante hunc diem non viderunt, ad Canonum collectiones veteres quod spectat. In eo siquidem nec decretalem ullam Epistolam ante Damasum, neque Canonem ullum Apostolorum reperire est; quum cæteroqui Canones Conciliorum, ac Decreta Pontificum ad septimi fere seculi finem perveniant; exhibeatque is codex collectionem antiquarum facile omnium locupletissimam. Cujus sane rei certissimum argumentum est Collectio ea Canonum, quam post Dionysium Exiguum adornavit Martinus Bracarensis. Hanc siquidem videre est passim laudatam in Codice, modo tamquam excerpta Martini, modo tanquam Concilium Bracarense III.; ita ut vastæ adeo Collectionis minimam partem faciat Martini Collectio integra. Quod si veteres illi Hispaniarum Episcopi post diligentissimam omnium Canonum, ac decretorum pervestigationem nullum ex quinquaginta iis Canonibus Apostolorum, perinde ac nullam ex epistolis Decretalibus invenerunt, quam referrent in suum Codicem; nemo non videt, quod, mihi, præsertim Ecclesiam Hispanam veterem illustranti, æque Decretales Epistolæ, ac Canones Apostolorum rejiciendi prorsus sunt, nisi disciplinam & ipse peregrinam voluero in Hispanias afferre, quam nullo veteri documento com-

Canonibus vulgo Apostolorũ in Hispania præsertim ignotis.

Diss. 1. cap. 4. num. 6.

DISSERT. II. CAP. II.

probem, omnique destitutam ratione projiciam. Cardinali autem Aguirrio veniam esse aliquam adhibendam puto, quia Codicem illum fortean non reperit tempestive. At Natali Alexandro, qui uberrime hac de re disseruit, nullatenus permitti debet, ut Apostolorum quinquaginta priores Canones in Hispaniis receptos, atque adhibitos in judiciis impune doceat: *Collectio*, inquit, *& interpretatio Dionysii Exigui in Hispania æque ac in Galliis recepta est, ut constat ex Concilio Bracarensi* II. *an.* 563. *in quo postulante Lucretio Episcopo* „ relecti sunt ex Codice coram Concilio „ tam Generalium Synodorum Canones, quam localium. *Quorum observantia capitulo vigesimo ejusdem Concilii præcepta est his verbis*„ Item placuit, ut quæcumque præcepta antiquorum Canonum „ modo in Concilio recitata sunt, nullus audeat præterire. Si- „ quis autem quasi contumax transgreditur &c.

Secul. 1. *diss.* 21.

III. Ubi sua erat peculiaris collectio Canonum.

Præterea illud dicere, quod Natalis Concilium Bracarense I. vocans II. peregrinari se, ut cæteros, in Hispaniis monet; nam suppositum illud primum adoptat, quod ego respuendum supra docui. Quod vero illi sit persuasum ex Concilio eodem Bracarensi, Collectionem Dionysianam, ac proinde 50. Canones Apostolorum in ea primum editos obtinuisse in Hispaniis, indignum est disceptatore Ecclesiæ rerum scientissimo. At enim anno 527. quum adhuc inter pseudepigraphos habebantur ii Canones ex Decreto Gelasii, Patres in Concilio Toletano II. congregati: *Id nobis*, ajunt, *in unum positis placuit, ut siqua in antiquis Canonibus minime commemorata sunt, salubri tractatu, ac diligenti consideratione instituantur; siqua vero in anterioribus Conciliis sunt decreta, sed abusione temporum hactenus sunt neglecta, redivivæ ordinationis censuram obtineant*. Non igitur Hispani Præsules Dionysianæ collectionis indigebant, ut quidquid deliberatum in Conciliis erat, agnoscerent: sed suam peculiarem collectionem habebant, quam semel & iterum in Concilio Toletano III. patefaciunt. *Qui Concilia omnia*, inquiunt, *Episcoporum Orthodoxorum consona Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, primo Ephesino, & Chalcedonensi, non recipit, anathema sit*. Et infra: *Maneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ*. Quidquid itaque fuerit de Apostolorum Canonibus, ante sextum seculum ab Ecclesia Catholica rejectis inter libros apocryphos, & post Dionysium exiguum (spectata nimirum sana doctrina 50. priorum, non Apostolorum supposita institutione) in collectionem, seu corpus Canonum relatis, tametsi nullius autoritate Pontificis accedente, ante Stephanum III. al. IV. in Concilio Lateranensi anno 769. qua in re Aguirrius vehementer decipitur, de duo-

Conc. Tol. II. præf.

Conc. Tol. III. conf. Fid. cap. 22. *& infr. c.* 1.

Collect. Concil. to. 1. *pag.* 60.

duobus Stephanis disputans; quidquid inquam fuerit de Canonibus Apostolicis Romæ, & alibi, certe in Hispaniis sexto, septimoque seculo non fuerunt cogniti; nam sua erat Hispanis collectio Canonum a Dionysiana diversa. Quamobrem Aguirrii sententia hac in re præferenda est conjecturæ Natalis. Ait siquidem Aguirrius Concilium laudatum Bracarense, aliaque Hispaniensia quæ citat, spectare privatam Collectionem Hispanam, quæ sensim augebatur a Præsulibus. Quam tutior sit hæc opinio, quam Natalis doctrina, ex Martini Bracarensis Collectione multo post Dionysianam facta, absque ulla hujus mentione, fit evidens. Nam Dionysiana collectio integra Canones comprehendit 394. teste eodem Natali; Collectio vero Martini 84. dumtaxat Canonibus constat: hæc in Codicem Canonum veterum relata est; de illa ne unum quidem verbum occurrit: Dionysii collectio quinquaginta Canones vulgo Apostolorum præsefert; Martini ne unum quidem, præter nonnulla similia eorum decreta, quæ aliis ex Conciliis decerpsit Quamobrem Canones vulgo Apostolorum, ut nuper ajebam, nullo nobis præsidio sunt indagandis Ecclesiæ Hispaniarum rebus, accedente etiam testimonio Natalis, qui majorem iisdem vetustatem non tribuit sexto seculo; quum Dionysius in occidente quinquaginta priores edidit (Laurentii Romanæ Ecclesiæ presbyteri votis annuens) Canonumque collectioni omnium primus adjunxit.

Ibid. to.3. pag. 5.

IV. Nonnullæ Decretales Epistolæ ante Siricium non rejiciendæ.

Aliquid tamen discriminis servari oportet prætereundo Canones, & Decretales Epistolas: de iis enim affirmare certe possumus, quod nullus Ecclesiam Hispanam septem priorum seculorum illustrat; ad Decretales vero quod attinet, non modo quas omnes amplectuntur post annum Chr. 385. a Siricii tempore, sed aliarum etiam fragmenta apud Patres occurrentia, nonnullæ etiam integræ, eadem secula ornabunt. Has inter sunt celebres Epistolæ Synodicæ Damasi ad Paulinum Antiochenum, quarum sæpe mentio est in toties laudato Codice veterum Canonum: ut *lib.* 1. *tit.* 58. pro reprimendis Sacerdotibus de una ad aliam Ecclesiam transeuntibus: *lib.*8. *tit.* 2. de unitate Trinitatis: eodemque *lib.*8. *tit.* 4. de integro homine sine peccato per Christum suscepto: *&* *tit.* 8. contra Photini, Ebionis, aliorumque hæreticorum Dogmata. Quamobrem sive ex Conciliorum actis, sive undelibet sint ab Hispanis desumtæ hujusmodi Decretales non modico erunt adjumento detergendæ tot inventis Ecclesiæ illi. Utinam ea omnia detegere mihi licitum fuisset, quæ apparatum simul ornatiorem, utilioremque provinciæ tam arduæ, quam suscepi, præfigerent! verum fortasse ætas proferet, quæ nostra confirment & illustrent. Interea quod magnum mihi afferet adjumentum ad conditionem, disciplinamque Ec-

Ecclesiæ Hispanæ recte asserendam, est Codex ille canonum veterum, quem satis laudari posse non puto; dum inde quanta qualisque erat Ecclesia Hispaniarum ante octavum seculum scrutator diligens potest deprehendere. Hunc itaque attente arbitror ab eo perlustrandum cuicumque certam Ecclesiæ Hispaniarum conditionem libeat perscrutari. Ac primum ejus autoritate rejiciat quidquid tam multa eruditione de canonibus Apostolorum, epistolisque Decretalibus disputavit Aguirrius, tamquam laborem inutilem, vixque ferendum in Opere, quod prolato Codice, quem jure tot laudibus cumulamus, priorem omnem doctrinam destruit. At enim nullam in eo Codice Decretalem Epistolam ante Siricium videre erit, præter laudatam Damasi, quæ non semel Confessionis etiam Epistola nuncupatur, estque desumta ex Concilio Œcumenico II. Constantinopolitano I. tamquam fidei professio a Supremo Ecclesiæ judice Romano Pontifice in orientem missa, ut norma esset definiendorum in generali Concilio, aliamque ejusdem Pontificis ad Paulinum, unde priorem esse eductam putant eruditi. Aliæ omnes non recens cusæ ad præmaturam obtrudendam disciplinam, constituendumque ordinem Hierarchicum (sequioribus natum seculis) in Ecclesia Hispaniarum, sed genuinæ, atque integræ adhibitæ, tum stabiliendo Catholico Dogmati ex sententia Pontificum, tum disciplinæ, moribusque aut corrigendis, aut conservandis. Id præterea commodi ex Codice isto Hispaniensi in Ecclesiasticam historiam affertur, quod non semel restituuntur Decretales Epistolæ, quæ in alias aliasque opiniones eruditos traxerunt, ut data occasione ostendam. Interim non pigeat mecum ex iis unam secernere, quæ vindicantur. In Codice occurrit multoties, ubi præsertim de iterato baptismate agitur, Decretalis Felicis III. ad universos Episcopos, ut nobis posteris indicat Epigraphe, semperque appellatur *Epistola Felicis ad Episcopos per Siciliam*; ut videre est *lib.* 1. *tit.* 1. *lib.* 4. *tit.* 35. *lib.* 2. *tit.* 21. Quare, Synodicam hanc epistolam quam constat Romæ diu detentam, missamque in Africam, in Concilio inibi lectam, probatamque esse, hanc inquam omni procul dubio haud licitum fuit per Arianum Regem Alaricum tunc temporis moderantem Hispanias, ad Episcopos Catholicos tradere; at iidem serius ocyus exemplum ejus obtinuerunt ab Episcopis Siculis, suumque in codicem retulerunt, tanquam ad illos inscriptam. Itaque & ad Afros, & ad Siculos, & ad Hispanos Synodicam istam pervenisse compertum nobis, atque exploratum est ex Codice hoc præstantissimo.

V. Decretales & Concilia quarti seculi.

Quamobrem rejectis quæ nullo esse possunt adjumento Ecclesiæ Hispaniarum, antequam ingredior dicere de illius rebus per

quartum seculum, necesse est, ut quæ Concilia tum intra, tum extra Hispaniam celebrata, quasve Pontificum Decretales epistolas inspectare oporteat, planum faciam: idque ut liqueat, exiguis admodum finibus circumdari Ecclesiam illam, quam impostores vastissimis sæpire, tribus etiam prioribus seculis, ausi sunt. Porro si tum Decretales, tum Concilia ad Hispaniam spectantia proferre debeo, utriusque generis par unum non excedam. Epistola, quam dedit Siricius ad Himerium Tarraconensem Episcopum, anno 385. & quam dedit Innocentius I. ad Synodum Toletanam initio quinti seculi (quidquid enim præit barbarorum irruptionem, materia est hujus dissertationis) duæ illæ Decretales sunt, sæpe laudatæ in Codice veterum Canonum; prima videlicet, tanquam scripta *Eumerio*, altera *ad universos in Tholosa*, ita enim Decretalis inscriptio est, quam Sirmondus restituit Toletanæ Synodo. Totidem sunt Concilia Hispanica & in eodem Codice sæpe occurrentia, & a V. C. Joanne Baptista Perezio ex quatuor vetustis Codd. eruta summa cum diligentia præ oculis habente tempora, quibus scribebat; ut proprio ore fatetur, *hoc*, inquiens, *præsertim tempore, quo Doctores Catholici & Ecclesiæ dogmata, & mores, tam studiosi ex antiquitatis fontibus repetunt*. Ea vero sunt: Cæsaraugustanum incertæ ætatis, at, juxta Perezium eumdem, circa annum 380. celebratum, & Toletanum I. Consule Stilichone, anno 400. de cujus ambigua ætate loquar infra (utrumque adversus Priscillianistas congregatum) in quo quidquid adversus eosdem decretum fuit continetur in definitiva sententia: præterea viginti Canones de disciplina in eodem conditi. Porro si audiatur Aguirrio, is multa concilia tribuit Hosio, præ aliis Cordubense anno 350. seu 360. quod probat ex Synodico apud Labbæum to. 2. Conciliorum, in quo probata, & improbata fuisse testatur Synodicon, quæ probavit, improbavitque Sardicense; nos autem quæ vero similia videntur Aguirrio, rebus certis inhærentes, rejicimus, & quod certum putat Synodici autoritate, quamquam non rejicimus, haud tamen uti eodem possumus, quia decreta ejus nulla extant. Quapropter nulla alia certa nobis suppetunt ex utroque genere monumenta, præter quatuor allata, nullaque præter eadem Hispani Episcopi in veterem Codicem transtulerunt, quod observator diligens titulos omnes decem librorum, in quot dividitur Codex, percurrens, evidenter agnoscet. Verum ut Ecclesiæ illius conditionem integram teneamus, Concilia etiam, & Decretales Epistolas inspiciamus oportet, quæ aliunde in Codicem adducta inveniuntur; tametsi & Conciliorum, & Decretalium epistolarum catalogum repetere hîc nihil attinet, quum id præstiterim in præfatio-

Concil. Hisp. to. 1. pag. 11.

DISSERT. II. CAP. II.

fatione. Id tantum scitu dignum huc loci est, quod ex quatuor Siricii epistolis tres sunt in Codice; prima videlicet, quam laudavi; altera Ecclesiæ Mediolanensi contra Jovinianum hæreticum, ejusque socios, quam Codex *lib.* 8. *tit.* 8. laudat tanquam missam ad diversos Episcopos; & tertia ad *universos Orthodoxos*, quæ ibidem *ad diversos* nuncupatur; Anastasii nulla est; Innocentii vero minimum octodecim, quarum pars magna præscriptos capiti fines excedit, & siqua intra limites consistit, tam prope invasionem est, ut Ecclesiam quarti seculi referre non possit. Tres tamen sunt, ordine 2. *Victricio* (codex vocat Victoricum, & lib. 4. tit. 35. Victorium) *Episcopo Rothomagensi*, & tertia *Exuperio Episcopo Tolosano*, certæ ætatis, annis nempe 404. & 405. conscriptæ, quarum inspectio non semel usuvenit antiquam disciplinam Ecclesiæ Hispaniarum reputanti, ut suo loco demonstrabitur. Ad Concilia quod attinet, schismatica si demseris, & quorum Canones nulli sunt, omnia in Codicem relata invenies; & juxta eorum decreta coaluisse Ecclesiam illam mox intelliges.

VI. Libertatis concessæ Christianis ab Imperatore Constantino ætas.

Eam vero spectari prius velim citra ordinem, ac disciplinam. Vidimus supra Ecclesiam ubique miseram sæviente Augustorum, atque Præsidum provinciarum tyrannide: at modo aliam omnino ejus faciem piissimi Principis Constantini auspiciis visuri sumus. Pestilenti confectus vulnere Galerius, paulo ante quam extingueretur, compressisse dicitur persecutionem, anno videlicet 311. & quamquam Romæ sæviebat Maxentius sequenti etiam anno, quare Pontifex Melchiades S. Silvestrum ordinavit Episcopum, suumque de more Vicarium instituit; tamen quievisse in Africa persecutionem tradunt anno emortuali Galerii; nec improbabile est, Hispanias finitimas pari usas fortuna esse. Statui id pro certo non potest; quum autem modico inde distet intervallo faustissima universalis tranquillitatis epoche, quam Eusebius cum anno illigat 313. post victum Maximinum, biennio eam præiri ab Africana, & Hispana quid mirum? Profecto si nullæ essent suppositionis notæ epigrammati illi celebri apud Baronium anno 312. quod Emeritæ effossum laudatur ab Aldo in scholiis ad Julium Cæsarem, & a Grutero in suum thesaurum refertur, extra omne dubium res esset. Illud hic subjiciendum reor tot motus exemplis eruditorum, a quibus non rejicitur:

IMP.

Gruter. pag. 159.

IMP. CAES. FLAVIVS.
CONSTANTIN. AVG
PACIS. ET. IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET. FIDEI. AVCTOR
REMISSO. VBIQVE
TRIBVTO &c.

Optandum ſane eſſet, ut nulla hic lapis ſuſpicione laboraret: non enim parva inde laus Hiſpaniæ proveniret, dum eo in monumento duæ conjunctim epochæ Eccleſiæ celebres continentur, mentio videlicet tributorum, unde originem ducunt Indictiones, & pax Eccleſiis data unde baſilicarum, ſive ſacrarum ædium dedicationes in occidente cœperunt fieri. Equidem nolo, ut illi majus per me robur accedat, quam quod eruditiſſimi editores hiſtoriæ Donatiſtarum Cardinalis Noriſii eidem tribuunt, quibuſcum amplector Em. Chronologi doctrinam de Indictionibus, nihil morans aliorum ſententias alias, quæ olim fixerant mihi crucem, ita ut qua irem ignorans, modo mirabile illud ſignum Conſtantino cœlitus oſtenſum; modo Maxentium præcipitem actum in Tiberim; modo denique Chriſtianorum laboribus finem indictum animo reputarem. Indictio igitur, cujus origo ſtabilitur in Chronico Alexandrino anno 312., incipit ab ipſis Calendis Septembris, quum ſcilicet Canon, ſeu tributum a Principe indictum eſt, quod fortaſſe poſt quindecim annorum periodum, in orbem redire conſuevit: iſtamque epochem & hodie in Pontificiis Diplomatibus, & Actis publicis ſolennem, ab Januario licet menſe deductam ſive ab initio anni civilis, ſequuta ſunt publica edicta Conſtantini, & Licinii, quibus libertas Chriſtianæ religionis concedebatur. Per orbem continuo univerſum miſſa, &, nequicquam ægre id ferente Maximino in Oriente, nulla romani Imperii pars tantæ lætitiæ expers fuit. Et hodie extant literæ ipſius Conſtantini ad Anulinum Africæ Proconſulem de eadem re: edicta eadem publica nobis ſervavit integra Euſebius: literas quoque ejuſdem Principis Carthaginienſi Epiſcopo Cæciliano Euſebio acceptas referimus; ex quibus omnibus decerpam quæ neceſſaria eſſe intelligo ad veram Eccleſiarum conditionem detegendam, poſt quam tot tantaſque præteritorum temporum calamitates beneficio Principis exuerunt.

Noris hiſt. Donat. c. 5. & digreſſ.

Tactus religione piiſſimus Conſtantinus proluſerat edictis publicis,

VII. Ædes, faculta-

DISSERT. II. CAP. II. tes, loca Christianis erepta restituuntur.

blicis, ore tenus cum Africæ Præfectis agens de moderatione erga Christianos, privatis etiam literis ad alios Præfectos traditis de eadem re, anno scilicet 312., sequenti autem conveniens Mediolani cum Licinio edicta ipsamet generalia promulgavit. Nihil hisce opportunius ad primordia tranquillitatis Ecclesiarum totius Romani orbis dignoscenda. Primum igitur sanciunt Principes ut liberum sit in posterum cujusvis religionis exercitium: *Ut Christianis, & reliquis omnibus libera facultas a nobis tribuatur quamquumque voluerint religionem consectandi: quo scilicet, quicquid illud est divinum, ac cæleste numen, nobis, & universis, qui sub Imperio nostro degunt, propitium esse possit .... unicuique liceat ad eam religionem, quam sibi conducere censuerit, animum applicare*. Alias plane sectas, quæ Principum prudentia erat, continuo abolere haud conati sunt, ne turbæ ubique maximæ excitarentur; non erat enim levis momenti religionem Christianorum a suis Prædecessoribus tam acerbe habitam pari aliarum libertate donasse. Quod tamen præstare amplius fuit licitum Christianis, liberalissime optimi Principes decreverunt. *Hoc autem amplius*, inquiunt, *in gratiam Christianorum decernimus; ut loca ipsorum in quibus antehac convenire consueverant .... Siqui aut a fisco nostro, aut ab alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absque ulla pecunia, & sine repetitione ulla superadjecti pretii, incunctanter, ac sine ulla ambage restituant: & siqui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant .... Quæ quidem omnia protinus sine ulla dilatione corpori Christianorum restitui, tua cura ac diligentia, oportebit: Et quoniam iidem Christiani non solum ea loca in quibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, quæ non privatim ad singulos ipsorum sed ad jus corporis pertinerent; hæc omnia post legem a nobis memoratam, absque ulla dubitatione iisdem Christianis, hoc est cuilibet corpori, & conventiculo ipsorum restitui jubebit .... Porro ut hujus legis, ac beneficentiæ nostræ sententia ad omnium notitiam perferri possit, has literas nostras ubique proponi, & ad cunctorum cognitionem pervenire conveniet: ne benignitatis nostræ constitutio quemquam omnino latere possit*. Notandum hic videtur, quod usque ad hoc tempus Ecclesia ubique Christianorum, quam corpus, & conventiculum appellari audivimus, in communi possidere consuevit, Cæsarumque lege non comprehendebatur privata alicujus possessio; unde emicat verum Ecclesiæ cognomentum; quod hinc tribui cœptum etiam basilicis, seu sacris ædibus. Idque clarius constat ex literis Constantini ad Anulinum: *Siqua ex illis, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam per singulas Civitates aut in aliis locis perti-*

Euseb. lib. 10. cap. 5.

Euseb. lib. 9. cap. 9.

pertinebant, nunc a Decurionibus, aut quibuslibet aliis detinentur, ea confestim illorum Ecclesiis restitui facias.

Dissert. II. Cap. II.

VIII. Ecclesiæ passim ædificantur, & dedicantur.

Hæc quum ita sint, magnam profecto in admirationem adactum iri eos arbitror, qui Ecclesias publicas excitarunt primis iis temporibus, quum nec corpus, aut conventiculum Christianorum erat, nec opes ullæ conjunctim possidebantur; nec denique religionis exercitium libertatem ullam assequutum fuerat. Quin etiam miraturos æque illos video, qui Elibertinam Synodum in sacra æde celebratam autumant, dum ipsa in urbe Roma eodem anno 313. quum pace uti cœperant Christiani, S. Pontifex Melchiades Concilium contra Donatistas congregavit in domo Faustæ, quam scilicet privatam Maxentii domum, post ejus necem sorori tradiderat Constantinus superiori anno, neque aliud Ecclesiæ habebat, præter congregatos Concilii Patres. Quamobrem ut non modo ab impostoribus decepti, sed alii etiam Ecclesiæ rerum adhuc rudes, Ecclesiæ discrimen agnoscerent, afferre volui ex Eusebio, quæ omnem hac in re dubitationem amoveant, dum corpus, & conventiculum Christianorum idem esse ac Ecclesiam docent; rem sane eruditis notissimam, quam forsan urgeri per me iterum moleste ferent. Hujusmodi autem conditio Ecclesiarum post evulgata ea publica edicta esse cœpit oppido melior; non enim amplius secretis in locis, sed palam in privatis primum ædibus, ut antea, deinde in ædificatis, dedicatisque ubique basilicis Christiani ritus adhiberi sunt cœpti; & quæ tribus fere seculis religio latuerat, quasi uberior, ac feracior a persecutoribus facta esset, frequentissima omnium cæterarum visa est. Neque hinc ad calamitates pristinas unquam rediit; quamvis post sexennium Licinius, qui Christiana fide non erat imbutus, immemor Edicti una cum Constantino editi, novam persecutionem instituerit aliquot Martyribus celebrem; nonnullisque in romani Orbis provinciis aliquando tyrannis revixerit. Cæterum universalis Ecclesiarum dedicationis testem habemus omni exceptione majorem Chronicon Paschale, quod Coss. Constantino Aug. VI. & Constantio Cæsare anno videlicet 320. dedicari passim basilicas refert. Supersedeo hic recensere numerando Basilicas, quas Romæ piissimus Princeps posuit, & patrimonia, latifundia, opes immensas, quibus idem sacras ædes cumulavit, relegi enim possunt apud Anastasium in vita Silvestri: id præterire non posse videor, quod liberalitate eadem immensa totum imperium prosequutus fuit, ut patet ex literis illius ad Cæcilianum Carthaginiensem Episcopum: *Quandoquidem placuit nobis, ut per omnes provincias Africæ, Numidiæ, & utriusque Mauritaniæ, certis quibusdam legitimæ, & sanctissimæ religionis*

C. Noris hist. Donat. p. 1. c. 6.

P 2 Ca-

DISSERT. II. CAP. II.

Catholicæ ministris ad sumtus necessarios aliquid præberetur; *literas dedi ad Ursum &c. ut ter mille folles tuæ gravitati numerari curaret*: idest septingentos quadraginta mille argenteos, quorum singuli ex decem assibus conflabantur; ut Card. Norisius interpretatur. Quid igitur mirum, quum tantæ a beneficentissimo Principe affluerent opes, tantaque esset religionis immunitas, si excitabantur ubique basilicæ, quæ septem præcipue annis post pacem Ecclesiæ redditam ubique dedicabantur? Huc accedit, quod prædiis innumeris (eorum videlicet, qui martyrium fecerant) fisco addictis, ex Constantini lege donabantur Ecclesiæ, ita ut *ingentia*, quod veteris & novæ disciplinæ Autor observat, *sequuta sint opum, virium, & dignitatum incrementa*: præterea oblationes fidelium non prætermissæ, & quidquid studium ardens religionis persuadebat, omne in sacrarum ædium utilitatem cessit.

Thomassin. de Benef. p. 3. l. 1. c. 4. n. 1.

IX. Ante Constantin. non erant sacra templa in Occid.

Anast. to. 2. pag. 228. 2.

Non deesse aliquem scio, qui Eusebii autoritate contendat, & ante Constantinum fuisse Ecclesias, seu sacras ædes; at quæ nuper attuli testimonia secus rem esse docent: locique omnes Eusebii, quos adhibet, si de materiali Ecclesia sunt accipiendi, Orientem potius respiciunt, quam Occidentem, in quo ex paucis iis quæ attuli in prima dissertatione ex Actis Martyrum satis superque constat, nullam omnino Sacram ædem publicis destinatam Officiis Christianorum extitisse. Quare tum laudatus V. C. tum ante eum Thomassinus suis interpretationibus Lampridii, scriptorumque aliorum ex Græcia, nihil mihi promovent aliter consideranti res Christianorum ante Constantinum: Ecclesias enim totius Occidentis reputo instar titulorum Urbis, domos nempe privatas fidelium, quibus Ecclesia, clam gentibus seu Idolo-latris, addicta erat ad Synaxes, & Collectas faciendas. Porro ad Orientem me vertens discriminis nonnihil invenio; nam Eusebius, præter alia multa, quæ Bencinus, & Thomassinus usurpant, ubi de pace per Constantinum Ecclesiæ reddita sermonem habuit, continuo lætitiam Christianorum meritis effert laudibus: *Quin etiam*, inquiens, *omnium nostri mentes divino quodam, & cælesti gaudia triumpharunt; dum singula loca tyrrannorum scelere, & impietate paulo ante diruta, tanquam post diuturnam, & mortiferam vastitatem, jam quodammodo reviviscere, & Templa solo æquata ab ipsis fundamentis denuo ad immensam altitudinem erigi & multo majore splendore, atque amplitudine, quam illa quæ dudum eversa erant, illustrari videbamus*. Ex quibus non obscure intelligimus, Templa etiam Christianorum ante Constantinum in Oriente extitisse, quam rem coævo Scriptori fuisse cognitam fateamur necesse est: nisi forte & Templa ipsa instar privatarum Occiden-

De Benef. p. 3. l. 1. c. 2. 3. in princ.

Hist. Eccl. lib. 10. c. 2.

cidentis domorum habeamus; in queis videlicet conventicula a Christianis fierent, unde Ecclesiarum, templorumve cognomentum acceperint. At fuerint bono omine etiam Templa in Oriente, Eusebio teste, Occidentalium certe templorum nullus affertur testis; quin Eruditi meliores consentiunt, occultas quidem Ecclesias ubique in civitatibus extitisse, publicas vero ante Constantinum nullas, & sane utut Eusebius de templis agat ante eumdem Imperatorem; nullam tamen mentionem totis in novem libris praecedentibus reperire est Dedicationis ullius Templi: post Constantini autem legem: *Deinceps*, ait, *celebre Spectaculum nobis omnibus optabile, & vehementer desideratum ante omnium oculos proponebatur: dedicationum scilicet festivitates per urbes singulas templorum nuper exædificatorum consecrationes, frequentes Episcoporum in unum conventus, peregrinorum longe ab exteris regionibus accedentium concursus, mutuæ populi in populum benevolentia, &c.* Prætereo characteres reliquos huc minime spectantes; Encænia hæc ubique locorum celebrata anno 320. ut supra edocti sumus Chronico Paschali, nusquam ab Eusebio ante memorata, fidem faciunt iis, quæ de privatis publicisque Ecclesiis, quam potui brevius, disputavi. Ab anno igitur 320. quum de Ecclesiis loquar, non secus ac de Templis sermo esset, quidquid scripsero, debet accipi; non vero, ut antea, de Fidelibus privatas in domos & loca convenientibus.

DISSERT. II. CAP. II.

Hist. Eccl. lib. 10. cap. 3.

X. Ecclesiæ in Hispaniis multæ post Constantinum.

Profusissimæ ejus beneficentiæ, qua omnes provincias, Eusebio teste, prosequutus est Constantinus, nullum superest documentum in Hispaniarum provincias directum; quod summopere, optandum erat; ut, quemadmodum paulo ante vidimus de Africanis provinciis juxta antiquam divisionem permanentibus, ita & provinciarum Hispaniæ nobis numerus palam fieret, eodem Principe docente, qui novam formam excogitavit. Cur autem id minime factum sit, causa est multa Hosii Cordubensis gloria, nominisque ejus celebritas; quod Eusebius fatetur de Concilii Nicæni Patribus loquens: *Ex ipsis Hispanis unus nominis, & famæ celebritate insignis cum aliis multis in consessu illo adfuit*: nam degenti in Comitatu Constantini, piissimus hic Imperator de Ecclesiæ negociis plurimum deferebat: quare & Cæciliano in laudatis literis: *Tu igitur*, inquit, *quando prædictam pecuniæ summam recipiendam curaveris, omnibus, qui in scheda ad te ab Hosio missa ante scripti sunt, has pecunias dispertiri jubeto*. Hinc est, quod, quas donationes & in Hispanias effusas esse tradit laudatus Autor, ajens, quod *gentes universæ, quæ oris Oceani ad Occasum vergentis circumdantur*, fuerunt compotes lætitiæ illius maximæ, quam Chri-

In V. Constant. cap. 7. lib. 3.

Id. Hist. Eccl. c. 6. l. 10.

In V. Const. l. 1. c. 34.

DISSERT. II. CAP. II.

Christianæ attulit reipublicæ piissimus Imperator, eas uti Afris Episcopis Cæcilianus, ita haud dubie Hosius trium Hispaniæ provinciarum Episcopis dispensaverit. Cæterum, quia meum non est in conjectura positas res obtrudere, non solum rejicio fabellam cum Card. Aguirrio, quam Garsias Loaisa ex quibusdam Actis Bibliothecæ Ecclesiæ Toletanæ in lucem edidit, Constantinum videlicet commigrasse in Hispanias, easque sex in Archiepiscopatus divisisse; sed nihil certi affirmari posse contendo de divisione alia probabiliori, quam alibi Aguirrius idem tribuit Hosio. Etenim Ecclesia dispositionem Civilem Constantinianam ad amussim sequuta est, quod constat ex Siricii Decretali Epistola ad Himerium Tarraconensem: *non solum ad eos, qui in tua sunt Diœcesi constituti; sed etiam ad universos Carthaginenses, ac Bæticos, Lusitanos, atque Gallicos*: quo sane documento aliud remotius non invenitur, quum autem inde liqueat, Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, Gallæciam, quinque scilicet continentis provincias singillatim memorari, clam esse non potest, quod in Hispaniis totidem Ecclesiasticæ, quot civiles provinciæ numerabantur: præterea nulla amplius dubitatio est, quin anno 385. Hispania omnis longe lateque Ecclesiis abundaret, quæ quinque & sexaginta retro annis, post dedicationem, quam ubique fieri anno 320. Chronicon Paschale nos docuit, identidem ædificatæ, ac dedicatæ fuerint pari gressu cum fidelium multitudinis incremento. Quare etiam quadraginta annis circiter ante epistolam Siricii duos videmus Episcopos Concilio Sardicensi adesse Damianum de Asturica, & Prætextatum de Barcilona, quum neutram harum sedium in Concilio Elibertino agnoverimus, quamquam Barcinone Ecclesiam fuisse etiam temporibus persecutionum a Prudentio discimus, proindeque novis post Constantinum Ecclesiis non adjungimus, de quarum numero, & tempore, sive origine, quis ausit quicquam pronunciare? Nihilo tamen minus, qui serio reputet, Wisigothos Arianos, aliosque barbaros, qui seculo quinto ineunte invaserunt Hispanias, vastatores corruptoresque Ecclesiarum fuisse; facile sibi persuadebit, quod omnes Hispaniarum Ecclesiæ, de quibus infra sermo erit, fundatæ sint quarto seculo post pacem a Constantino redditam.

Coll. Concil. Hisp. tom. 2. pag. 300.

Siric. Ep. 1. n. 15.

XI.

Eæque non modo in civitatibus, sed etiam in oppidis &c.

Neque vero juxta priorum trium seculorum morem Ecclesias in solis civitatibus constitutas esse per quartum seculum putari velim; namque etiam in oppidis, & in vicis suas fuisse Ecclesias testimonium suppetit præclarissimum novemdecim Episcoporum ex Hispaniarum provinciis congregatorum in Urbe Toleto, qui ita decernunt: *Presbyter, vel Diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet*

Conc. Tol. 1. can. 5.

libet Ecclesiæ deputatus Clericus si intra Civitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut Castello, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad officium quotidianum non accesserit &c. multo etiam clarius Canone XX. rem definiunt, quæ Parochias rurales nostri ævi propemodum refert: *Quia*, inquiunt, *in aliquibus locis, vel provinciis, presbyteri dicuntur Chrisma conficere; placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrismafacere, & per Diœcesim destinare: ita ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut subdiaconi, ut confectum Chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ possit occurrere*. Porro vetustius hoc Concilio testimonium afferri non posse arbitror: nam duo Canones, secundus, & quartus Concilii Cæsaraugustani ante Toletanum celebrati annis viginti, nempe 380. videntur innuere, quod nullæ extra Civitatem Ecclesiæ essent; Si enim in villis fuissent Ecclesiæ, quid abusus ille pravus inolevisset, illuc confugiendi, ut clandestinos agerent conventus, Sectatores Priscillianistarum, Manichæorum, & Gnosticorum, quod iis Canonibus anathemate prohibetur? Itaque Cæsaraugustani Concilii tempore fideles quidem fuisse in oppidis & vicis, ut erant primis seculis, negari non potest; Ecclesias autem, seu Basilicas, seu parochias presbyteris commissas inibi extitisse nullo argumento probari posse videtur. Hinc est, quod si præscribendi mihi essent limites ruralibus Ecclesiis, has inter utrumque concilium excitatas esse affirmarem. Modica ni fallor, antiquitas agrestibus Hispaniarum Ecclesiis tribui per me videbitur, at Ecclesiæ rerum scientes secus sentient. Unum quippe Episcopum, unam Ecclesiam, altare unum, ubi sacra facienti Episcopo aderant presbyteri, cumque eo sacrificii fiebant participes, nullatenus ipsi offerentes ab Episcopo injussi, diu perseverasse & post pacem Ecclesiæ redditam, probe norunt: docente præ iis disciplinæ veteris facile omnium eruditissimo Thomassino, quod vel quinto seculo ineunte Romanus Pontifex nullas habebat Ecclesias in agris constitutas. Quam rem fuit edoctus ab Innocentio I. in Epistola illa Decretali celeberrima, quam dedit ad Decentium Eugubinum Episcopum Theodosio Aug. VII. & Palladio VV. CC. Coss. id est anno 416. *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti; quum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolytos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt sacramenta: nec nos per*

DISSERT. II. CAP. II.

De Benef. p. 1. l. 2. c. 21. n. 6.

Innoc. I. ep. 1. n. 5.

DISSERT. II. CAP. II.

per cæmeteria diversa constitutis presbyteris aestimamus, & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam. Tametsi ex eadem Epistola colligitur, Decentium a Pontifice petiisse, num fermentum mittere is deberet presbyteris Parochiarum suæ Diœcesis Eugubinæ; ac proinde non defuisse tunc temporis Parochiales Ecclesias; sed, ut observat Thomassinus, recens institutas; nam suspicatur Episcopus num offerre sit licitum earum presbyteris, & Pontifex annuit Cœmeteriorum exemplo.

XII. Quin etiam cœperant plures esse in civitatibus.

Ea propter Parochialibus Hispaniarum Ecclesiis quam possit major antiquitas per me tribuitur, dum illarum originem post annum 380. ducendam esse constituo. Perinde esse putes de Parochialibus Civitatum; quamvis enim antea, omnibus Parochorum muneribus unusquisque Episcopus in sua Ecclesia fungeretur, seu etiam presbyter de illius præcepto (quo in argumento quum versetur uberrime Thomassinus, nihil addendum reor luculentissimis ejusdem rationibus) crescente tamen numero fidelium in amplioribus profecto urbibus consentaneum veritati est, nonnullas fuisse excitatas Ecclesias instar titulorum Urbis Romæ, in quibus presbyteri incardinarentur, plebisque iisdem pars committeretur. Quod & Thomassinus affirmat laudato loco interpretans illud Siricii Decretum, cujus mentio est apud Anastasium in ejus vita: *Hic constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet, declaratum quod nominatur fermentum.* Ubi certe Pontifex non loquitur de solis Urbis Titulis; non enim diceret *Episcopi loci designati*; atque ideo decretum ad Urbes alias saltem occidentis extenditur, ac de presbyteris parochiali, utquumque, munere in iis fungentibus loquitur. At enim quare ii presbyteri missas celebraverint nisi in gratiam commissæ plebis? secus enim ad Episcopi basilicam presbyteri omnes debuissent accedere, ut prisci erat moris. Objicies; Siricium sermonem habere de Parochiis agrestibus, seu extra civitatem. At nequaquam ita esse constat; nam Siricii tempore desueverat ea disciplina, quam instaurarat Melchiades dirigendi fermentum ad presbyteros forenses: causam etiam lubet addere ex conjectura Lupi. Extat in Martyrologio romano martyrium Sancti Tharsitii conceptis his verbis: *Romæ, via Appia Sancti Tharsitii Acolyti, quem pagani quum invenissent corporis Domini Sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret. Ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tandiu ab illis mactatus est fustibus, & lapidibus, donec exhalaret spiritum. Et revoluto ejus corpore sacrilegi discussores nihil sacramentorum Christi in manibus, aut in vestibus invenerunt.* Hinc Lupus conjicit, multo ante

De Benef. p. 1. l. 2. c. 21.

Anastas. to. 3. pag. 49.

DISSERT. II. CAP. II.

ante Melchiadem desiisse consuetudinem illam Ecclesiæ deferendi Sacramenti extra urbem, quod patet ex laudata epistola Innocentii. Quamobrem Siricii decretum spectat Urbanos presbyteros, non forenses: atque ea propter Hispaniarum nonnullis civitatibus, præsertim amplioribus, non est cur negemus hanc laudis partem, quod & ipsæ habuerint Parochiales Ecclesias (tametsi nullo veteri monumento probari ea res valeat) quarum presbyteri missas celebrare prohiberentur, nisi fermentum ab Episcopo accepissent. Quæ quum ita sint, ante barbaricam invasionem non modo Cathedrales Ecclesiæ in Hispaniis, sed & parochiæ forenses, atque Urbanæ jam fuerant excitatæ.

De S. Leon. IX. actis cap. 9.

XIII. Monachis, & sacris Virginibus non erant privatæ Ecclesiæ.

Posset quis suspicari, num præter Ecclesias, seu basilicas memoratas essent & aliæ basilicæ, seu saltem Oratoria Sacrarum Virginum, & Monachorum in Hispaniis per quartum seculum. De sacris siquidem Virginibus, quas aliunde constat vel ab Apostolorum temporibus extitisse, loquitur Canon XIII. Concilii Elibertini: *Virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes, quid admiserint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem, &c.* Clarius etiam de iisdem suppetit argumentum ex Concilio Cæsaraugustano, quod Canone VIII. & ultimo decernit: *Non velandas esse virgines, quæ se Deo voverint, nisi quadraginta annorum probata ætate, quam Sacerdos comprobaverit.* Ac denique Concilium Toletanum plura de iisdem decernit: nam can. VI. *Neque*, ait, *puella Dei aut familiaritatem habeat cum confessore, aut cum quolibet laico.* Can. IX. *Nulla professa vel vidua absente Episcopo, vel presbytero in domo sua antiphonas cum Confessore, vel servo suo faciat.* Et Can. XVI. definit: *Devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit; & desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem.* De Monachis autem prima, quam ego viderim, mentio est in concilio Cæsaraugustano, quod Can. VI. ita loquitur: *Si quis de Clericis propter luxum vanitatemque præsumtam, de officio sponte discesserit, ac velut observatorem legis Monachum videri voluerit esse magis quam Clericum: ita de Ecclesia repellendum, ut nisi rogando, atque obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur.* Verum tam Sacræ Virgines, quarum antiquior memoria est, quam Monachi, nullam privatam basilicam, sive Oratorium habuerunt, quod liquet ex locis paulo ante indicatis. Virgines enim sacræ peccantes ab Ecclesia segregantur: idemque interminantur Patres clerico, qui specie vitæ sanctioris, habitu, & professione in monachum evasit. Erat tamen nonnihil discriminis inter

Concil. Ellib. an. 305.

Conc. Cæsar. an. 380.

Conc. Tol. I. an. 400.

DISSERT. II. CAP. II.

ter utrumque istud genus, quod non erit abs re hîc luculentius explicare; quamquam materia ipsa disciplinam potius spectare videatur, quade agendum mihi est sequenti capite. In calce igitur hujus quid de Sacris Virginibus, ac de Monachis quarti seculi per Hispanias sentiri oportet, ostendam; indeque non obscure agnoscemus, nullam iis privatam Ecclesiam fuisse, quæ classibus nuper allatis adjungi debeat. Ac primum de Virginibus, quæ antiquitate monachis præstant.

XIV. Conditio Sacrarum Virginum priscæ Ecclesiæ in Hispaniis.

De sacris Virginibus argumentum multiplex, atque amplissimum repetendum est ex veteris ac novæ disciplinæ Scriptore eruditissimo (*P. 1. lib. 3. a Cap. 40.*) nostra enim refert ea tantum huc afferre quæ ad Hispanias pertinent. Earum monasteria tum in oriente, tum in occidente plura esse quarto Ecclesiæ seculo abunde comprobat Thomassinus autoritate Gregorii Nazianzeni, Basilii, Theodoreti, Ambrosii, Martini, Augustini, & Hieronymi: verum hujus postremi verbis recitatis: *Quæ vivunt in Monasterio, & quarum simul magnus est numerus, numquam solæ, numquam sine matre procedant*: collegit nullas fuisse adhuc Ecclesias, nulla Oratoria, sed gregatim processisse ad majorem Ecclesiam quo Sacris mysteriis interessent: quare & earum nonnullas ad Ecclesiam non accedentes solenniori aliquo festo die, ejusdem Hieronymi verbis laudat: *Scio ego sanctas virgines, quæ diebus festis propter frequentiam populorum pedem domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando major est adhibenda custodia, & publicum penitus devitandum*. Domesticis quidem oratoriis ad psallendum, & orandum usas illas esse docet autoritate Regulæ D. Augustini: *Orationibus instate, horis & temporibus constitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est; unde & nomen accepit...... Quando ergo simul estis in Ecclesia, & ubiquumque ubi & viri sunt, invicem vestram pudicitiam custodite*. Idque est satis ad demonstrandum, quod nullibi privatam Moniales Ecclesiam habuerunt quarto seculo; explorandum tamen restat, quænam eædem essent in Hispaniis. Nullum ibi Virginum Monasterium fuisse ostendunt duo laudata Concilia Cæsaraugustanum, & Toletanum; tametsi duplex earum genus inibi reperiri testantur, & earum videlicet quæ sponte se devovebant virginalem vestem induentes, & earum quæ ab Episcopo solenniter velabantur. Quare Sanctimoniales Hispanæ quarti seculi ex earum genere erant, quæ domesticos intra parietes virginitatem profitebantur. Quæ res illustrius patefieri vix posset, quam proferendo verba Canonis Concilii Toletani: *Neque puella Dei aut familiaritatem habeat cum Confessore, aut cum quolibet laico sibi sanguinis alieni: aut con-*

P. 1. lib. 3. c. 41. n. 6.

Ibid. n. 10.

Conc. Tol. I. can. 6.

convivium sola adeat, nisi ubi sit seniorum frequentia, aut honestorum, aut viduarum, honestarumque; ubi honeste Confessor quilibet cum plurimorum testimonio convivio interesse poterit. Cum Lectoribus autem in ipsorum domibus non admittendas penitus, nec videndas, nisi forte consanguinea soror sit, vel uterina. Memoria hîc repetantur quæ superiori numero ex Can. IX. & XVI. sunt recitata, ex quorum postremo hæc relegantur: *Prius autem, quam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullum convivium Christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, etiam hæc quæ eam recepit habeatur abstenta. Corruptorum etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivente ipso viro, caste vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit.* Plura addere non est opus ut conditio Hispaniensium Virginum teneatur.

XV. Nulla erant ibi Monasteria Virginum in communi viventium.

Est tamen qui velit tum virginum tum virorum monasteria in Hispaniis, nec levi nititur fundamento; namque Himerius Tarraconensis Episcopus ante annum vicesimum, quam id Concilium Toleti celebraretur, responsum accepit litteris, quas ad Damasum Pontificem dederat super variis excessibus Christianorum, ab hujus Successore Siricio, qui præ aliis hæc rescribit; *Præterea monachorum quosdam, atque Monacharum, abjecto proposito Sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita, ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint: quod & publicæ leges & Ecclesiastica jura condemnant. Has ergo impudicas, detestabilesque personas a Monasteriorum cœtu Ecclesiarumque conventubus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ iu suis Ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.* Verum distingui oportet Monasteria priscæ Ecclesiæ ab recentioribus monasteriis cum S.Isidoro, qui Cassiani autoritate Monasterium & unius Monachi habitationem esse demonstrat, quo nil solennius in vitis Patrum, ubi cellam, unius nempe monachi habitationem, monasterium appellari constat, proindeque uni Præposito, seu Abbati innumera esse subdita, quod secus incredibile esset. Verba autem S. Isidori sunt: *Monasterium, unius Monachi, idest Solitarii habitatio.* Et alibi: *Inter Cœnobium autem, & Monasterium ita distinguit Cassianus, quod Monasterium possit etiam unius Monachi habitatio nuncupari; Cœnobium autem nonnisi plurimorum.* De id genus Monasteriis

S. Isidor. orig. l. 15. c. 4. & de off. Eccl. lib. 2. c. 15.

DISSERT. II. CAP. II.

sermonem habere Siricium est evidens, dum ejusmodi Monachos Monachasque prius *Clanculo sub monasteriorum prætextu*, id est in solitudine longe ab hominum commercio, contaminatos ait; deinde eosdem arcet a *cœtu Monasteriorum*, nempe a Solitariorum congressu ut vacarent orationi, aliisque piis officiis, statim subjungens *Ecclesiarumque conventibus*, quod nihil omnino pugnat cum iis, quæ diximus. Quare hinc ad summum evincitur, & in Hispaniis nonnullas Virgines solitarias degere consuevisse, uti de Orientalibus testatur Theodoretus apud Thomassinum: *Multæ siquidem aliæ, partim solitariam vitam sunt amplexæ; partim versari cum pluribus maluerunt*. Nec secus esse poterat: nam perpetrandis iis sceleribus perquam accommodatissima erat solitudo: idque erit clarius, ubi & de Monachis quæ necessaria sunt loquutus fuero.

De benef. P. I. lib. 3. c. 44. n. 4.

XVI. Cœnobia in Hispan. non antiquiora sexto seculo.

Cœnobiorum originem in Hispaniis scriptor indidem diligens Mariana non altius desumit sexto seculo; nec revera antiquiora ibidem sunt, quemadmodum sequenti dissertatione ostendam. De iis vero Monachis, quos nuper solitarios definiebam, ita loquitur: *Monachi enim, quorum in actis Conciliorum Hispaniæ ante hæc tempora mentio extat, aut nulla votorum religione constricti erant, aut per sylvas dissipati vitam exigebant solitariam*. Fidem conciliant Scriptori integro, tum Canon VI. concilii Cæsaraugustani, quem recitavi, tum S. Isidorus, qui sex in classes divisis Monachis, ubi de quarto eorum genere agit quos falsos Anachoretas appellat cum Cassiano: *Isti in primordiis suis*, inquit, *fervore quodam brevi cœnobii perfectionem videntur expetere; sed continuo tepefacti, dum pristinos mores, ac vitia resecare contemnunt, nec jugum humilitatis, ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subdique seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, & solitarii sedere desiderant: ut a nemine lacessiti, mansueti vel humiles existimentur, quæ institutio, immo tepor, hos quos semel infecerit, ad perfectionem nunquam permittit accedere. Hoc enim modo non solum non abscinduntur, verum etiam in deterius eorum vita convalescit: ut quoddam lethale intestinum virus, quod quanto amplius celatum fuerit, tanto profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti*. Porro inter hoc genus Monachorum, & quos Damaso Himerius descripserat, nullum video discrimen aliud, nisi quod illos ait Cassianus a Cœnobiis discedere, ut mansueti & humiles viderentur, dum vitiis libere deserviebant; hos vero a Clericorum cœtu abiisse, ut *monasteriorum prætextu*, ait Siricius, *illicita & sacrilega se contagione miscerent*: & Concilii Cæsaraugustani Patres apertius ante quin-

Hist. Hisp. l. 5. c. 11.

De off. Eccl. l. 2. c. 15.

quen-

quennium dixerant : *Si quis de Clericis propter luxum vanitatemque præsumtam de officio sponte discesserit, ac velut observatorem legis, monachum videri voluerit &c.* Parum autem refert, a Cænobiisne, quæ in Hispaniis non erant, discesserint, an a Clero, cujus sacra instituta in prisca Ecclesia neminem latent; dummodo utrorumque conditio eadem fuerit. Non me præterit, tum Binium ad eumdem Canonem, tum Natalem animadvertere, quod Concilium ipsum Cæsaraugustanum fuerat congregatum contra Priscillianistas, Patresque eo præsertim Canone insectantur sanctimoniæ illius larvam quam impudentissimi illi hæretici præseferebant induentes Monachum, quam rem Sulpicio acceptam referunt, ipsisque Concilii Canonibus adversus eorum errores sancitis : video tamen eo collineare omnia, ut conditionem Monachorum ante sextum Ecclesiæ seculum ita factam, institutamque demonstrent, quemadmodum cum Mariana eam descripsi. Etenim vel ubi nullum aliud suppeteret argumentum præter comparationem ipsam, qua Clericus Priscillianista Monachi larvam obtendens, Monacho similem se reddere affectabat, satis superque intelligimus, quinam essent Monachi illius temporis.

Conc. Cæsar. can. 6.

N. Alex. sec. 4. c. 4. art. 17.

XVII. Concluditur nullas Monasteriales Ecclesias 4. sec. fuisse.

Qua plane in re abundantiori, quam necesse haberem, argumentatione usus sum; etenim testimonia identidem præclarissima adduxi, quæ ipsis ex Monasteriis ad Ecclesias properasse tum Monachos, tum Sacras Virgines palam faciunt. Quare etsi Monasteria utriusque generis in Hispaniis fuissent, inde non sequeretur quod Ecclesiæ, vel oratoria, in quibus sacra fierent, in Monasteriis essent; etenim tum Monachos, tum Sacras virgines ad Ecclesiam cum ceteris fidelibus accedere oportebat, ut est demonstratum. Cæterum ab anno 320 (quum dedicabantur passim Ecclesiæ, seu basilicæ) tum Episcopales, quas Cathedrales dicimus, mirum in modum auctæ erant numero ante barbaricam invasionem; tum parochiales primum forenses, deinde etiam urbanæ aliquot post annum 380. in Hispaniis erant; iisque in omnibus quà Episcopi, quà presbyteri sacris operabantur pro solatio plebis fidelium, quæ immensum habuerat incrementum. Reliquum modo esset ut earum omnium numerum hìc subjicerem; verum aliis id divinandum relinquo. Id ratum firmumque habeo, non modo inter fabulas rejiciendum esse appulsum Constantini, factamque ab eo divisionem Hispaniensium provinciarum; sed nullam omnino ex totis divisionibus, quas congessit ex variis Codicibus Garsias de Loaisa, ad ista tempora, sive ad quartum Ecclesiæ seculum referri posse : ac proinde inanem ludere operam, qui inde Episcopatuum numerum desumunt. Quin etiam studio illi

Dissert. II. Cap. III.

illi ardenti propagandæ religionis, quo flagrabant Hispani, aliquam velut notam inurunt qui Episcopos ad eum coarctant numerum, quem Wisigothorum Regum ævo esse initum negari non potest. Multæ enim Ecclesiæ tunc temporis erant dirutæ, multæ etiam Urbes solo æquatæ, maximumque in universas eas provincias detrimentum inlatum fuerat. Quarto autem seculo exeunte, ad summum sequentis initio, nullam credibile est Civitatem suo Episcopo caruisse; id enim moris jam invaluerat, ut singulis in civitatibus constitueretur Episcopus, quod late ostendit Thomassinus. Vel hinc patet, quam difficile iniri possit Cathedralium numerus. De parochialibus vero ne tentanda quidem res est. Itaque si demseris Monasteriales, quarum nullam fuisse certe affirmes; de veris certissimisque Hispaniarum Ecclesiis nihil certum poteris affirmare. Venio nunc ad veterem earum disciplinam.

CAPUT III.

De Metropolitanis Episcopis, & Disciplina Ecclesiæ Hispanæ per IV. Seculum.

I. Propositio dicendorum de disciplina.

A Sacrosancta Episcoporum dignitate initium facio; ii quippe disciplinæ omnis custodes sunt, ii fons & origo Ecclesiasticorum omnium Officiorum, ii denique Ecclesiarum parentes, quæ absque Episcopis nullæ essent. Atque utinam toto ferme eo temporis spatio, quod spectandum nobis erit isto capite, plerique Hispanorum Antistitum inversores potius, quam custodes disciplinæ, ignorationis obtentu, non extitissent! Quæ enim vices quartum seculum excepere, tantum detrimenti Ecclesiis non intulissent, ut, nisi Dei Optimi maximi beneficio Episcoporum quandoque aliquis Apostolicæ Sedis auxilium implorasset, nedum de Ecclesiastica disciplina, de religione ipsa actum esse videretur. Hinc tamen id boni evenit, ut Metropolitæ ipsi obtemperare alicui ex Coepiscopis insuescerent, Romani Pontificis vices gerenti, ac proinde potestatem suam extra provinciæ unius limites extendenti. Quæ res sequioribus seculis dissidia, & contentiones peperit, dum sibi aliquis vindicare molitus est dignitatem, qua ornatum suæ sedis antiquum Præsulem reperit. Confido autem fore, ut Metropolitanus quivis Episcopus, demum aliquando emergente vera ejus prærogativæ conditione, ferventius imitari conetur præclaras Sanctorum Antistitum prædecessorum laudes, studioque minus ardenti suæ Sedis incerta merita persequatur. Interim

rim hoc capite quid fuerit discriminis inter Episcopos Hispanos quarti seculi, quidve majoris curæ illorum nonnullis incubuerit primum expediam; deinde quæ vulnera per eosdem acceperit disciplina, quodque Apostolica Sedes præsidium ei periclitanti attulerit, mittendo illuc certam regulam tum sacramenta administrandi, tum sacras ordinationes peragendi, tum denique avertendi errores ab Ecclesia illa, quibus, post persecutiones otium nacta cum tranquillitate, sensim inspersa fuerat, paucorum, quæ supersunt, documentorum ope planum faciam. Præ iis Gnosticorum multiplicem insanissimumque errorem, qui singulare in Hispaniis nomen adeptus, Priscillianismus audiebat, nec non Novatianismum, altas adeo radices ibi posuisse compertum erit, ut barbarica prius invasio novum (Arianorum videlicet) errorem invexerit, quam priores illi radicitus convellerentur. Hujusmodi inter difficultates quarti seculi disciplinam indagare oportet, ea tamen parte prætermissa, quæ ad judicia pertinet, de quibus dicam sequenti capite: rationi enim consentaneum esse arbitror, ut priusquam de iis, quæ ad jura spectant, sermonem instituam, quidquid de factis dicendum erit, absolvam, haud deducens argumenta inutilia ex suppositis Decretalibus Epistolis, & ex Canonibus vulgo Apostolorum, in Hispaniarum Ecclesia omnino ignotis, sed paucis iis, certisque ex documentis, quæ superius recensui; fons quippe alius ullus purior non succurrit.

DISSERT. II. CAP. III.

II. Hispania Metropolitas primum agnoscit ante Constantini ordinationem.

Quamvis uno Petro excepto, quem Christus Dominus Apostolis cæteris præesse voluit, nullum omnino alium alii prætulerit, ut Ecclesiasticam Hierarchiam ipsius Petri Successorum, Conciliorumque decretis institutam adumbraret; tamen ipsis ab Ecclesiæ primordiis Episcopi cujusvis provinciæ aliqua ornatum prærogativa existimarunt eum Antistitem, qui aut sede, aut ætate suspiciendus videbatur. Hispanias aut natura duce, aut finitimam Africam imitatas prætulisse ætate grandiores, sive, ut melius dicam, ordinatione antiquiores Episcopos demonstravi, 58. Canonis Elibertini sententia contra Mendozæ, & Thomassini opinionem explicata: de aliis vero aliarum provinciarum Episcopis non est mei instituti verba facere. Id constanti eruditorum opinione pro certo habendum est, quod pace Ecclesiis reddita ii præferri Antistites cœperunt, qui in provinciarum Metropolibus habebant sedem. Et sane ab ea Christianorum felicitate anno sexto Laodicenum Concilium statuit de ordinandis Episcopis: *Ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt provehantur ad Ecclesiasticam potestatem*. Unde Metropolitani prærogativa in ordinatione Episcoporum est evidens. Eademque iis post-

Conc. Laod. can. 12. a. 320.

DISSERT. II. CAP. III.

Conc. Nic. can. 4. & 6. a. 325.

postea confirmatur a Nicænis Patribus: *Firmitas tamen eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo*. Et: *Si quis præter Sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere*. Quindecim vero post annos amplior iis facultas facta esse noscitur in Concilio Antiocheno, quod ita decrevit: *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant.... Unusquisque enim Episcopus habet suæ Parochiæ potestatem.... ita ut presbyteros, & diaconos ordinet, & singula suo judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus sine cæterorum gerat Concilio Sacerdotum*. Ita illi Antistites, qui sedem in Metropoli constitutam habuerunt, politici primum regiminis exemplo aliarum urbium provinciæ Episcopis in Ecclesiarum negotiis sunt prælati; deinde paulatim gliscente consuetudine ad eam venerunt autoritatem, quam ex Patribus Laodicenis Nicænis, & Antiochenis audivimus. Qua profecto autoritate Hispaniarum Metropolitas præditos fuisse aperte docet Siricius in Epistola ad Himerium: *Quod*, inquiens, *non tantum illis, qui hæc immoderata ambitione pervertunt, quantum Metropolitanis specialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus connivent, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt*. Quapropter nullus remanet dubitandi locus, quin ordo Episcoporum Hispaniæ in Metropolitas, & Episcopos divideretur: præterea quinque extitisse Metropolitas, qui usque ad octavum seculum perseverarunt, laudata Epistola testatur, ajente Pontifice: *Non solum ad eos, qui in tua sunt Diœcesi constituti; sed etiam ad universos Carthaginenses, ac Bæticos, Lusitanos, atque Gallicos*.

Conc. Antioch. can. 9. a. 340.

Siric. Pp. ep. 1. n. 8.

Idem ibi n. 15.

III. Post Constantini ordinationem pro num. provinciarum quinque habet Metropolitas.

Verum id æque certum mihi est, quinque hos Metropolitas ante in Hispaniis non fuisse cognitos, quam nova Constantini ordinatio provinciarum emergeret. Quare non statim post Concilium Nicænum anno 325. celebratum quinque has Hispanienses Metropoles reputare oportet; quin etiam neque continuo post innovatam, seu inversam a Constantino rempublicam anno 332. sed post Osii reditum in Hispanias a Sardicensi Concilio, cui præsidebat anno 347. nempe circa dimidium quarti seculi. Hinc est, quod Cordubense illud Concilium anni 350. seu aliorum opinione 360. ab Aguirrio laudatum ex Synodico Labbæi haud rejiciendum dixi; ut enim nihil inde utilitatis in rem nostram educi valeat, conjectu admodum facile videtur, quod eo in Concilio, cujus nulla extant

extant acta, Episcoporum Metropoleon dignitas major, quam cæterorum Antistitum, fuerit declarata juxta definita in Conciliis tribus Orientis nuper laudatis; duæque Metropoles, juxta numerum provinciarum, tribus antiquioribus adjunctæ fuerint: quum præsertim in Oriente fuerint, præter Osium, quinque Hispani Episcopi, Annianus Castulonensis, Florentius Emeritensis, Domianus Astoricensis, Castus Cæsaraugustanus, & Prætextatus Barcilonensis, qui omnes subscribunt Synodo Sardicensi, & quæ de Episcopis Metropoleon sancita fuerant, ignorare non poterant. Huc accedit, quod duo eorum Antistitum Cæsaraugustanus, & Emeritensis sedem habebant in Metropoli suæ quisque provinciæ, Lusitaniæ enim Civilis Metropolis erat Augusta Emerita, & Tarraconensis Cæsaraugusta, ut Notitia Imperii testatur. Quum vero Cæsaraugustanum Episcopum Metropolitico jure ornatum fuisse nusquam legatur, sed ejus loco Tarraconensem, siquidem Urbs Tarraco erat Metropolis ante dispositionem Constantinianam, non levis hinc oritur difficultas; quandonam cœperint Metropoles Ecclesiasticæ in Hispaniis esse suis in sedibus fixæ, non desultoriæ instar Africæ morem, quod ego ex Canone Elibertino interpretabar. Quare antequam pergo ad reliqua, dicendum aliquid mihi est tum de Metropoli Ecclesiastica Tarraconensi, tum de Metropoli item Ecclesiastica provinciæ Carthaginensis, de Toleto videlicet, & Tarracone, quarum neutra erat insignis jure Metropolitico Civili, quum Ecclesiasticæ quinque Metropoles in Hispaniis cœperunt nosci: non parvi enim momenti est, ipsa in Metropoleon institutione conspicere, contra sententiam Recentiorum, quod Ecclesia provincias quidem Civiles imitata est in sua provinciarum ordinatione; sed ab iisdem recessit, ubi de translatione Metropoleon res fuit: etenim si Ecclesiasticum regimen civilis omnino simile factum esset, quod ii contendunt, & Tarracone Cæsaraugustam translata esset Metropolitica dignitas, & ubiquumque Vicarius Præfecti Prætorio sedem habuisset, ibi Exarchus, aut media inter Pontificem, seu etiam Patriarcham, & Metropolitam dignitas debuisset constitui, ac proinde Hispali sedisset Exarchus, quod falsum omnino esse ex dicendis patebit. Unum id video esse observatum, ubi Metropoles Apostolica autoritate constituebantur extra civilem Metropolim, ut nomen idem commune fieret tum Episcopis sedem habentibus in Metropoli, tum iis, qui extra civilem Metropolim pari autoritate ornabantur.

IV. Antea nullum erat discrimen autoritatis inter Episcopos Hispaniarum.

Quamquam majori essent veneratione Antistites antiquiores in tribus Hispaniæ provinciis ante pacem Ecclesiis redditam; tamen nulla iidem autoritate aliis anteibant. Quapropter anno ipso

DISSERT. II. CAP. III.

Conc. Arel. I. can. 21. an. 314

ipso tantæ Christianorum felicitatis Patres Arelatenses; quos inter eminebat Osius Cordubensis doctrina, &, quod majus, gratia Cæsaris, de ordinatione Episcoporum ita decernunt: *De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumtis secum aliis septem Episcopis: si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare*. En Episcopos omnes & in Galliis, & in Hispaniis pari prorsus autoritate insignes. Ab eo vero tempore consuetudo illa cœpit, ut convenientibus ad Metropoles ob civilia negotia provinciarum incolis, in mentem venerit & de Ecclesiasticis provinciæ rebus cum Episcopo Metropolis actitare: qui mos adeo invaluit sex, decemve annis, ut Laodicenum prius Concilium, deinde generale Nicænum, quod Ecclesiam omnem tam orientis, quam occidentis amplectebatur, facultatem illam dederint Episcopis Metropoleon, quam nuper audivimus tum in ordinandis Episcopis, tum in aliis Ecclesiarum rebus. Eadem itaque facultate uti Hispanos cœpisse minimum post Nicænum decretum, videlicet multo ante novam Constantini dispositionem negaverit omnino nemo. Quamobrem Tarraconensis, Hispalensis, & Emeritensis Episcopi trium illius ævi provinciarum Tarraconensis, Bæticæ, Lusitaniæ, Episcopis, utquumque antiquioribus, præferri cœperunt. Sic perseverasse usque ad Osii reditum ab Oriente, fortasse etiam usque ad Cordubæ concilium anno 350. conjectando possumus imaginari, non asserere. Quod certo affirmari potest, nonnisi post Constantini Ordinationem Metropoles quinque Ecclesiasticæ in Hispaniis extitere: quum bipertito divisa citeriori Hispania, sive Tarraconensi amplissima provincia, pariterque Lusitania, ex duabus civilibus provinciis quatuor factæ sunt, quibus adjuncta Bætica numerum quinque provinciarum civilium faciebat Spectabili Vicario commissarum. Hunc autem Vicarium ex Codice Theodosiano didicimus, anno 336. sedem Hispali jam habere; quare & id certo scimus, quod nempe eo anno in quinque civiles provincias singulis commissas Magistratibus Hispaniæ dividebantur. Quandocumque autem utrique provinciæ Ecclesiasticæ proprius fuerit Metropolita, Carthaginensi, & Bracarensi; dubio procul Siricii Papæ tempore Carthaginenses, & Gallæci, seu Bracarenses suum habebant Metropolitam, eumque pari creditum antiquitate atque alios; quippe nullo eos discrimine Pontifex recenset, omnesque Autores constanter affirmant, quinque fuisse in Hispaniis antiquas Metropoles, Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitanam, Bracarensem; tametsi tres prædicti longe antiquiores duobus cæteris habendi sint.

Præ-

Præclarius vero argumentum majoris antiquitatis prædictorum trium est Metropolis Tarraconensis; quamvis enim post Constantinianam Ordinationem Cæsaraugusta evaserit Civilis Metropolis, Ecclesiastica tamen loco moveri non potuit, quare in Tarraconensi provincia alia erat Civilis, alia Ecclesiastica Metropolis. Id enim natura inditum Ecclesiæ est, ut semel instituta non moveat arbitrio Principum, quæ res iisdem Principibus non fuit incognita, lege enim sancitum invenitur: *Quæ ad Sacerdotia spectant, ea volumus in pristina manere forma, negotio ipso neque circa jus Metropoliticum, neque circa Ordinationes vel mutationem, vel novationem suscipiente*. Quæ Justiniani sanctio inhæret Romanorum Pontificum, & Conciliorum decretis. Et ne longe ab hujus dissertationis limitibus petantur exempla, en S. Innocentii I. decretum, qui sciscitanti Alexandro Antiocheno Episcopo reponit: *Non vere visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem, Metropolitanos Episcopos convenit nominari*. Idque infra planius fiet, quum de Carthaginensi provincia in duas divisa sermo erit. Cæterum, quod valde gloriosum est Episcopis Hispaniarum, Ecclesiæ semper jurium retinentissimis, ante etiam quam ulla Romani Pontificis, Conciliorumque decreta essent, eam servarunt disciplinam nullatenus ferentes, ut arbitrio Principum dignitas unius Sedis, alii Sedi adjudicaretur. Neque pluribus hanc rem egere intelligo, nam dubitat nemo aut veterum, aut Recentiorum Scriptorum, quin Tarraco vetustissima sit Metropolis Ecclesiastica provinciæ Tarraconensis, quamvis Cæsaraugusta civili eadem dignitate ornaretur. Secus est de iis provinciis, quæ nullam adhuc Metropolim aut Civilem, aut Ecclesiasticam ante Constantinum habebant, quaquumque enim in urbe juxta Cæsaream Ordinationem civilis constitueretur, ibi & Ecclesiasticam ponere erat liberum. Ita certe esse factum in Gallæcia novimus, cujus Metropolis in urbe Bracara sita fuit; nam Bracarensis Episcopus exinde Metropolitico honore conspicuus esse cœpit. At in Carthaginensi, quidquid nonnullis eruditis visum sit, non Carthagine una cum Civili, Ecclesiastica etiam Metropolis constituta est, sed Toleti. Quare, quum præ aliis Thomassinus affirmat; *Fuit in Hispania provinciæ suæ Metropolis tum sacra, tum civilis Carthago nova: postquam autem florentissima illa a Suevis & Gothis eversa urbs est, Toletum, ubi Gothorum Reges sedem fixerant, Ecclesiastica Metropolis translata est. Anno 531. Metropolitanus appellatur in concilio Toletano II.*

DISSERT. II. CAP. III. V.

Non omnes ex Metropoles pari sunt antiquitate.

Novell. 31. cap. 8.

S. Innoc. I. ep. 18. n. 2.

De benef. P. I. l. 1. cap. 41. n. 2.

DISSERT. II. CAP. III.

Montanus: quum, inquam, ita affirmat, vulgarem sequitur opinionem, remque inexploratam nobis obtrudit, quod faciunt & alii plurimi. Quamobrem meæ partes erunt, primum vulgarem hanc opinionem rejicere, deinde afferere Toletanam Metropolim Ecclesiasticam multo aliam a Civili, talis licet aliquando evaserit; at quo tempore Civiles aliæ Metropoles antiquatæ Sedem Regiam Toletum suspexere.

VI. Priscæ Metropoles erectæ ab Episcopis inconsulta S. Sede, quæ eam disciplinam nunquam improbavit.

Illud vero antequam ingredior demonstrare, hoc firmum ratumque esse velim, quod Metropolitica dignitas, non modo aliam nullam agnoscit originem, præter consuetudinem, probatam subinde Romanorum Pontificum, & conciliorum decretis; sed etiam quando primum instituta est omnibus in provinciis Civilibus post Ordinationem Constantini, earum exemplo, quæ ante istam ordinationem tali frui dignitate consueverant; si inconsulta Apostolica Sede ab Episcopis congregatis in Concilio constitueretur, eadem S. Sedes id disciplinæ genus non improbavit. Luce clarius succurrit exemplum Metropolitæ Mauritaniæ Sitifensis apud Justellum: *Primatem proprium quum Mauritaniæ Sitifensis Episcopi postularent, omne Concilium Episcoporum Numidiæ, consentientibus omnibus Primatibus, vel universis Episcopis provinciarum Africanarum, propter longi itineris novitatem habere permissa est. Cum consensu Carthaginensis Ecclesiæ factum est.* Ubi, ut vides, civitas tantum non designatur, quia desultoriæ in Africa erant Metropoles, seu primæ sedes, ut ab iisdem vocabantur. At in Hispaniis, quandoquidem ea dignitas fixa, seu inhærens uni ex provinciæ urbibus, minimum cœpit post Nicæna Decreta, etiam Civitas ad talem evecta honorem nominatur; ubi, quod maxime est notatu dignum, nova hujusmodi Metropolis est erecta post dimidium sexti seculi, in Gallæcia, quæ Bracarensi Metropoli subditos Episcopos, nova Lucensi Metropoli instituta, bifariam divisit, an. Aer. 607. Chr. 569. dum maximo Dei beneficio Suevorum Regibus Catholicis obtemperabat. Nam congregatis Episcopis Rex Theodomirus scripsit Epistolam conceptis his verbis: *Cupio Sanctissimi Patres, ut provida utilitate decernatis in provincia regni nostri: quia in tota Gallæciæ regione spatiose satis Diœceses a paucis Episcopis tenentur; ita ut aliquantæ Ecclesiæ per singulos annos vix possint a suo Episcopo visitari. Insuper tantæ provinciæ unus tantummodo Metropolitanus Episcopus est, & de extremis quibusque Parochiis longum est singulis annis ad Concilium convenire. Dum hanc Epistolam*, prosequuntur Concilii Acta, *Episcopi legerunt, elegerunt in Synodo, ut sedes Lucensis esset Metropolitana sicut & Bracara.* Nec putes hujusmodi disciplinam quam

Can. Eccl. Afr. c. 17.

Conc. Luc. can. 569.

quam ſexto incinante ſeculo audis obtinuiſſe, improbatam fuiſſe a Romanis Pontificibus: quin etiam ſcias, eamdem autoritate Pontificis inhærere: *In ſecundo*, ait Innocentius III., *Bracarenſi Concilio, de quo non dubitatur, quin ſit authenticum continetur expreſſum, quod Epiſcopi Gallaeciæ cum ſuis Metropolitanis ad illud Concilium convenerunt*. Sed ne quicquam ſuſpicioſum remaneat; præter quinque celebres Hiſpaniarum Metropoles, quarum tres conſuetudo peperit, duas reliquas Conſtantiniana Ordinatio, duas inſuper Metropoles tota in antiquitate legimus excitatas, Lucenſem quade nuper loquebamur, & Carthaginenſem in magna rerum perturbatione, quum provincia ejuſdem nominis bifariam diviſa eſt in civilibus, ut infra oſtendam. Hanc vero poſtremam, utpote Innocentii I. Decreto alibi laudato, & Canoni Chalcedonenſi adverſantem, vix agnoſceres, niſi quæſtio eſſet inter Scriptores, num Carthago, an Toletum fuerit antiqua Metropolis provinciæ Carthaginenſis. Cæterum nullum uſquam decretum Pontificis erit legere, quod illam in Hiſpaniis diſciplinam condemnaverit.

DISSERT. II. CAP. III.

Decretal. l. 2. epiſt. Licet. & ap. Aguir. to. 2. pag. 635.

VII. Carthago nova nunquam fuit Metropolis Eccleſiaſtica, licet id honoris uſurpaverit aliquandiu.

A propoſito autem ne digrediamur, vulgi opinionem, quam Eruditi Recentiores amplectuntur, rejectum iri confido, ſi ſedulo animadvertantur Scriptorum ſententiæ aliorum aliæ de Carthaginis everſione, & de Metropoliticæ dignitatis tranſmigratione. S. Iſidorus teſtis integer, & non multo diſtans intervallo ab excidio Carthaginis, hanc tradit a Gothis everſam; ſuoque ævo, ſeptimi nempe ſeculi principio deſolatam jacere: *Afri ſub Annibale maritima Hiſpaniæ occupantes Carthaginem Spartariam conſtruxerunt, quæ mox a Romanis capta, & Colonia facta, nomen etiam provinciæ dedit. Nunc autem a Gothis ſubverſa, atque in deſolationem redacta eſt*. Idatius autem aliquanto antiquior Iſidoro captam, atque everſam tradit a Wandalis olympiade 301. quæ incipit an. Chr. 425. *Wandali*, ajens, *Balearicas inſulas deprædantur: deinde Carthagine Spartaria, & Hiſpali everſa, & Hiſpaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt*. Inter meliores Hiſpanienſes Mariana cum Idacio concinit, Wandalis, non Gothis everſionem illam adſcribens: ab eo tamen diſcrepat annis quatuor, nam everſam vult Carthaginem anno 422. qua occaſione Caſtinus Magiſter Militum Romanorum a Wandalis ſuperatus Tarraconem ſe receperat. Alii, ut nuper vidimus Thomaſſinum feciſſe, ſibi perſuadent, quod a Gothis ac Suevis exciſa fuerit. Equidem aperte dicam quod ſentio; quiquumque Carthaginis everſores fuerint, iſta urbs minime exciſa a fundamentis mihi videtur: vices quippe eaſdem fuiſſe doceor ab Idatio Urbis Hiſpalis, & Carthaginis. Quod

Orig. lib. 15. cap. 1.

Idat. Chronic. Ol. 301.

Maria. lib. 5. cap. 3.

Dissert. II. Cap. III.

Quod si Hispalis eversa sedem Episcopalem non amisit, nec Carthago itidem eversa suam sedem Episcopalem deflevit excisam. At enimvero, si Carthago penitus diruta est, quid igitur anno 516. Hector Episcopus Carthaginis subscribit Concilio Tarraconensi? (nam summa in ea rerum perturbatione aut exules, aut deportatos hic illic Hispaniarum Episcopos reperiri, atque juxta consuetudinem Ecclesiæ interesse Conciliis alienæ provinciæ, nulli, ut arbitror, novum erit:) Quid igitur ante exitum sexti Seculi, Sancto Gregorio Magno Pontifici scribit epistolam Licinianus Carthaginensis Episcopus, multa eum interrogans de suæ Parochiæ, sive, ut hodie dicitur, diœcesis recto regimine? Quid igitur S. Isidorus idem, qui in opere originum imperfecto annis aliquot post Licinianum exarato, desolatam scribit Carthaginem, alio loco de illo Episcopo apertis hisce verbis loquitur: *Licinianus Carthaginis Spartariæ Episcopus claruit temporibus Mauritii Augusti*? Quod sane testimonium S. Isidori, qui Carthaginis eversionem testatur, meam opinionem confirmat: quare non assequor mente, cur Cardinali Aguirrio novum id inauditumque tum temporis nomen titularium Episcoporum libuerit excitare, quum præsertim Liciniani ad Gregorium epistola characterem exhibeat Præsulis gregem sibi commissum custodientis. Reponi posset, reædificatam urbem ante annum 516.excisam fuisse iterum post Liciniani tempora. Et sane quamquam post Liciniani ætatem Gothi Reges Catholicam fidem profitentes, instauratores potius, quam eversores sedium Episcopalium prædicentur; tamen post Licinianum, nullus Carthaginensis Episcopus invenitur: & in divisione Wambæ merum nomen Carthaginis occurrit, tanquam terminus Diœcesis Urgi, aliorum instar oppidorum cuique Episcopatui subditorum. Id vero negare non ausim; quin etiam inde assequor, Isidorum non egisse de prima illa eversione, sed de altera post Licinianum. Erit igitur explorandum, num ævo saltem Arianorum Carthago fuit Metropolis. Interim firmum id, ratumque habendum, quod prima illa eversio Charthaginis non excidium urbis, nec sedis Episcopalis amissionem importavit.

Aguir. to. 2. pag. 427.

De vir. Ill. c. 42.

VIII. Id demonstratur ratione historiæ, & canonum.

Moral. lib. 11. cap. 19.

Mar. lib. 5. c. 3.

Quod profecto non infirmatur vetusto eo documento, quod extat apud Morales & Marianam: *Alli uvo antiquamente dignidad de ciudad, ma agora que fue desolada por los Vandalos en el tiempo de los Godos, la dignidad fue passada a la Yglesia de Toledo y aun hasta agora la provincia de Toledo se llama provincia de Cartagena*. Nam, præterquamquod verba ipsa documenti parum antiquitatis redolent, eruditissimus Nicolaus Antonius Autorem detexit, nempe Rodericum Ximenium, qui tanto ab iis temporibus

ribus dissitus intervallo, synchronis fere Scriptoribus præferri non debet. Quapropter documenti hujus autoritate sua deque habita, ac Liciniani prolata sententia ex ejusdem epistola, qua enervatur excogitatio Aguirrii, quod nempe Hector & Licinianus fuerint Episcopi Titulares, tota in antiquitate unicum suppetit argumentum Metropoliticæ dignitatis Carthagine Toletum translatæ; videlicet subscriptio Hectoris laudato Concilio Tarraconensi: *Hector Episcopus Carthaginensis Metropolis subscripsi*. Præterea inconstantiam Codicum lectori obviam, qui multo plures inveniet cum simplici, moderataque aliorum subscriptione congruentem: *Hector in Christi nomine Episcopus Carthaginis*; ratio ipsa suadet, ut *Metropolim* Carthagini credamus assutam. Et sane Joannes Metropolita Tarraconensis, Conciliique Præses, merum nomen Episcopi Tarraconensis civitatis usurpat; Hectorque ipse se fatetur nulla conspicuum prærogativa, post Paulum Impuritanum Episcopum, ætatis ratione habita, subscribens, quemadmodum Orontius Illiberitanus ex provincia Bætica septimum locum obtinet. Assumentum vero hujusmodi, a quoquumque excogitatum a provinciæ Carthaginensis vicibus proficiscitur. Constat siquidem post barbaricam invasionem bifariam divisam esse provinciam Carthaginensem; duasque has provincias ab Joanne Mariana appellari Carpetaniam, & Carthaginensem; *Carpetania*, inquit, *& Carthaginensis provincia victricibus armis sub imperium missæ, brevi ex fœdere pacis studio facto ad jus ditionemque romanorum redierunt*; tametsi utramque Carthaginensem, vocat fidei majoris autor Isidorus, ajens, quod Rex Suevorum Rechila (qui circa dimidium quinti seculi occubuit mortem) *Carthaginenses provincias in suam redegit potestatem*. Civilem hanc divisionem, quandoquumque, secutos esse Episcopos certo certius est; nam Concilium Valentiæ habitum prope dimidium sexti seculi exhibet Episcopos provinciæ, quam Carthaginensem vocat Mariana; & Concilium Toletanum III. seculo eodem declinante celebratum, Carpetaniam aperte nominat: nam Concilio eidem Toletano Euphemius Carthaginensis provinciæ Metropolitanus ita subscribit: *Euphemius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Toletanæ Metropolitanus Episcopus provinciæ Carpetaniæ &c.* Subscriptionem vero istam imperitiæ damnatam vicesimo post anno in Concilio primum, deinde Gundemari Regis decreto, emendatamque esse, tanquam sacris Canonibus contrariam, & schisma Carthaginensium aliquot Episcoporum foventem novimus; atque eapropter non est, cur, reclamante antiquitate, de duplici hac Metropoli, tamquam de re certa quisquam disputet. Verba ipsa decreti hic audienda mihi viden-

DISSERT. II. CAP. III.

Lib. 5. c. 3.

Hist. Suev.

Conc. Tol. III. an. 589.

DISSERT. II. CAP. III.

dentur, quippe quæ commentariorum instar nobis erunt. *Honorem primatus*, ait Rex, *juxta antiquam Synodalis Concilii autoritatem per omnes Carthaginensis provinciæ Ecclesias Toletanæ Ecclesiæ sedis Episcopum habere ostendimus: eumque inter suos Coepiscopos tam honoris præcellere dignitate, quam nominis: juxta quod de Metropolitanis per singulas provincias antiqua Canonum traditio sanxit, & autoritas vetus permisit. Neque eamdem Carthaginensem provinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine contra Patrum decreta permittimus dividendam; per quod oriatur varietas Schismatum, quibus subvertatur fides, & unitas scindatur.... Illud autem quod jam pridem in generali Synodo concilii Toletani a ven. Euphemio Episcopo manus subscriptione notatum est, Carpetaniæ provinciæ Toletanam esse sedem Metropolim, nos ejusdem ignorantiæ sententiam corrigimus; scientes procul dubio Carpetaniæ regionem non esse provinciam, sed partem Carthaginensis provinciæ*. Quid desideratur illustrius?

IX. Toletum semper fuit Metropolis Ecclesiæ provinc. Carthaginen.

Audis Catholicum Principem acerrime asserere Conciliorum decreta, præsertim Chalcedonense duodecimum, quod simili occasione Episcoporum ambitum reprimendi, erat conditum: *Pervenit ad nos*, ajunt Patres, *quod quidam præter Ecclesiasticas ordinationes, affectantes potentiam, per pragmaticum sacrum unam provinciam in duas dividant, & ex hoc inveniantur duo Metropolitani Episcopi in una eademque provincia esse*: & definita ipsius Ecclesiæ capitis Romani Pontificis improbantis Ecclesiæ provinciarum divisionem juxta civiles mutationes, ut de Innocentii I. rescripto diximus. Restat nunc, ut omnem tibi amoveam scrupulum, Toletanusne, an Carthaginensis Antistes civilem divisionem amplexus provinciæ Carthaginensis dividundi Episcopos autor fuerit. Anno decimo post unicam, eamque inconstantem autoritatem Carthaginensis Metropolitæ in Synodo Tarraconensi, Concilium Toletanum II. celebrabatur, in quo *Statuimus*, ajunt Patres, *ut frater, & Coepiscopus noster Montanus, qui in Metropoli est &c.* Idemque Montanus, quæ res multo apertius argumentum illustrat, in Epistola ad fratres, & filios territorii Palentini luculentissima hæc adhibet verba: *Quum Toletanæ urbi Metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit; & eo magis non solum Parochiarum, sed & urbium cura hujus urbis sollicitet Sacerdotem*. Ecquis non videat, decem spatium annorum dici non posse veterem consuetudinem, ac proinde quum vera etiam, constansque esset subscriptio Carthaginensis Episcopi, quæ prima & semel occurrit; Toletano tamen Episcopo antiquitate concedere Carthaginensem? Quid, quod S. Ildefonsus Asturium Antistitem, qui

Conc. Tol. II. can. 5.

Aguir. to. 2. pag. 269.

Con-

Concilio Toletano I. intererat anno 405. Metropolitam appellat? *Asturius post Audentium in Toletana urbe Sedis Metropolis provinciæ Carthaginis Pontifex successor subvenit*. Nonne hinc vetus illa consuetudo qua jure gloriatur Montanus, confirmatur? nonne magna ea vetustas in decreto Gundemari Regis sæpe repetita fit evidens? Nonne origo Toletanæ Metropolis aliarum omnino similis fuisse dignoscitur, quas postea Pontifices, & Concilia roborarunt; ita ut, minimum, a Constantiniana ordinatione sit repetenda? At, inquies, Ildefonsus de Toleto loquitur, ut erat suo ævo, Constantini autem dispositio non Toletum sed Carthaginem Metropolim fecit. Subtile effugium! Quid igitur non profertur testimonium aliquod, unico illo certius, Ecclesiasticæ Metropolis Carthaginis? Lucensem Ecclesiam ad eam dignitatem esse evectam vidimus in Concilio Episcoporum apud Lucum, testem ejusdem rei habemus concilium Bracarense post annos tredecim celebratum; Innocentium demum III. ea Metropolis erectione uti tanquam certo adversus Compostellanum Antistitem argumento, nos docuit laudata ejus Epistola: at Carthaginensis propugnata Metropolis nullo Concilio, nullo Pontificum Romanorum testimonio, nullo antiquitatis monumento, præter fidem inconstantem alicujus Codicis MS. in quem irrepsit Metropoliticum istud nomen, inhæret. Ecquis igitur Toletanæ Sedi certissimum honorem eripiat tot vetustissimis documentis inhærentem, ut nullo jure afferat Carthaginensi? Neque vero ab aliquibus credi velim, me idcirco asserendæ Metropoli Toletanæ insistere, ut sternam viam Primatui, Byzantinam quippe Sedem ex mera Suffraganea ad Patriarchalem inter Orientales præcipuam pervenisse, quis nescit? Quare aut Carthagine advectus sit Toletum honor Metropoliticus, aut Toleti semper fuerit, hæc res nihil promovet: ac proinde inani vexantur labore, qui veritati adversantur in nullius momenti controversia. Quin etiam Hispanarum rerum minus scientes, eruditissimi quique se ostendunt. Petri de Marca, & Thomassini exempla proferam tota errantium via hac in cadam re.

De vir. Illust. c. 1.

X. Error Recentiorum hac de re.

Sequuntur ii viri doctissimi, quibuscum turba ingens Recentiorum conjungitur, eam vulgi opinionem, quam falsam demonstravi; asseruntque, hic loco supra laudato, ille in tractatu de Primatu Lugdunensi, quod Metropolitica dignitas Carthagine advecta est Toletum, ubi Gothi suam sedem constituerant. Deus bone! res posteris obtruduntur inexploratæ, vel quia scriptæ ab aliis inveniuntur, vel quia sola fiducia nominis pro veris falsa tradere non putatur indignum Scriptore honesto, & integro. Primus omnium Regum Gothorum sedem constituit Toleti Leovigildus anno

DISSERT. II. CAP. III.

Lib. 5. c. 11.

circiter 577. quod vidit etiam Mariana: *Regni sedem*, ajens, *Toleti fixit: unde ea civitas urbs regia nuncupari cœpta est*. Antea enim, quidquid constet Athanagildum esse mortuum Toleti, primum Tolosæ, deinde Narbone in Gallia Gothica sedes eorum Regum fuerat: Leovigildus autem regni consors factus a fratre Liuba, *Hispaniam*, ut ait Isidorus, *ampliavit*, *nam antea gens Gothorum angustis finibus arctabatur*, deinde Toleti sedem fixit; quare Metropolis Gothorum Regum cœpit in Hispania esse, quum ante id temporis per Præfectos ex Gallia missos administraretur. *Leovigildum*, ibidem ait Isidorus, *fratrem suum socium regni constituit*, *Hispaniæque administrationi præfecit*. At de his aliquanto fusius agam primo capite dissertationis sequentis. Quod si Toletum minime facta est Metropolis Gothorum, nisi quinquaginta post annos a Concilio Toletano II. ubi ejus urbis Antistes Montanus ab omnibus agnoscitur Metropolita; idemque Episcopus in sua ad Palentinos epistola dignitatem suæ sedis inhærere affirmat veteri consuetudine; quid dictitant viri eruditi Ecclesiasticam Metropolim sequutam esse exemplum politicæ administrationis Gothorum quod sacris Canonibus erat vetitum? Non est profecto injuria hæc minor Metropoli Toletanæ facta, quam quæ ab iis eidem inuritur, qui aereis innixum fundamentis Primatum ibidem constituunt ab ævo Apostolorum. Equidem, quemadmodum Toletum ad Primatiæ dignitatem qua hodie conspicua est, aliquando pervenisse planum faciam; ita Metropoliticum honorem perinde antiquum, atque aliarum quatuor sedium, nullatenus patiar, inexploratis eidem rebus ereptum iri. Ut autem nemine clam sit, qua prodiit ex figlina Metropolis Carthago, satis superque erit pseudo-Chronicorum verba proferre ex purgatioribus eorumdem fragmentis apud Nicolaum Antonium in fine bibliothecæ veteris. 412. *Provincia Carthaginensis in Toletanam seu Carpetanam*, & *Carthaginensem dividitur*. Infra: 590. VIII. *Idus Maji Synodus magna* 27. *Episcoporum contrahitur Toleti .... Inter istos erant octo Metropolitani Massona Emeritensis*, *Euphemius Carpetanus*, *Leander Hispalensis*, *Nigecius Narbonensis*, *Nitigessius Lucensis per procuratorem Pantardum*, *Pantardus Bracarensis*, *Euphemius Tarraconensis*, *Dominicus Carthaginis Spartariæ*. Adeas collectiones omnes Conciliorum tam generales, quam particulares, nec Tarraconensem, Metropolitam, nec Carthaginensem Episcopum invenies: at pseudochronicis materia fingendi nunquam deest. Piget me, doctissimos viros hinc sua decerpere; tametsi figlinam indicasse non pudet.

Isid. Chron.

XI. Hispani Antistites Nicænos Canones non observant.

Jamque satis vagatus citra dissertationis limites, ita enim facere sum compulsus rerum ambagibus, redeo ad Osii tempora, quum

quum inter Hispanos Episcopos quinque ii Metropolitæ, de quibus sum loquutus, cœperunt nosci, ut eorumdem Ecclesiæque omnis Hispanæ disciplinam per quartum seculum explorem. In Concilio Nicæno jubebantur, *annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis provinciæ*, ajunt Patres Nicæni, *discutiantur hujusmodi quæstiones*; nempe de Clericis, vel laicis excommunicatis. Hunc vero canonem minime ab Hispanis Metropolitis esse observatum, demonstrant duo tantum Concilia Cæsaraugustanum, & Toletanum I., in causa Priscillianistarum inibi celebrata (quæ enim decreta Conciliorum, præcipue Toletanorum recitantur ab Ivone, Burchardo, & Gratiano, si vera sunt, ad prisca illa tempora nihil attinent) hinc est, quod vehementer optarem ut persuasum cuique esset, Nicænos Canones minime advectos esse in Hispanias ab Osio: siquidem hanc nollem notam inurere Hispaniarum Episcopis tantæ inobservantiæ. Sed veritati non licet fucum facere. Compertum nobis est ipso ex discrimine Episcoporum, Nicænos in Hispaniis Canones non ignorari: idem est certo certius ex epistola Siricii ad Himerium: *Feminas vero non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit*; quibus indicat tertium Canonem tanquam Hispanis notissimum: denique id evidens est ex Concilio Toletano I. nam congregati Patres, antequam quicquam decernant, dicta Patruini Præsidis concordes approbant, nempe: *Constituta primitus Concilii Nicæni perpetuo esse servanda*; & ex Epistola Innocentii ad Patres ejus Synodi post quinquennium tradita. Quare præstat cum alieno damno quæ vera sunt referre, quam eadem reticendo proprium perpeti. Est igitur omnis expers dubii, quod Hispaniarum Episcopi tum minime ignorabant Nicænos Canones, tum sancita per eosdem de disciplina sua deque habebant. Neque ad rem probandam alia sunt opus argumenta luculentiora, quam duæ laudatæ Pontificum Romanorum epistolæ, videlicet Siricii post quinquennium a Cæsaraugustana Synodo, & Innocentii post tantumdem temporis a Toletana conscriptæ. Utriusque sententiam brevi ductu expediam, Innocentianæ prius ætate stabilita contra eos, qui nova meditantur Concilia in Hispaniis. Quasi vero, si aliquot minime dubia celebrata essent, nulla ex posterioribus memoria erui posset, ut de Synodo a Lusitanis habita sit a Patribus Toletanis: *Qui etiam ante interdictum, quod per Lusitanos Episcopos constitutum est, &c.*

Concilium Toletanum I. ab extremo quarti seculi anno minime removendum docent characteres temporis satis perspicui, Æra vide-

Marginalia: Dissert. II. Cap. III. — Conc. Nic. can. 5. — Siric. ep. 1. cap. 12. — Conc. Tol. I. can. 1. — XII. Documenta id testantia, ac pri-

DISSERT. II. CAP. III. mo Concilium Tolet. I. & ejus ætas.

videlicet 438. & Consulatus Stilichonis, quod fatentur eruditi omnes, tametsi conentur alii ad alterum Stilichonis Consulatum differre cum Perezio, qui controversum relinquit; alii vero, quos inter uterque Pagius, re parum explorata, & anno 400. & 405. Synodum Toleti esse habitam sibi blandiuntur demonstrasse, nulla potiori ratione allata præter Pontificatum Innocentii, qui non habet tam alta principia; neque in mentem iis venit, quod epistolæ titulus: *Universis Episcopis in Toletana Synodo constitutis*: non infert, quod actu congregati essent, sed quod antea fuerint, ut docet caput tertium ejusdem epistolæ: *De Joanne quoque Episcopo cujus in Synodo Toletana .... consensus accessit*: & infra: *ut secundum decretum Synodi Toletanæ &c.* Concilium igitur erat antea celebratum. Quid igitur, inquies, capite eodem Pontifex eos admonet: *Vel si qui fuerint deprehensi, qui abnuant concordiam, & constituta placitorum, a communione Catholicæ fidei per dilectionis vestrę sententias abdicentur*? Quia nempe iidem Episcopi Hispanienses, qui *dudum*, ut ait Innocentius, Toletum ex variis provinciis convenerant, tot Ecclesiarum morbis medicinam allaturi, congregari iterum jussu Pontificis debebant aut Toleti, aut quavis in urbe, esset ea Metropolis, necne, id enim moris erat eorum temporum, ibique ea quæ idem decernit, sancire. Neque mirum id videatur, quod Innocentius maluerit Episcopis Toletanæ Synodi, quam omnibus per Hispaniam Antistitibus epistolam inscribere; optimo enim jure custodes sacrorum Canonum ab horum eversoribus discrevit. *Sæpe me, & nimia*, inquit, *quum teneret cura sollicitum super dissensione, & schismate Ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere, & citatiore gradu incedere, fama proloquitur; necessarium tempus emersit, quo non posset emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina provideri. Nam Fratres nostri Coepiscopus Hilarius, & Elpidius Presbyter, partim unitatis amore permoti, partim qua laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad Sedem Apostolicam commearunt, & in ipso sinu fidei violatam intra provinciam pacem, disciplinę rationem esse confusam, & multa contra Canones Patrum, contemto ordine, regulisque neglectis, in usurpatione Ecclesiarum fuisse commissa, nec concordiam in qua fidei nostræ stabilitas tota consistit, posse retineri, cum dolore & gemitu prosequuti sunt*. Audis, Pontificem fama prius edoctum, nunc demum Episcopi, & presbyteri zelo oretenus instructum compelli ad avertendas Ecclesiæ Hispanicæ calamitates; eos vero non missos, aut profectos esse ab ulla Synodo, sed sponte, zelo dumtaxat instigante, Romam advolasse, Legesis epistolam totam, optime nosse intelliges Potificem quæ ante quinquen-

quennium in Synodo Toletana salubriter fuerant constituta, & quæ inde schismata vim majorem acceperant. Quare caveas, ne aut ad annum hunc 405. Concilium illud differas, aut de novo quicquam Concilio mussites. Porro & Card. Aguirrius de hac re recte disputat; nam disertissime ostendit, & annis aliquot, antequam celebraretur, indictum esse, vivente adhuc S. Ambrosio, & multo post ad eosdem Concilii Patres datas literas Innocentii (harum tamen argumenta non elicit, quia ipsarum exempla profert tam ex Loaisa, quam ex Sirmondo) ac proinde non ego prior Concilii & literarum ætatem agnovi, at quæ ille persequutus est pluribus, compendiario sum amplexus. Id obiter adjiciendum mihi est, quod non semper Synodus aut Concilium congregatos Episcopos indicabat; sed unius provinciæ Episcopi etiam in suis sedibus degentes ita nuncupabantur. Sitque exemplum instar omnium *Concil. Bracar. II. in præf.* in quo legitur: *ut ex utroque concilio* (nempe Bracaren. & Lucen. provinciis) *conveniremus in unum*. Hic tamen Pontificem respicere eos Episcopos qui Toletanam Synodum celebrarant, conjicitur ex laudata ejusdem epistola: nam cap. 6. *Quamvis*, ait, *dilectioni vestræ Regulæ Nicænæ sint cognitę, secundum quas Ordinationes faciendas esse decernitis*: Quibus, ut observat Sirmondus, ad primum caput Concilii Toletani Innocentius alludit. Quare epistola non ad unius provinciæ Episcopos, per Synodum seu Concilium indicatos data fuit, sed ad omnes omnium provinciarum Episcopos, qui Toletanum Concilium celebraverant contra Priscillianistas, & pro asserenda Ecclesiæ disciplina. Mox ea promam ex Siricii, & Innocentii epistolis, quæ disciplinam pessime habitam in Hispaniis per seculum quartum ostendent.

XIII. Epistola Decretalis Siricii depravatæ Hispanor. disciplinæ testis.

Ac primum de Episcopis, presbyteris, diaconibus; quorum causa exclamat Siricius cum Propheta: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & flebo populum hunc die ac nocte*. Eorum scilicet pars magna, postquam sacros ordines susceperunt, tum ex propriis, tum ex alienis uxoribus liberos procreaverant, pars ignorationis obtentu, pars veteris Testamenti lege suas libidines defensando. Non solum bigami, sed & plures qui uxores acceperant, Metropolitis conniventibus, ad sacras eas dignitates provecti erant. Id genus Episcopi, ab Arianismo revertentes iterum baptizabant: baptisma ipsum non statis priscæ Ecclesiæ solennibus diebus, sed in Natalitiis Martyrum, & quacumque festivitate largiebantur. Huc accedebat, quod Christiani ad apostasiam revertebantur; desponsatas aliis virgines ducere non verebantur; & post publicam pœnitentiam quasi canes ad vomitum redeuntes, illicitis voluptatibus contaminabantur. Hoc autem libidinum

Dissert. II. Cap. III.

dinum cœno non laici tantum, sed & qui monasticam vitam profitebantur, contaminati, in præruptum desperationis baratrum deciderant; ita ut priorem vitam obliti, libere voluptatibus inservirent. Has corruptelas circa Ordinem, Baptismum, Matrimonium, & hæc generalis incontinentiæ vitia Himerius Metropolita Tarraconensis nunciaverat S. Damaso, hujusque successor Siricius emendare conatus est Decretali ea celeberrima epistola, quam sæpe laudavi. Quare Episcopos, presbyteros, Diaconos, ignorationis causa lapsos ait reconciliandos, ita tamen ut eo in gradu, quo erant, persisterent; qui autem veteris testamenti lege nitebantur, dejiciendos ab omni honore: Bigamos, aut viduam ducentes uxorem omni Ecclesiastica dignitate carere decernit. De interstitiis etiam definit Clericorum, ne ignoraretur amplius Ordinationum disciplina, a quibus arcet quos publice pœnituit. Baptisma non repetendum ab hæresi conversis; idque minime administrandum, præterquam in Paschate, & Pentecoste, nisi aliud suadeat necessitas. Communione arcendos apostatas, quos redeuntes, si pœnituerit toto vitæ curriculo, reconciliandos in fine. Desponsatam alii ducere alium nullatenus debere. Relapsos post publicam pœnitentiam (quæ semel injungebatur) ac resipiscentes ad Ecclesiæ orationes admittendos, non autem ad sacram mensam, in fine tamen vitæ viatico muniendos. Monasticam demum vitam professis a Monasteriorum cœtu & Ecclesia rejectis perpetuo pœnitentiam infligendam, eosque nonnisi in fine vitæ reconciliandos.

XIV. Necnon Epistola S. Innocentii I. ad Synod. Toletan.

Profecto hæc sanctissima instituta, quæ magno semper in pretio habuerunt Hispani, teste Isidoro, ut observat Aguirrius, utilitatis nihil, aut certe modicum tot Disciplinæ corruptæ incommodis attulerunt. Vitia siquidem ordinationum eadem post quindecim annos viguisse testatur Emeritensis Metropolita Præses Concilii Toletani I. *Quoniam singuli*, ajens, *cœpimus in Ecclesiis nostris facere diversa, & inde tanta scandala sunt, quæ usque ad schisma perveniunt, si placet communi concilio decernamus, quid ab omnibus Episcopis in ordinandis clericis sit sequendum*. Subjecti vero Canones rem magis magisque confirmant. Quin etiam alio elapso quinquennio S. Innocentio I. Hilarius Episcopus, & Elpidius presbyter Hispanienses tot incommodis addita esse incrementa, ut nuper vidimus, retulerunt. Quare iterum ab Apostolica sede Hispani Episcopi accipiunt Regulas ordinationum, quæ prava consuetudine tam insolenter fuerant celebratæ, ut numero earum territus Sanctus Pontifex Dei judicio relinquat. *Puerat*, inquit, *aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus ne perturbationes quamplurimis Ecclesiis moveremus. Quorum*

Conc. Tol. 1. præf.

S. Innoc. Ep. c. 4.

rum (Episcoporum) *factum ita reprebendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quæ quoquo modo facta sunt, in dubium non vocemus, sed Dei potius judicio dimittamus.* Ad Regulas postea veniens: *Quamvis*, inquit, *dilectioni vestræ, fratres carissimi, regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis*, (namque Concilii Toletani Præside ajente: „ *Mihi autem placet constituta primitus Concilii Nicæni perpetuo esse servanda, nec ab iis esse recedendum*: respondcrunt congregati Patres: *Hoc omnibus placuit: ita ut si* „ *qui cognitis gestis Concilii Nicæni aliud quam statutum est, facere præsumserit, & non in eo perseverandum putaverit, tunc excommunicatus habeatur, nisi per correptionem fratrum emendaverit errorem* „) *tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est provisa inserendam putavi, ut secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas &c.* Easdem postmodo enumerando recenset, quas longum esset, ac supervacaneum hic referre. Nolui ex eadem Innocentii epistola vitia ordinationum Episcoporum enarrare, nam pleraque ad judicia pertinent sequenti capite proponenda, ne legenti molestus essem. Id tantum dico, quod nec Siricii decreta, nec Concilii Toletani canones, neque Innocentii Regulæ tot spatio annorum enutritos abusus eradicarunt. At juxta Innocentii ejusdem sententiam, qui Divino eam rem judicio reliquit, excepisse hos depravatos mores Episcoporum & Cleri, corruptamque hanc disciplinam, barbaros invasores (unde malorum omnium causæ, quæ duobus sequentibus seculis quinto, & sexto afflixerunt Ecclesiam) dissertatione sequenti compertum erit.

DISSERT. II. CAP. III. *Ibid. c. 4.*

XV. Comparatio prioris disciplinæ cum ea quæ pacem Ecclesiæ sequuta est.

Juvat nunc memoria repetere quæ de rudi illa, atque indigesta priorum temporum disciplina novimus ex Concilio Elibertino quum nulla adhuc prærogativa Episcoporum, qui singuli suæ provinciæ rerum satagerent, in Hispaniis erat cognita; sed antiquiori tantum provinciæ Episcopo, deferebant primas, siquando simul congregabantur, plebes confirmaturi in fide, sævientibus persecutionibus: formatasque literas communionis omnibus quidem Episcopis a Clerico, vel fideli pertranseunte ostendendas, sed præsertim ubi erat antiquior, seu primæ Sedis Antistes, id faciendum in Concilio decreverant. Etenim quarti seculi disciplinam, Metropolitanis jam vigentibus, quorum prærogativam, atque autoritatem uniuscujusque provinciæ Episcopi suspiciebant, ac vereri tanquam judicum debebant, cum illa veteri comparanti fatendum erit, potiori usam fortuna Hispanam Ecclesiam, quum pari Episcopi omnes potestate, pari sollicitudine commissos sibi greges custodiebant, quam ubi singulæ provinciæ suum caput

DISSERT. II. CAP. III.

put sortitæ in unum Episcopum summam rerum conjectam esse, pro sanctiori utiliorique regimine, gloriabantur. At enimvero, quam rigida, quam severa Elibertinorum Patrum disciplina erat de Ordine, Baptismate, Matrimonio! In magna ea scilicet Clericorum inopia, conversos ab hæresi, aut mœchatos in adolescentia ne admittendos quidem sanxerunt; Episcopos deligi præsente plebe omni, cui præficiendi erant, & a finitimis provinciæ Episcopis ordinari, Cypriano teste *epist. 68.* juxta traditionem divinam & Apostolicam, religiosissime volunt; post ordinationem vero mœchatos Episcopos, presbyteros, aut diaconos a communione etiam arcent in fine vitæ: contra in depravata ea disciplina, quam nuper deflevimus, ea evenerunt, quæ Siricius, Concilii Toletani Patres, & Sanctus Innocentius integerrimi testes, reprehendunt. De baptismate etiam & Matrimonio quam diversa olim fuit disciplina! rigida illa, & diutina baptizandorum probatio, ac severa sponsalium custodia satis superque redarguunt vitia recentioris disciplinæ in utraque re. Supersedeo conferre simul omnia cætera, quippe quorum depravatum usum non vidimus. Conniventiam tamen Metropolitanorum Siricii verbis condemnatam non prætereo, *Metropolitanis*, inquit, *specialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus connivent, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt*: nec perinde improbatos sileo Episcopos, qui Metropoliticam dignitatem contemtui habentes, Ecclesiasticas omnes leges conculcabant, & ut ait Innocentius *Ecclesias scandalis miscebant*, ordinantes Episcopos sine Metropolitani scientia, *contra populi voluntatem*, & *disciplinæ rationem*. Ab ea siquidem Nicænorum Canonum inobservantia, ubi præsertim de Episcopis ordinandis res erat, mala omnia profluxere, quæ mores & disciplinam pessumdederant. At enim quid sperandum ab iis erat, qui etiam a minoribus Cleri gradibus exclusi, ordinati erant Episcopi? num dignitas ambitione, & malis artibus comparata novum hominem attulisset? Num contra Canones dignitatem adeptus, ne iidem violarentur fuisset sollicitus? Immo vero putidiora omnia, ac depravatiora iis, quæ evenerunt, expectanda ab illo fuerant; si modo poterat quicquam scelestius perpetrari.

Siric. Ep. 1. cap. 8.

Innoc. I. ep. 2. c. 2.

XVI. Canones Apostolor. & Decretales ante Siric. evidentius exploduntur.

Quæ quum ita sint: quæro nunc ab iis, qui Canonibus vulgo Apostolorum, & suppositis Romanorum Pontificum Decretalibus epistolis inhærentes, antiquiores quarto seculo Metropolitas esse contendunt; quare nec Metropolitæ agnoverint dignitatem suam, nec Episcopi eamdem vereri tot spatio annorum insueverint? Reponent ii scilicet, Nicænorum Canonum contemtores Episcopos ne

eam

eam quidem disciplinæ partem, quæ de Episcoporum diversitate erat, observasse; neque ampliorem autoritatem illam, qua Metropolitæ fuerant impertiti in Antiocheno Concilio, cognitam in Hispaniis esse; nam nec Siricius, nec Innocentius iis Episcopis exprobrant violationem aliorumCanonum præterquam Nicænorum. Quin etiam Toletani Patres de regulis ordinationum acturi, placere sibi ajunt primum omnium, ut serventur constituta Nicæna, quæ videlicet ordinari Episcopos vetant absque consensu Metropolitani. Præterea Innocentius Rufini, & Minicii audaciam, qui Episcopos ordinaverant inconsulto Metropolitano, non appellat Antiocheni Canonis (nempe noni) temeratores, sed Nicænorum, quarti videlicet, & sexti. Urgeo. Quid igitur nec duo illi Pontifices, nec Patres Toletani laudant Canones Apostolicos, utpote antiquiores Nicænis, tum de Metropolitica autoritate, tum de bigamia, & aliis ad ordinationem spectantibus? Quid non saltem decretalem epistolam Lucii Papæ ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ, aliamque Sixti II. in causa Basilidis & Martialis, quæ unoquoque verbo Apostolicorum Canonum autoritatem exaggerant? Eæ tamen epistolæ non faciebant minus ad rem confirmandam, quade agunt Siricius, & Innocentius, quam Decretalis Liberii de non iterando baptismate: nihilominus hanc initio epistolæ Siricius laudat: *Missa ad provincias a venerandæ memoriæ Prædecessore meo Liberio generalia decreta*: illarum nulla omnino mentione usquam occurrente. Quia nempe supposita ea farrago est, eique dumtaxat vindicandæ navant operam, qui veterem Ecclesiæ disciplinam nec norunt, nec nosse cupiunt. Neque enim refert, quod Ecclesia doctrinam ibi contentam sit amplexa utpote catholicam. Quod siquidem suppositos illos Canones spectat, negari non potest, primos quinquaginta, quos Ecclesia amplectitur, & Catholicam doctrinam præseferre, & multa etiam quæ majorem sapiunt antiquitatem, quam quæ passim collectioni tribuitur ab eruditis: verumtamen permixta iisdem esse, quæ totam miscerent veterem disciplinam, negabit omnino nemo. Perinde est de suppositis decretalibus; id enim fuit impostoris ingenium, ut quam fieri posset simpliciorem exprimeret priscam Ecclesiam centone illo sententiarum SS. Patrum, legum Civilium, aliorumque id genus, turpi quidem anachorismo, ut ait Card. Bona, qui tamen decepit multos; nec paucos plus æquo credulos in certamen id magnum conjecit, quod causam omnino falsam reddidit controversam. Equidem principium faciens huic operi a veterum Canonum codice præstantissimo, tum certissimam exhibui Regulam, qua Hispani Præsules inhæserunt; tum, luce clarius demonstravi, Canones vulgo Apostolorum, & Decreta-

DISSERT. II. CAP. III.

les Epistolas ante Siricium rem esse inauditam Hispaniæ veteri.

XVII. Citra eam suppositionem vera Hispaniensis disciplina.

Quamobrem falso utroque fundamento innixam disciplinam quarti seculi qui antea spectabat, nec Metropoliticam tantum prærogativam, sed & Exarchicam, seu Primatialem in Hispaniis mirabatur; nunc re cominus explorata certo sciat, quod ante barbaricam invasionem Ordo Episcoporum bifariam divisus in quinque provinciis Hispaniarum, singulos in unaquaque earum Metropolitas, ac plures paucioresve Episcopos iisdem subditos exhibebat; quod alia nulla in iis disciplina obtinebat, præter stabilitam in Nicæno Concilio, tametsi undique depravata: quod denique tam Metropoleon quam aliarum urbium Episcopi aut ab omnibus provinciæ Episcopis, aut saltem a tribus comprovincialibus ordinandi erant, nullo enim discrimine Nicæni Patres de omnibus decernunt: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia Episcopis, ordinari; si autem hoc sit difficile, aut propter urgentem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus omnino eumdem in locum convenientibus &c.* Quamquam procedente tempore id discriminis videmus servatum in Hispaniis, ut Metropolita ab omnibus comprovincialibus ordinaretur ipsa in Metropoli; dum cæteri Episcopi neque ab omnibus, neque loco certo ordinari jubebantur: *Secundum Synodalia, vel Decretalia constituta, cum omni clericorum, vel civium voluntate, ab universis comprovincialibus Episcopis, aut certe a tribus in Sacerdotium die dominica consecrabitur ..... autoritate vel præsentia ejus qui est in Metropoli constitutus, Episcopus autem comprovincialis ibi consecrandus est, ubi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem nonnisi in civitate Metropoli comprovincialibus ibidem convenientibus*. Data opera mutuatus hæc sum ex felicissimo illo seculo, quum studio & opera Præsulum doctrina & sanctitate præstantium, præsertim Leandri & Isidori, disciplina in Hispaniis maxime florebat; ut vel hinc lector intelligat, quam inanibus disputationibus tot volumina implerint assertores Primatialis in Hispaniis dignitatis; dum ne post Leandrum quidem & Isidorum discrimen esse ullum videt inter Metropolitas, quorum ordinatio Episcopis provinciæ committitur, juxta Romanorum Pontificum, & Conciliorum decreta, quæ toto in occidente prioribus seculis viguerunt; quoad Romanus Pontifex disciplinæ omnis parens, aut confirmator, novam induxit ad ambitionem Episcoporum reprimendam, ut suo loco ostendam. Ad quartum autem seculum quod attinet, rem extra omnem aleam constitutum iri confido, ubi quod tertium sum pollicitus, exposuero de Ecclesiarum Hispaniensium judiciis ob profligandos errores, continendosque cleri-

Conc. Nic. can. 4.

Conc. Tol. IV. can. 19. an. 633

clericos cujuscumque ordinis in officio, ut mox præstare aggrediar paucis iis, quæ suppetunt, documentis exploratis.

CAPUT IV.

De Judiciis Ecclesiæ Hispaniarum per seculum quartum.

I. Judiciorum Ecclesiast. cor. origo, & forma.

PROLUSERANT Ecclesiasticis judiciis Episcopi, dum ante tranquillitatem Ecclesiæ, Divina, & Apostolica traditione freti, congregabantur plures paucioresve, prout oportune potuit fieri, præsertim quum plebi alicui, seu populo fuit ordinandus, quandoque etiam dejiciendus Episcopus quæ duo, ut supra vidimus consuetudo erat fieri plebe præsente, ne probatorum morum testes, noxiorumque accusatores desiderarentur. Eorum autem formam Canonibus statutam non habemus ante Concilium Nicænum: cujus Patres decernunt, ut *Annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari* debeant, *ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones*: videlicet, num Clericus aut laicus quis ab aliquo Episcopo fuerit vitiose excommunicatus; unde evidens est illa Judicii forma, qua Causæ ab Episcopis singulis judicatæ, in Concilio discutiebantur, ac proinde a proprii sententia Episcopi ad comprovincialium Synodum appellatio erat. Quumque superius decrevissent, ut rerum omnium quæ in provincia gerebantur, sollicitudo esset apud Metropolitam: *Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo*: hinc est, quod Metropolitæ tum quia præsidebant Conciliis, tum quia confirmarent decreta omnia necesse erat, majorem sibi æstimationem, atque autoritatem collegerunt apud Fratres, tametsi Ordo Episcopalis unus idemque esset; ita enim e re adolescentis jam Ecclesiæ fuit, ut provinciæ singulæ suum caput agnoscerent, quo ex Episcopali, velut ex minori judicio, ad Metropoliticum, seu majus Tribunal confluerent. Quod sane appellationum genus nequicquam ante Concilium Nicænum quæritur; tunc siquidem si ulla inter Episcopos discretio erat, antiquiores eam Episcopi citra omnem prærogativam constituebant toto in Occidente. Vel Carthaginensis Africæ Antistes, inter Occidentales omnes maxime conspicuus, autoritate alios nullatenus anteibat. Hujus sedem proximus eorum temporum Augustinus cum Romana semel comparare ausus: *Duo*, inquiens, *erant eminentissimarum Ecclesiarum,*

Conc. Nic. can. 5.

Ibid. c. 4.

De Bapt. C. Petilian. cap. 13.

DISSERT. II. CAP. IV.

stiarum, Romanæ scilicet, & Carthaginensis Episcopi Stephanus, & Cyprianus: genus hoc laudis minus apte usurpatum alibi luculenter emendat: *Vereri*, ait, *debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nesciat, Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum?* Itaque ante Nicænum Concilium Episcopus quisque in sua Parœcia erat Judex; neque ab ejus sententia aut appellatio erat, aut nova cognitio, præter quam apud Romanum Pontificem, quo, ut suo loco diximus, undique confluebant, tanquam ad supremum Ecclesiæ judicem. In Concilio autem confirmata quidem est consuetudo vetus; ut nullus Episcopus ex alterius Episcopi jurisdictione laicos aut Clericos judicaret: *De his, qui communione privantur seu ex Clero, seu ex laico ordine ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut ii qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur*; verumtamen singulare id judicium cujusvis Episcopi Concilio provinciali subjicitur, ac Metropolitæ autoritas in omnem provinciam effunditur, medio inter Pontificium & Episcopale judicio constituto.

De Bapt. C. Donat. l. 2. c. 2.

Conc. Nic. can. 5.

II. Concil. Nicæn. nihil statuit de Episcopor. Judiciis.

Sublestæ fidei hominum machinamenta, ut arbitror, latent neminem. Romano ii scilicet Pontifici Primatum tantum honoris asserere, jurisdictionis Primatu avulso, velis remisque contendunt. Et quidem jure, licet callide: sistema enim novum, quod moliuntur erigere, haud hæreret, nisi firmissimo eo fundamento diruto, quo longa seculorum serie innititur priscum, quod omnes Catholici Romani venerantur ut fidei dogma; majorumque suorum vestigia legentes dogma novum duobus ad summum seculis non antiquius & rejiciunt, & Divi Petri Cathedræ adhærentes condemnant. Qua vero arte id moliuntur? Cypriani sententias aliquot interpretantur, quibus conciliant fidem veterum aliorum Patrum distortis, corruptisque opinionibus: inde ad Nicænum Canonem supra laudatum venientes conantur evincere quod de Episcoporum etiam Causis in unaquaque provincia finiendis decernitur. Hæc machinamenta homines doctissimi ad incitas reduxerunt; nec mei eget suffragii profligata quæstio. Quum tamen, Hispaniensium judiciorum prolata forma, infra ostensurus sim nonnihil evidentius hac super re; idcirco irridendi potius gratia, quam confutandi libidine confutata usque argumenta, unum & ego adducam, ex Divo Augustino contra autoritatem Cypriani, deinde Concilii, quam exprimunt, sententiam, esse falsam planum faciam. S. Cyprianum de baptismate hæreticorum rejiciendo disputantem cum Stephano, sibique plus æquo tribuentem, Christus Dominus, qui Sacræ Scripturæ interpretem infallibilem unum in terris constituit Romanum Pontificem, permisit decipi, atque erro-

errorem ſequi. Quare Auguſtinus Sancti viri memoriam vindicat: *Correxiſſe*, ajens, *iſtam ſententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt*. Doctrinam vero ejus revocandam docet ad S. Scripturæ normam. *Nos enim*, inquit, *nullam Cypriano facimus injuriam, quum ejus quaslibet literas a Canonica Divinarum Scripturarum autoritate diſtinguimus.... Hujus epiſtolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, ſed eas ex Canonicis conſidero; & quod in eis divinarum Scripturarum autoritati congruit, cum laude ejus accipio quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo*. Itaque tanti Doctoris monitu argumenta omnia, quæ Novatores ex Cypriano in rem ſuam trahunt, ad Sacræ Scripturæ trutinam revocari oportet, cujus infallibili autoritate ſuprema Romani Pontificis poteſtas in univerſam Eccleſiam inhæret. Ad Nicænum vero Concilium quod attinet, nequicquam ſe torquent novatores, ut cauſas Epiſcoporum in Canonem quintum ingerant, ſententiam certam dolo malo unius commatis tranſpoſitione depravantes, quaſi Canon habeat *qui abjiciuntur ab aliis*, non vero *qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur*: ut ſententiam Synodi provincialis in Epiſcopum inde exprimant. Quandoquidem quod Nicæni Patres de unoquoque Epiſcopo decernunt in genere, idem Illiberitani de ſingulis decreverant: *Ab eo Epiſcopo quis recipiat communionem, a quo abſtentus... Si aliquis Epiſcopus præſumpſerit eum admittere &c.* Canoniſque hujus exemplum eſt tum Nicænus laudatus, tum Sardicenſis XVI. quippe Oſius Præſes utrumque in Concilium eum tranſtulit. Quamobrem in Nicæno Concilio nullatenus de cauſis Epiſcoporum actum fuit; nulla enim occaſio de iis agendi ſe obtulerat.

DISSERT. II. CAP. IV. *S. Aug. ep. 48. ad Vincent.* *Contr. Creſcon. lib. 2. cap. 31. & 32.* *Conc. Illib. c. 53*

III. Poſt Concil. Nicænum natæ cauſæ de iis decernendi in Concilio.

Prædicandam novatorum audaciam! Synodum autoritate parem quatuor Evangeliis (talem quippe honorem ab Apoſtolica Sede adepta ſunt quatuor prima Concilia Œcumenica) doli ſui appellant teſtem! Eos tamen decuit animadvertere, quod juriſdictionem Petro ejuſque ſucceſſoribus in univerſam Eccleſiam Divino ore conceſſam & Patres alii conſtanter faſſi erant, & Cyprianus, ardentiori licet ſtudio impulſus, quum Pontificem admonuit, ne appellationem ex Africa acciperet, doli nimirum & audaciæ plenam, non obſcure teſtatus fuerat. Huc accedit, quod, ut Præſidem Concilii Oſium appellationes aliunde ad S. Sedem præteriiſſent, Baſilidis certe appellatio ex Hiſpania eum latere non poterat. Id vero erat ſatis, ut tanti momenti rem in conjectura poſitam

tam

DISSERT. II. CAP. IV.

tam non relinquerent Nicæni Patres. Quid autem verbis immoror? De judiciis Episcoporum nec obscure, nec gravibus non præcedentibus causis definitum in Concilio est. Concilium autem istud non fuit Nicænum, sed Sardicense. Remque hanc palam faciam, ubi causas cur ita decerneretur, expedivero. S. Athanasius Patriarcha Alexandrinus, Arianorum insectatione celebris, cujus acta omnia enarrare, ut ait ejus Encomiastes Gregorius Nazianzenus, historiæ justæ opus foret, haud ita multo post suum reditum Alexandriam jussu Romani Pontificis Julii, qui depositionem ejus injustam agnoverat, novo Eusebianorum molimine lacessitus, dicturus causam suam, Romam venit a. 340. eodem anno Nicenæ fidei hostes in concilio Antiocheno gratia utentes Constantii, utut minores numero, quam Catholici, qui facinus detestabantur, Athanasio deposito, Gregorium Cappadocem in Sedem Alexandrinam intrudunt. Deinde audaciam audacia cumulantes, hoc decretum inter insolentissima cætera effutiunt: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum provinciæ manere sententiam.* Prætereo aliorum Episcoporum ob Nicænæ Fidei defensionem calamitates, atque Arianorum extrema facinora, ut iniquam causam per omne nefas assererent. Satis enim mihi est originem, & causas patefecisse, cur paulo post in Sardicensi Concilio (in quo & depositus invasor ille Cappadox Alexandrinæ Sedis) statutum est de appellationibus ad Romanum Pontificem, & de supremo hujus judicio in causis præsertim Episcoporum: quæ quidem res antea non erat facta, quia hæreticorum audacia & temeritas nunquam præbuerat occasionem decernendi in Concilio, concordiæ gratia, quod Divina institutione, atque Apostolica traditione firmum & stabile esse decuit. Canones vero Sardicenses ad verbum hîc recitare juvat, antequam progrediar ad eorumdem judiciorum examen.

Conc. Antioch. c. 15.

IV. De iisdem primum decernitur in Concil. Sardic. c. 3. 4. 5. al. 7.

Si aliquis Episcopus, ait Osius Concilii Præses, *judicatus fuerit in alia causa, & putet se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo; & si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt; quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet. Synodus respondit: Placet. Gaudentius Episcopus: Addendum, si placet huic sententiæ, quam plenam Sanctitate protulisti, ut quum aliquis Episcopus*

ſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit, agendum ſibi negotium in urbe Roma; alter Epiſcopus in ejus cathedra, poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata. Oſius Epiſcopus dixit: Placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit, ſe audiri, ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum ut e latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreverit, mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus autoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit, Epiſcopos ſufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit. Supremam Romani Pontificis autoritatem in univerſæ Eccleſiæ Epiſcopos vides in Concilio declaratam occaſione depoſitionis unius ex Patriarchis majoribus, quos cæteroqui compertum eſt magnæ autoritatis fuiſſe, quippe earum ſedium Epiſcopos, quas ipſe Princeps Apoſtolorum præcipuas eſſe voluerat ipſa in earum inſtitutione; qua etiam de cauſa, ut multi numerentur Epiſcopi ab Arianis depoſiti, ego tamen nolui recenſere alios præter Athanaſium, qui temeritatem novatorum luculentius proferat. Equidem ſtatueram apud meum animum, ut tam multis horum fallaciis nullatenus immiſcerer, quibus dicunt diem noctem, lucem tenebras; ab inſtituto enim plus æquo vagari me oporteret, ſi ſecus facerem. Unam tamen Dupinii fallaciam inſignem præterire non poſſum, ut hominis ingenium patefaciam. Ne candidatos quidem Eccleſiæ rerum latet, quod in Concilio Sardicenſi Pontificia autoritas divino nitens jure, declarata tantum eſt, ſervandæ unitatis cauſa, per Epiſcoporum concordiam: nihilominus Dupinio libuit excogitare jus novum, quod Sardicenſes conceſſerint Romano Pontifici. Nititur præſertim iis verbis: ***Si vobis placet S. Petri memoriam honoremus***: Seque ignorare ſimulans phraſim illam Conciliorum ſolennem etiam in rebus Fidei (***Si vobis placet***) ad eliciendum conſenſum unanimem; arbitrium Concilii pronunciat: deinde ex Oſii Præſidis rogatione officii plena, ut jura S. Sedis aſſererentur, hanc ſententiam educit: *Non*

De ant. diſc. diſſ. 2. c. 1. §. 3.

DISSERT. II. CAP. IV.

Non dicit Osius jus romanæ Sedis conservemus, sed tantum, Petri memoriam honoremus; idest hunc honorem, si vobis videatur, Romano Pontifici deferamus.

V. In quo Concilio non statuitur novum jus, sed declaratur antiq.

Jul. Pp. Ep. 1.

Grammaticum porro insignem! Novum igitur deferri honorem Romano Pontifici ab Episcopis, quorum caput, seu Princeps a Christo Domino est institutus? Divina igitur Sapientia sapientiores homines regendæ Ecclesiæ consilium magis sapiens excogitare? Novam, inauditam, erroneam, blasphemam sententiam. *An ignoratis* (exclamat Julius contra Eusebianos quinque ante id concilium annis) *hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc quod justum est, decernatur? Sane siqua hujusmodi suspicio in illius urbis Episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum fuit.* Rem deplorandam! Hanc ille epistolam vidit. Quid vero? Periculum evasurus, verba illa: *hinc quod justum est*: glossemate isto puerili detorquet: *hinc, hoc est, deinceps, dehinc.* Itane vero? Perspicacior tandem Socrate & Sozomeno testantibus, Julium reprehendisse Orientales absque Romano Pontifice ausos novi aliquid decernere, Dupinius post tantam seculorum seriem fit vetustatis interpres? Antiquæ se disciplinæ Scriptorem venditat depravator iste atque corruptor veterum documentorum, ut rerum sistemati prorsus novo ab aliquibus ante eum excogitato hisce ineptissimis gramatistæ imperiti commentariis æstimationem, & autoritatem colligat, sicque clanculum vim faciat insciis Pontificiæ historiæ, ut Capiti Ecclesiæ adversari sensim insuescant, &, ut paucis multa complectar, Ecclesiæ unitatem scindat, Catholicæ fidei veritatem eliminet? Verum & Dupinius, & novatores omnes aquam tundunt. Romanus Pontifex Deo, non hominibus potestatem in universam Ecclesiam acceptam refert: Concilia a Romano Pontifice, non hic a Conciliis autoritatem accepere: Iisdem nisi Pontificia accedat autoritas, haud tribuitur venerabile conciliorum nomen, sed conciliabula, sed latrocinia nuncupantur. Prima quatuor generalia ut quatuor Evangelia veneratur Ecclesia: tantam vero dignitatem est iis elargitus Gregorius. Vel nationalia plura, ac provincialia Ecclesiasticæ legis vim sunt adepta; sed tanta iis dignitas a Pontifice Romano accessit, qui sancte in iisdem instituta ad universam suis decretis Ecclesiam extendit. Quidquid de Concilii necessitate autumant autoritate Chrysostomi ajentis, Petrum nil sine Concilio deliberare consuevisse; electionem Apostoli in locum Judæ proditoris; Diaconorum institutionem; de legalium observatione decernendum aliquid, omnia hæc in Concilio Fratrum fuisse proposita, nihil promovet pro Concilii Generalis necessitate asserenda. Ab instituta siquidem Ecclesia ad nostram usque

usque ætatem nil momenti alicujus definierunt Romani Pontifices, quod in Cleri Romani Senatu Episcopis, presbyteris, diaconis conspicuo (quem hodie majestatis & dignitatis plenum constituunt Emm. S. R. E. Cardinales, dicebantque majores Confessum presbyterii, deinde compresbyterium, postremo, ut hodie audit, Consistorium) antea mature examinandum non proposuerint. *Directa*, ait Siricius Himerio, *ad decessorem nostrum s. rec. Damasum Fr. tuæ relatio me jam in sede ipsius constitutum invenit: quam quum in conventu Fratrum sollicitius legeremus &c.* Et Innocentius testatur Toletanæ Synodo, quod omnia in eodem Consistorio sunt peracta: *Quæ omnia*, inquiens, *in confessu presbyterii actorum confectione retinentur, & possunt vobis lectione monstrari*. Quod sane exemplum Romanæ Ecclesiæ cæterarum omnium parentis, & Magistræ, alias quoque, præsertim insigniores, imitatas esse compertum est. Verum perpetua hæc, & laudabilis Romanæ Ecclesiæ consuetudo ad Concilii necessitatem evincendam perperam usurpatur.

VI. Rom. enim Pontifex præest, non subest Concilio.

Profecto si dogma istud certissimum stabiliatur, quod Romani Pontificis definitio de fide ac moribus infallibilis est, Deo ipso teste, qui ita suo in terris Vicario est pollicitus, atque experientia magistra, quippe septemdecim seculis portæ inferi non prævaluerunt adversus Cathedram istam, super Petrum fundatæ Ecclesiæ centrum, seu caput; tametsi aliæ omnes maxime insignes Cathedræ Magistræ erroris evaserint; si hoc inquam dogma certissimum stabiliatur, evidens erit discrimen inter Pontificem, & Concilium: etenim absque Pontifice, Fidei, ac morum controversiæ sine ullo erroris periculo non possent dirimi; at sine Concilio per Pontificem sunt diremtæ ante Concilium Nicænum, quo spatio temporis constantiores in fide, magisque errorum osores fideles difficile inveniuntur; & post Nicæni Concilii ævum frequentius reperire est damnatas hæreses, ac stabilita dogmata per Romanos Pontifices absque Concilio generali (de quo quæstio est) quam cum Concilio. Quamobrem Pontificia autoritas in Ecclesia est necessaria; Conciliorum vero utilis, non necessaria: namque Annalium monumenta docent, ad infringendam hæreticorum pertinaciam, quorum errores damnati plerumque erant a Pontifice, Pontificem ipsum Concilia fieri vehementer optasse. Eadem vero docere non possunt quod Pontificia meliorem, aut firmiorem doctrinam Concilia ulla præfetulerint. Etenim, præterquamquod sine Romani Pontificis autoritate Concilium autoritatis omnis est expers, Romani Pontifices optarunt Concilia fieri, ut collatis Episcoporum universi orbis sententiis, omniumque Ecclesiarum traditionibus, si perspicui-

To.I. V tatis

tatis quicquam ipsis Fidei dogmatibus addi posse deprehendissent, ut unanimis ubique, atque concors acceptio esset, adjungeretur; & insuper ut majori cum majestate, ac solennitate in generali Concilio, præsidente per se, aut per legatos Romano Pontifice, cunctisque undique Episcopis congregatis, & hæreses, & earum parentes damnarentur. Cæterum quales se debeant gerere in Concilio Patres circa definitiones Fidei satis aperte docent Pontificiæ ad eosdem literæ, quarum omnium instar sint S. Leonis singulæ ad Patres Concilii Chalcedonensis: *Nunc in Vicariis meis adsum*, inquit, *& jamdudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum; ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde, Fratres carissimi rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi, quum secundum Evangelicas autoritates, secundum Propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissime & lucidissime per literas, quas ad be. me. Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento incarnationis Domini N. J. C. pia & sincera confessio*. Hinc liquet, Concilia non judicium ferre de Pontificiis definitionibus juberi, sed easdem accipere. Quam rem cupienti testimoniis innumeris magis ac magis confirmare, apud Theologos Catholicos Romanos ea suppetent per otium relegenda. Inde autem palam fiet audacissima Dupinii, aliorumque interpretatio verborum Osii, ut effutiant, jus novum Romano Pontifici accessisse a Concilio Sardicensi, idest a potestate eidem subdita.

VII. Quod Novatores negare nituntur callide magis, quam solide.

A Theologis Catholicis Romanis petenda exempla dixi; nam Theologi alii sunt, qui planissima omnia veterum testimonia aut silent, aut mutilant, aut depravant, aut detorquent. Et est mirum quam ingeniose sibi gehennam ædificent. Equidem prohibeor alienum ab instituto negotium suscipere, quod esset singillatim artificia omnia evolvere; commonere autem lectorem breviter cupio. Nihil in oculos eorum incurrit supremam S. Sedis autoritatem luculenter declarans, quod commentariis non onerent, ut sententiam inde aliam, velimus nolimus, exprimant. Nil contra offendunt aut a Pontificibus usurpatum moderationis, humilitatis, ædificationis gratia, aut a Majoribus prolatum pro rerum, temporis, locive conditione, supremam hanc autoritatem aut occultans, aut minuens, quod continuo avideque non arripiant purum putum, nobisque ita nudum ac simplex non objiciant. Secundi hujus generis sunt quæ de se, suisque Prædecessoribus Gregorius, ad retundendam Cp. Patriarchæ ambitionem dixit: *Absit a cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sa-*

Lib. 4. Ind. 13. ep. 32. 36.

Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Et: *Nullus unquam Decessorum meorum tam profano vocabulo uti consensit: quia videlicet si unus Patriarcha, universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Verum qui his adoriuntur S. Sedem in priori ex laudatis Epistolis potuissent legere quæ, (summæ licet humilitatis, ac moderationis) Pontifex affirmat: *Certe*, inquiens, *pro beati Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomen assumsit.* Idem hoc scilicet sibi voluit Sardicense Concilium, quum asserendi causa antiqua jura Romani Pontificis: *S. Petri*, inquit, *memoriam honoremus ut scribatur Julio Romano Episcopo.* Quod omnino fuisse ingenium magnorum antiqui ævi Pontificum, multo etiam ante Gregorium testatur Leo Magnus perspicuis hisce verbis: *Ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Et hisce etiam temporibus, quæ percurrimus Siricius in sua Epistola ad Himerium Tarraconensem: *Portamus*, inquit, *onera omnium, qui gravantur. Quinimmo hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes.* Quin etiam genus istud maximæ humilitatis, ut Pontifices in D. Petrum rejicerent, quicquid honoris undique ipsis tribuebatur, eo usque pervenit, ut per octavum seculum iisdem arriserit Petri Vicarios se appellari. Cujus rei monumentum nobis servat Liber diurnus Pontificum in Professione Episcopi. Et Gallicani Episcopi cum Bonifacio Moguntino per eadem tempora congregati tum præclaram hujus rei confessionem, tum illustre supremæ potestatis Romani Pontificis testimonium suppeditant. *Decrevimus*, verba sunt ipsius Bonifacii, *in nostro Synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ nostræ velle servare; S. Petro, & Vicario ejus velle subjici &c.* Quæ omnia Dupinius, ejusque similes non ignorant, sed novo cum ipsorum sistemate pugnantia, silentio prætereunt, quidquid primo adspectu ab eodem non abludit, nulla personæ, loci, aut temporis ratione habita, usurpantes, viresque omnes ac nervos intendentes, ut Romanum Pontificem subjiciant Concilio, caput nimirum membris, subjectis Principem.

DISSERT. II. CAP. IV.

Serm. 2. in anniv.

Cod. Bonif. ep. 105.

VIII. Judicia Eccles. Hispan. ac primum minorum causarum.

Hanc vero novatorum calliditatem, quam meo licet instituto prohibear refellere, tamen non potui, quin indicarem, nil melius deludit, quam consuetudo Ecclesiarum veterum, unde iis argumenta

DISSERT. II. CAP. IV.

gumenta videntur suppetere ad injiciendum nobis pulverem. Quamobrem ad judicia Ecclesiastica, unde sum digressus, revertor, quorum originem & formam jam tenemus. Status Judiciorum Ecclesiæ per quartum seculum, ut constat e supradictis, est hujusmodi: Excommunicati Clerici, qui ante Concilium Nicænum a proprii Episcopi judicio unicum habebant confugium ad Romanum Pontificem, quia Episcopus nullus toto occidente autoritate aliis præibat, Nicæni ejusdem Concilii decreto constitutis in unaquaque provincia Metropolitis, post id temporis in singulis provinciis Tribunal superius, seu judicium Episcopali majus habuerunt, Concilium provinciale; quod Metropolita quisque cum suis Comprovincialibus celebrare a Nicænis Patribus jussus erat, cognoscendi gratia minores istas causas. Longe secus se res habet in majoribus Episcoporum causis, ut paulo infra palam faciam. Spectandum modo, utrum constet de minoribus judiciis apud Hispanos. De quarti seculi disciplina agens dixi, eam minime obtinuisse juxta Nicænos Canones. Idemque ut de judiciis affirmem faciunt duo illa quæ extant Concilia Cæsaraugustanum anno 380. celebratum, & Toletanum 400. In eo siquidem decernitur: *Ut hi qui per disciplinam, aut sententiam Episcopi ab Ecclesia fuerint separati, ab aliis Episcopis non sint recipiendi*. Et in Toletano: *Presbyter, vel Diaconus vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus si &c. Clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluerit promereri*. Et: *Siquis laicus abstinetur .... similiter & Clericus, si abstinetur, a Clericis devitetur. Sed hoc pertineat ad eos Clericos, qui ejus sunt Episcopi, & ad omnes, qui commoniti fuerint de eo qui abstinetur, sive Laico, sive Clerico*. Unde non obscure discimus, ad finem usque illius seculi viguisse id singulare judiciorum genus; pro quo Cyprianus pugnavit, quodque in Nicæno Concilio non erat antiquatum, tametsi adjectum illi erat synodale ad cognoscendum nimirum in causis Clericorum vel Laicorum, an justa judicia essent, necne. Si enim iniqua fuerant judicia: *Pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio*: tunc provincialis Synodi autoritas singulari Episcopi sententiæ præferenda erat. Sin æquum judicium fuerat, pari Episcopus, ac Synodus potestate pollebant in ea causa: *Et sic*, prosequitur Nicænus Canon, *qui suo peccaverint evidenter Episcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur; usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam*. Quare Hispaniarum Episcopi, qui Nicænos Canones non ignorabant, quamquam corruptæ causa disciplinæ non observabant, ubi de causis minoribus juxta

Conc. Cæsar. c. 5.
Conc. Tol. c. 5. & 15.
Conc. Nic. cap. 5.

juxta priſcum morem decreverunt, Nicænis haud Canonibus contrarium quicquam ſunt moliti; immo potius ipſo in Concilii limine profeſſi, velle ſe Nicænos ſervare Canones in ordinatione Clericorum, iiſdem adhærent in horum depoſitione & reconciliatione, quatenus ſingulare cujuſvis Epiſcopi judicium non abrogabatur.

DISSERT. II. CAP. IV.

Conc. Tol. 1. præf.

IX.

Quæ per quartum ſec. perſeverarunt priſco more. Secus eſt de majoribus cauſis.

Nemo, arbitror, mirabitur, Hiſpanienſes Epiſcopos, quorum aliqui interfuerant tum Nicæno, tum Sardicenſi Concilio, ac præ aliis Cordubenſis Oſius, qui utrique præſederat, tanquam legatus Romani Pontificis, ſemel, iterum, & tertio priſcam in ſuis Conciliis judiciorum formam aſſeruiſſe, nulla Nicæni Canonis mentione facta: modo memoria reputet, quæ de diſciplina eorum corrupta dicta ſunt ſuperiori capite. Maximam potius in admirationem conjicietur, quod contendat Dupinius, decretum in Nicæno Concilio eſſe de cauſis majoribus, nec tamen ipſe, & qui eum præiverunt, quique ſequuti ſunt, id probare ſint auſi, quod eſt ſe aperte mendaces, ac ſycophantas declaraſſe. Sardicenſe vero, in quo definitum haud dubie eſt de cauſis Epiſcoporum, libere affirmet Dupinius, in Oriente nunquam, ſero in Occidente obtinuiſſe; quin etiam Afros adverſus hanc diſciplinam reclamaſſe; idem & Gallos præſtitiſſe; ipſoſque Italos minime eorum canonum autoritatem admiſiſſe. Qua quidem in re benigne cum Hiſpanis agit, ultro ab iiſdem declinans, nimis quippe aperta eſt ſumma eorum in definita per id Concilium obſervantia, ut mox oſtendam. At enimvero ad Orientales quod attinet, quis non miretur, Catholicum ſua tueri argumenta, hæreticorum infaniſſimis molitionibus, qui Philippopoli congregati, ſuo conciliabulo fecerunt nomen *Sardicenſis concilii*? Noſſe eum tamen oportuit, quod ab Romanis Pontificibus Sardicenſes Canones Nicænorum nomine, diſcriminis gratia, ſunt appellati, quemadmodum conſtat ex Epiſtola Innocentii ad Victricium (ut ex Galliis Epiſcopum objiciam Dupinio) ***Si autem***, ajentis, ***majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur***; quæ Synodus quum ſit Sardicenſis, pro Nicæna laudatur a Pontifice; necnon ex diuturna illa Africanorum concertatione per quintum ſeculum, averſantium appellationes, quoad Nicæni Canones afferrentur, quorum inſtar laudari a legatis Romanis Sardicenſes, ignorabant. Cæterum & in Oriente, & in Occidente Sardicenſem hanc diſciplinam apud Epiſcopos Catholicos continuo viguiſſe jam uberrime demonſtrarunt eruditi, ac præ iis Natalis Alexander, nec movenda iterum quæſtio inutilis mihi eſt. Fraudem tamen hominis hic velim præcipi mente, dum Arelatenſium cum Viennenſibus

Diſſ. 2. c. 1. §. 3.

Secul. IV. diſſ. 18.

Dissert. II. Cap. IV.

sibus dissidio de sedium prærogativa utitur, ad removendos Gallos ab obsequio in supremam Romani Pontificis potestatem; nam ipsa hæc dissidii tempora nobis infra suppeditabunt argumenta certa venerationis eorum summæ erga D. Petri successorum decreta. Arelatenses scilicet sibi prærogativam vindicabant, quod S. Trophimus ab Apostolica Sede omnium Episcoporum primus illuc missus erat; Patroclo id privilegium concedit Zosimus anno 417. ejusque successoribus sibi idem vindicantibus modo conceditur, modo eripitur per S. Sedem; provinciarum ei subditarum Episcopi a Pontificibus semel moniti, ne transversum quidem unguem, ut dicitur, a summa S. Sedis autoritate discedunt. Nihilominus unde luculentissima suppetunt Gallicanæ venerationis erga Romanum Pontificem argumenta, inde Dupinius elicit adversus Canones Sardicenses, in quibus contra Arianos declaratur Ecclesiæ Capitis potestas suprema in omnes Episcopos, sua deliria. Ad Hispanos redeo, quorum judicia non abludentia ab Sardicensibus Canonibus, perperam Dupinium ab Occidente eos amovere, planissime ostendent.

X. Causæ majores in Hispaniis juxta Canones Sardicenses referuntur Romam.

De Himerio Tarraconensi Episcopo, ad Damasum datis literis, depravatæ disciplinæ remedium afferri per S. Sedem flagitante jam diximus suo loco. Probatque id perpetuum Hispanorum obsequium erga D. Petri successores, non Sardicensium Canonum apud eosdem autoritatem. Quamobrem ad Toletanum Concilium venire oportet, & ad Innocentii Decretalem Epistolam ad Concilii ejusdem Patres, sive, ut passim legit Codex veterum Canonum: *ad universos in Tholosa*, & ut restituit Sirmondus: *Universis Episcopis in Toletana Synodo constitutis*: quade egimus superiori capite. Ad Concilium quod attinet, si Canones ejusdem spectentur nihil iidem rei habent cum judiciis majorum causarum delatis Romam: secus est si definitivam sententiam ex Concilii Actis quæ minime ad nos venerunt, deductam spectemus: *Paternum*, inquiunt, *licet pro Catholica Fidei veritate, & publicatæ hæresis errore libenter amplexi, Ecclesiam in qua Episcopus fuerat constitutus, tenere permisimus; recepturi etiam in nostram communionem, quum Sedes Apostolica rescripserit*. Et infra: *Constituimus autem, priusquam illis per Papam, vel per S. Simplicianum communio reddatur, non Episcopos, non Presbyteros, non Diaconos ab illis ordinandos*. Cuinam hinc fulgere non videatur suprema Romani Pontificis autoritas in universam Ecclesiam, quam Divino nitentem jure, sed ab Eusebianis temere labefactatam, declarari oportuit ab Episcopis in Sardicensi generali Synodo congregatis, quos inter ex Hispaniis sex numerabantur cum Cordubensi Osio Pon-

Conc. Tol. 1. sent. defin.

Pontificis legato? Neque enim necesse est, ut supremam hanc potestatem in Ecclesiasticis judiciis ad appellationes dumtaxat referamus, ut iidem Patres Sardicenses nos docent: *Hoc enim*, ajentes, *optimum, & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes*. Certe hanc judicii dilationem, quoad rescribat Apostolica Sedes; suspensionemque hanc ab officio Episcopali, donec Romanus Pontifex sua accedat autoritate, siquis conferat cum iis, quæ moliti erant Eusebiani adversus Apostolicam Sedem, ut nempe judicia in provinciis finirentur, atque jure optimo erant compressa in Sardicensi Concilio, ad vindicandam supremam Romani Pontificis autoritatem, haud dubie conjiciet, quod Hispaniarum Episcopi Sardicensium decreta, in suis definitionibus respexerunt. Nisi forte affirmare eidem lubeat, quod in Hispaniis, utquumque corrupta ibi esset disciplina, Synodales declarationes non erant opus: quippe quarum Episcopi supremum controversiarum omnium Fidei & disciplinæ judicem semper agnoverunt Romanum Pontificem, ut ex Siricii epistola ad Himerii Metropolitæ Tarraconensis relationem, & quibusquumque ex documentis extantibus luculenter constat.

DISSERT. II. CAP. IV.

Ex Synod. ad Jul. Pp.

XI. Argumenta id docentia purgantur ab objectis.

Bellum scio ingens motum iri ab eruditis adversus hanc definitivam sententiam, unde nostra ducimus argumenta. Alii siquidem objicient Codicis Africani canonem 65. quo constat, Afros perinde ac Hispanos, non multa temporis intercapedine, statuisse, non minus ad Anastasium Romanum Pontificem, quam ad Venerium Mediolanensem scribi oportere de infantibus per Donatistas baptizatis, an recipi deberent in Clerum, & de Clericis item baptizatis a Donatistis, an transire volentes ad Catholicam unitatem recipere in suis honoribus licitum esset, *quia*, ajentes, *ex his sedibus hoc fuerat probibitum*. Affirmabuntque, non secus Hispanos Præsulum Romæ, & Mediolani communionem expectandam decrevisse, quia ex iis sedibus quoddam judicii genus præcesserat, quatenus Siricius, & Ambrosius quasdam pacis conditiones iis per literas præscripserant. Alii vero objicient, quod exemplaria illa professionum, ac definitivæ sententiæ aut supposita sunt, aut fœde interpolata; quum præsertim in codd. mss. melioris notæ desiderentur. Quamobrem reponendum mihi erit utrisque aliquid majori, quam fieri possit, brevitate. Comparationem sane illam causæ Afrorum cum Hispanorum causa omnino alienam a proposito, omnino dissimilem, atque intempestivam esse non dixerim; latere enim credo neminem, quod consuetudo Ecclesiæ fuit non Africanæ tantum, aut Hispanæ, sed Occidentalis omnis, & Orientalium

Petr. Constant. in ep. 2. Innoc.

Quesnel. in ep. 15. S. Leon. N. Alex. sec. 4. c. 3. art. 19. A. Pag. an. 405.

lium quoque Præsulum Catholicorum, Romano Pontifici ut Ecclesiæ capiti, & Apostolica in sede constituto scribere, & non semel Mediolanensi Episcopo, tanquam Metropolitæ Italiæ; quorum uterque hic consilium dando, ille definiendo consueverunt rescribere: *In nostræ sanctitatis consortium*, ait Concilium Taurinense an. 397. celebratum, *suscipiatur, juxta literas ven. mem. Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum latas*. Idque ante aliam institutam in Italia metropolim solenne fuit; tunc enim duo hi Metropolitæ tota Italia erant, Romanus, cui decem provinciæ parebant, Mediolanensis, cui septem, ut compertum est omnibus, atque exploratum. Hinc est, quod aut Mediolanensis Metropolita cum suis ex Italia Episcopis ad Romana Concilia convolans, aut Romani Pontificis sententiæ adhærendo, ipsa in Italia Concilium habens, damnationi hæresum, decretisve de disciplina suam confirmationem adjungeret; non raro annalium monumenta exhibent consultationes Episcoporum ad Romanum Pontificem, & ad Mediolanensem Episcopum quos fide, doctrina, & ardore in religionem conjunctissimos esse norant; tametsi a Mediolanensi nec quæsierint, nec acceperint Decretalem ullam epistolam, quippe quem nulla autoritate sibi præeminere intelligebant. Et hac quidem ex parte objectio, quæ nobis fit, cum Afris Hispanos comparando non levi nititur fundamento; verum definitiva eadem sententia nuper laudata rem primo adspectu subobscuram, luce ipsa clariorem efficiet: *Reliqui*, ajunt Toletani Patres, *qui ex provincia Gallicia ad Concilium convenerant, & in Symphosii semper communione duraverant, accepta forma a Concilio missa si subscripserint, etiam ipsi in cælestis pacis contemplatione consistant, expectantes pari exemplo, quid Papa, qui nunc est, quid S. Simplicianus Mediolanensis Episcopus, reliquique Ecclesiarum rescribant sacerdotes*.

Sent. Def. ubi sup.

XII. Secernendo autoritatem Romani Pontificis ab Episcoporum consilio, & doctrina.

Qui igitur dixerant, se non recepturos in communionem Paternum Bracarensem Episcopum, utpote ordinatum contra Romani Pontificis decretum, nisi Apostolicæ Sedis autoritas accederet; in reliquis Episcoporum Gallæciæ causis & Romani Pontificis, & Mediolanensis, & aliarum Ecclesiarum Episcoporum rescripta expectanda esse decernunt. Quæ res, neque ego fallor, autoritatem S. Sedis ab Episcoporum doctrina, & consilio non obscure secernunt. Aliquanto etiam minus obscurum aliquid lucis ex cimmeriis definitivæ hujus sententiæ tenebris sub ipsa initia eruitur. Ajunt Patres, se post Cæsaraugustanum Concilium, anno nimirum 380. celebratum, literas a S. Ambrosio accepisse, in quibus continebantur conditiones a Priscillianistis implendæ ut in communionem

nionem possent recipi; eas vero conditiones non fuisse alias docent, quam quas Siricius decreverat: itaut Ambrosius Pontificiæ autoritatis consulendo, & docendo fategerit. Verba Patrum sunt: *Ut si condemnassent quæ perperam egerant, & implessent conditiones, quas præscriptas literæ continebant, reverterentur ad pacem (adde quæ sanctæ mem. Siricius Papa suasisset) .... & audissemus, cur non implessent conditiones, quas sibi ipsi S. Ambrosio præsente, & audiente posuissent .... ordinaret Dictinium Episcopum, quem S. Ambrosius decrevisset, bonæ pacis locum tenere presbyterii, non accipere honoris augmentum.* Hinc liquet, S. Ambrosium non solum per literas præscripsisse conditiones Priscillianistis, verum etiam auribus suis abjurantes illos audivisse, ac negotium istud transegisse. Quid vero? Num propria id autoritate Ambrosius præstitit? Adeamus laudatam Siricii Epistolam, ut rei veritatem assequamur: *His*, inquit, *hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quandiu vixerint officio perseverent.* Hinc est, quod recte Card. Baronius: *In causa Joviniani, & Priscillianistarum aliorumque hæreticorum, Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi Ambrosius, & Simplicianus, mandato Pontificis, Pontificia vice & legatione fungebantur. Unde accidit, quod Hispaniarum Episcopi hic profiteantur, se lapsis pœnitentibus ad Ecclesias suas revocatis non communicaturos, nisi id Romanus Pontifex, vel S. Simplicianus Mediolanensis Episcopus rescriberent.* Quod quidem doctissimus Cardinalis affirmat, quatenus autoritatis quicquam in Ambrosio emicat; quum cæteroqui, si hæretici excipiantur, omnino nemini in mentem unquam venerit Metropolitæ ullius in alienas provincias jurisdictionem extendere; & supra perspectum habuerimus, Cyprianum ipsum, ubi de Marciano Arelatensi abstinendo res fuit, non esse ausum interponere autoritatem suam, sed Romano Pontifici persuasisse, ut sua ipse, qua pollebat in universam Ecclesiam potestate, id præstaret. Quamobrem statui hoc oportet, quod Hispani Episcopi ab una Apostolica Sede autoritatem quærunt; a Mediolanensi vero, aliisque, consilium, doctrinam, consensum cum S. Sede præstolantur. Ac proinde ab Apostolica dumtaxat sede causam Paterni definiendam ajunt; nam contra Siricii decretum ordinatus erat: ad cæteros vero quod spectat Episcopos, quorum judicii prioris compos fuerat Mediolanensis, necnon Turonensis, & siqui alii Episcopi, præter Pontificiam autoritatem, cæterorum quoque Præsulum consensum exspectandum decernunt.

Siric. Ep. 1. cap. 7.

Baron. an. 405.

XIII. Et asserendo vetera docu-

Objicientibus vero aliis, quod tum professiones Episcoporum abjurantium hæresim, tum definitiva sententia aut falsa sunt, aut

DISSERT. II. CAP. IV.

menta in dubium perperam revocata.

fœde interpolata, hanc postremam partem, quod spectat, nil definio; attamen vetera inter documenta unum hoc esse ex obscurissimis, quæ mihi occurrerint, ingenue fateor. Quin autem leviter falsa esse pronunciem, autoritas Idacii vim mihi infert. Sermonem is habet de Concilio Toletano 1. ad an. Abrahami 2416. Chr. 400. atque hæc testatur: *In provincia Carthaginensi in civitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in qua quod gestis continetur, Symphosius, & Dictinius, & alii cum his Galleciæ provinciæ Episcopi, Priscilliani sectatores hæresim ejus blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam servanda de Ecclesiæ disciplina &c.* Unde palam fit, quod ex Concilio isto (cujus Canones dumtaxat de disciplina extant) tum professiones, tum definitiva sententia (hujus epigraphe id docente: *Exemplar definitivæ sententiæ translatæ de gestis*) certissime sunt deductæ, nec possunt citra temeritatis notam, falsitatis argui. Huc accedit Innocentii Papæ testimonium: *De Joanne quoque Episcopo*, inquit, *cujus in Synodo Toletana super receptis Symphosio, atque Dictinio per legatos consensus accessit, & cui probabilis visa illa correctio*. Ac denique autoritas Codicis Veterum Canonum in quo capitum singulorum hujus definitionis summa recensetur. Itaque non leviter audiendum puto novo huic interpreti antiquitatis tanto seculorum intervallo inde dissito, cujus præsertim cortina non semper verat, simultates in S. Sedem sæpe erumpunt, propositiones non paucæ jam proscriptæ doctrinam non sanam, fidemque sublestam satis superque aperiunt. Quamvis enim nonnulli in opinionem hanc Quesnelii offendentes, haud illam respuerint, ire tamen pedibus in eam recusant; præterquamquod eruditi omnes ante illum fidem integram veteri documento habuerunt; quamquam tenebris circumseptum, atque interpolatum esse negarit nemo. Quapropter ex definitiva Toletanorum Patrum sententia, utut obscura, hoc certum eruitur; quod Præsules Hispaniarum post latum in provincia judicium in una ex majoribus causis, ad S. Sedem retulerunt Episcopale id judicium, suspenderuntque, quoad supremam inde sententiam acciperent. Quæ sane res usque adeo concinit cum definitis in Sardicensi Concilio, ut diffiteri nemo possit horum alterutrum, aut nempe Nicænorum Canonum nomine Sardicenses in Hispaniis tunc temporis esse cognitos, nam postmodo seorsim obtinuisse in Hispaniis Sardicenses fidem facit Codex Veterum Canonum, quo utebantur; aut ibidem de supremo controversiarum Judice nunquam dubitatum esse. Alterutrum eligatur, Dupinii machinamenta evertuntur. Mihi tamen persuasissimum est, utram-

Idac. Chron.

S. Innoc. Ep. 2. c. 3.

Quesnel. in S. Leon.

utramque Hispaniensibus Præsulibus laudem convenire, quippe qui Basilidis & Martialis appellationem ante Concilii Sardicensis tempora factam esse viderant, consiliumque a Cypriano petierant, num Præsuli scelesto per summam S. Sedis autoritatem restituto, quia eidem imposuerat, obtemperandum esset, necne; & suorum prædecessorum magistros plures habuerant eorum, quæ in Sardicensi Concilio adversus novam Eusebianorum doctrinam pro S. Sedis prærogativa asserenda fuerant declarata.

XIV. Alia argumenta causarum majorum ex Hispan. ad S. Sedem relatarum.

Non leve hujus meæ opinionis argumentum suppetit ex iis quæ in Hispaniis post Episcopale illud judicium evenerunt. Nullus siquidem Episcoporum proclamavit, *agendum sibi negotium in urbe Roma*, juxta decretum Sardicense, tum quia nullus ex judicatis putavit, *se bonam causam habere*; tum quia manifestam hæresim profitentibus jam antea Sedis Apostolicæ autoritate damnatis, iterum in Concilio execratis, benigne actum erat cum iis, qui hæresim fuerant detestati, itaut sola suspenderetur prisci honoris instauratio, donec supremum Romani Pontificis judicium accederet. Unde liquet, idcirco Romam non esse appellatum, ut Sardicenses Canones decernunt, quia nulla appellationis causa cuiquam fuit. Contra Episcopi suspendunt judicium, consuluntque Romanum Pontificem, aliarumque Ecclesiarum Episcopos, necnon Roma sententiam ultimam afferri expectant, quia necessarium esse vident, *ut ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes*, ab iisdem videlicet Sardicensis Concilii Patribus edocti. Præterea schisma inter Episcopos Hispaniarum natum ob receptos illos, qui hæresim abjuraverant, *quod Bætici, vel Carthaginenses Episcopi*, ut testatur Innocentius, *propter Galliciorum communionem a pace omnium dissederunt*, schisma hoc, inquam, aliud suppeditat argumentum formæ judiciorum Hispanicorum juxta Sardicensia decreta, quatenus *Episcopus Hilarius, & Elpidius presbyter, partim unitatis amore permoti, partim qua laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad Sedem Apostolicam commearunt, & in ipso sinu fidei violatam intra provinciam pacem &c.* retulerunt: quod faciendum ab omnibus provinciis, ut vidimus, Sardicenses Patres docuerant. Quare autem faciendum? Quia nempe in Apostolica Sede supremum Judicem controversiarum omnium fidei & morum, Catholicis omnibus Præsulibus persuasissimum erat, residere. Et sane Innocentius luce ipsa clarius ostendit, quod insolentissima Novatores doctrina sacrosanctam illam antiquitatem non illustrandam, sed detorquendam ad libidinem suscepere. Quandoquidem infallibilis scripturæ interpres Christi Vicarius eos re-

Conc. Sard. ep. Synod.

S. Innoc. ep. 2. c. 1.

Idem ibid. pr.

Dissert. II. Cap. IV.

Idem ibi cap. 1.

reprehendens, qui ab hæresi conversos aversabantur: *Quod si quos*, inquit, *hoc pungit, aut stimulat, legant Petrum Apostolum post lacrymas hoc fuisse, quod fuerat. Considerent Thomam post dubitationem illam nihil de prioribus meritis amisisse ... Quod si emendatio conversionis & errores ipsos amputat & retinet dignitates; quæ malum ratio est, viam recti, & iter, quod dirigat ad salutem, proposito pertinaciæ nolle retinere?* Deinde juxta definita per Sardicenses Canones, pro suprema sua potestate decernens: *Incumbendum est*, prosequitur, *dilectioni vestræ, & bonis sacerdotibus adnitendum, quatenus præeunte doctrina, in unitatem Catholicæ fidei omnes, qui dispersi sunt congregentur*. Nec vero consilium dat, aut hortatur, sed præcipit, fierique ab omnibus, tanquam singulis mandaretur, vult: *Hæc generaliter de unitatis reformatione omnes, tanquam singulis scripta sint, accipiant Sacerdotes*. Post quæ decreta de Fide, ad disciplinam se convertit, pariterque supremum ejusdem causarum judicem, atque universæ Ecclesiæ legislatorem se esse ostendit.

XV.

Supremæ potestatis in universam Ecclesiam argumenta certissima.

Perspiciendi causa supremam Romani Pontificis potestatem in controversiis de disciplina, quinque integra capita hujus Decretalis Epistolæ, quæ sunt reliqua, oportet legi; nam mihi ne sim molestus, ea tantum afferre juvat, quæ Dupinium, ejusque alios similes Pontificii Principatus osores condemnent, tanquam cum hæreticis sentientes. Quamvis enim sacra etiam Facultas Parisiensis anno 1617. hujusmodi propositionem inter alias plures Marci Antonii de Dominis proscripserit; æquum tamen esse arbitror, ut refricare talia ausum Dupinium suaviori sermone, impune abire non sinam magno cum meæ æstimationis detrimento. Propositio igitur Marci Antonii per Dupinium obstetricata sic se habet: *Erat ergo, & est Ecclesia præcipua nobilitate, existimatione, nomine, & dignitatis autoritate, non regiminis, & jurisdictionis Principatu*. Sacræ autem Facultatis sententia fuit: *Hæc propositio est hæretica, quatenus aperte insinuat, Romanam Ecclesiam jure Divino autoritatem in alias Ecclesias non habere*. Quam recte Sacra Facultas decreverit, innumera Ecclesiæ documenta testantur; equidem limites haud præteriens, quos mihi præscripsi, summa tantum capita laudatæ Epistolæ recitabo: *Illorum etiam Episcoporum, qui a Ruffino, vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio; ut quia perperam facti sunt, intelligant, id quod vitioso initio adepti sunt, se diutius obtinere non posse. De Joanne quoque examinentur quæ postea sunt sequuta, & prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communio, plena inquisitio vestigetur*,

S. Innoc. ibid. cap. 2.

Ibid. c. 3.

tur, secundum decretum Synodi Toletanæ ... a communione Catholicæ fidei per dilectionis vestræ sententias abdicetur. Ad ordinationes veniens, ob multitudinem prave factarum, pro sua autoritate summa, ratas eas fore jubet; deinde ne fiant deinceps, ita decernit: *Dilectionis vestræ maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur. Eo videlicet constituto, ut siqui post hæc adversus formas Canonum, vel ad Ecclesiasticum Ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, una cum creatoribus suis, ipso, in quo inventi fuerint, ordine & honore priventur*. De Gregorio Emeritensi: *Si contra meritum suum*, inquit, *passus est injuriam, in invidos honoris alterius vindicetur: ne posthac in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat*. Denique juxta Nicænæ Synodi, aliorumque Conciliorum Canones, velle ajens ut ordinationes fiant, decretum ipse condit, libertatem cuique adimens sentiendi aliter: *Ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur*. Ac se infallibilem esse interpretem S. Scripturæ iterum ostendens in fine epistolæ, ut principio fecerat: *Nullus ergo*, ait, *contra Apostolum tale aliquid sentiat, nec admittat: sed fideliter intelligat, unius uxoris virum, sive ante baptismum, sive post baptismum, esse nominatum. Si enim uxor ante baptismum accepta, non ducitur in numerum; nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt nominari .... Nemini liceat interpretari aliter divinas Scripturas, nisi quod recta ratio permittit*. Profecto qui in his Principatum Ecclesiæ non videt, neque in republica eum deprehendit.

DISSERT. II. CAP. IV.

Ibid. cap. 4.

Ibid. cap. 5.

Ibid. cap. 6.

XVI. Perpetua Ecclesiæ Hispan. observantia, & veneratio in S. Sedis Decreta.

Possem per Decretales Innocentii Epistolas in alias Ecclesias, præcipue Gallicanam, me effundere, ut supremam Romani Pontificis potestatem Divino nitentem jure, atque in Sardicensi Concilio adversus hæreticos vindicatam, ac declaratam, nusquam locorum, aut gentium quarto exeunte seculo non obtinere planum facerem. Sed Ecclesiæ Hispaniarum, quam illustrandam suscepi, exemplo contentus ero, ut liqueat summa ejusdem veneratio in prædictas Sancti Innocentii Leges tanquam a supremo Ecclesiæ Legislatore profectas. Codex non semel laudatus Veterum Canonum ipso in principio rem docet. Enumerantur ii, *De quibus non sunt Clerici ordinandi*: Hos autem inter id genus bigamorum, quos docemur Innocentii sententia, excluditur. *Is qui ante baptismum uxorem habuit, & post baptismum aliam duxit, clericus non fiat. Ep. Innoc. ad universos in Tholosa tit. 6. ep. 27.* Item *Causidici, & Curiales, vel seculari militia dediti ad Clerum non admittantur*. Item: *De personis pene omnibus quibus Clerici non sint*. Item: *De Hispanorum reprehensione, qui inordinate constituunt Clericos*. Omnia

nia

DISSERT. II. CAP. IV.

nia hæc servanda sibi proposuerant Hispani Antistites ex laudata Decretali Epistola, quamvis nullo ea Concilio stabilita reputarint, Ecclesiæ enim Caput, seu Principem, ac propterea legislatorem summum, summumque in ea Judicem esse Romanum Pontificem ignorasse eos nunquam, ac nunquam non confessos esse compertum atque exploratum quisque habet. Futurum confido, ut his præstantiora, magisque perspicua proferantur, ubi ad sequentium seculorum judicia ordo rerum nos ducet. Interim satis sit ex quatuor prioribus Ecclesiæ seculis, unde judiciorum rudimenta magis, quam certa, & perspicua eorum ratio, peti possunt, Hispanorum Præsulum perpetuam subordinationem Romanis Pontificibus expressisse, constantemque observantiam in S. Sedis decreta, quæ quidem duo diligens quisque observator in Ecclesiis omnibus tum Orientis, tum Occidentis inveniet; tametsi Orientalium Episcoporum, necnon Africanorum sæpe inconstantiam, frequenter vertigines detestetur necesse erit; itaut manibus ipsis teneat, periclitari eorum fidem, aliquando defecturam, futurumque ut erroribus obvoluti eorum successores, pœnas luant novorum dogmatum, novique Ecclesiæ sistematis ab eo diversi, quod successores D. Petri super quem fundata Ecclesia est, constituerunt. Quod nos seri posteri quia esse factum a Christo Ecclesiæ suæ vindice certo scimus, dum florentissimas olim diœceses illas sub immani barbarorum jugo inter errorum tenebras, omnigenasque calamitates cernimus, ac perpetuo duraturas, jure metuimus; ne Occidentis Patriarchatus parti alii, præter Africam Orientales imitatam, eveniat, enixis precibus imploremus. Neque enim prorsus diffidendum est, fore demum aliquando, ut quæ ejusdem Patriarchatus Septentrionales partes ab unitate desciverunt, detestantes hæresim, exemplo majorum ad veræ Fidei dogma revertantur; ita siquidem populorum ingenium, ita gens maxime studiorum cultrix persuasissimum nobis esse jubet.



DIS-

DISSERTATIO III.

De Ecclesia Hispaniarum seculi V. & VI.

CAPUT I.

Hispania Civilis tempore Gothorum Arianorum.



UUMPRIMUM difficile hoc, aleæque plenum negotium suscepi, apud animum meum statui, ut quæcumque de Ecclesia Hispaniarum in certas Epoches distributa proferrem, caput iis facerem Civilem earumdem administrationem, quod in præcedenti utraque dissertatione præstiti, neque, ut mihi videor, labore inutili. Verum si primæ alterique disputationis parti hujusmodi exordium facere sum compulsus dicendorum serie; tertiæ huic ordinationem Constantinianam sequuta vere inversio, seu Imperii Occidentalis excidium, civilium rerum conditionem præmittendam omnino esse Ecclesiasticis, demonstrat. De excidio ipso nihil dicam. Vanum quippe esset persequi ea omnia, quæ conspicuas tot provincias, ante Hispanicas, pessumdederant; quum præsertim decora non defuerint ingenia describendis iis, quæ minus e re nostra est recensere. At invasionem, consilium, instituta, mores earum gentium, quarum barbariem, numine id volente, corrupti Ecclesiæ Hispaniarum mores pertulerunt, brevi narratione complecti oportet; ne percurrenti Ecclesiam multo, quam antea, miseriorem admirationi sit, quod nec saluberrima Innocentii decreta, nec studium ardens Episcoporum Hispaniæ levamenti quicquam attulerint pereunti; quin potius insanabili eam vulnere confoderit, ut synchronus, sanctissimusque unus ex Hispanis Præsulibus mœrens enarrat: *Mihi post longas annorum metas*, ajebat S. Turibius, *ad patriam reverso satis durum videtur, quod ex illis traditionibus, quas olim Catholica damnavit Ecclesia, quasque jamdudum abolitas esse credebam, nihil penitus imminutum esse reperio. Immo etiam pro uniuscujusque studio & voluntate, prava dogmata velut*

I. Constantinianæ ordinationis inversio.

Epist. ad Idatium & Cœpon. cap. 2.

velut quibusdam hydrinis capitibus pullulare cognosco. (Peregre is profectus, quod perpetua & constanti traditione affirmant, viderat in Oriente & alibi quæ sancte, & recte in Catholicis ubique Ecclesiis servabantur.) Ubi enim palam fecero, quæ priscis erroribus accessio cum barbarorum armis ingressa est in Hispanias, futurum arbitror, ut tum ista evidentius agnosci possint, tum quæ tam multæ, & tam variæ Episcoporum concertationes post tempora tam diuturna cœptæ sunt, dum Metropolitæ omnes, præter Emeritensem, de Primatu secum pugnant, omnino corruant. Nam Apostolicum Vicariatum, quem cum dignitate Primatus confuderunt, rem esse aliam a Primatu ipso intelligent: sedibusque iis, quæcumque honore Vicariatus fuerunt conspicuæ, idem, conjecturis aliorum aliis amandatis, acerrime asseretur. Præterea novæ disciplinæ a Romano Pontifice institutæ principium certum, certaque causa tenebuntur, quæ audaciam eorum, qui supremo Ecclesiæ Capiti ratiocinando detrahunt, non solum retundent, sed etiam conterent, conculcabuntque.

II. Alani, Wandali, Suevi Hispanias invadunt.

Quo anno Urbem Romam Rex Gothorum Alaricus per dies septem diripuit, Honorio nempe VIII. & Theodosio III. Coss. Suevi, Wandali, & Alani invaserunt Hispanias exeunte Septembri mense, ut tradit Idatius, qui Æram 447. addit Olympiadis 197. anno primo cui respondet nostræ Dionysianæ 409. quumque debacchati in iis essent per biennium, ad pacem conversi, provincias Hispanas inter se diviserunt. Wandali & Suevi Gallæciam obtinent, Alani Lusitaniam, & partem provinciæ Carthaginensis, ac Wandali, qui dicebantur Silingi, Bæticam. Itaque in ditione Romanorum sola remansit Tarraco cum parte Carthaginensis provinciæ, quæ non satis ampla Hispaniarum portio, divino haud dubie consilio servabatur invasoribus aliis paulo post in easdem ingressis, Gothis nimirum, a quibus devicti priores illi alio migrare sunt coacti, præter Suevos. Quamobrem e quinque Hispaniarum provinciis sola Carthaginensis divisionem sensit primo impetu barbarorum; tametsi Idatius in Chronico, & Isidorus in historia Wandorum, & Suevorum summæ rerum intenti, de provinciæ hac divisione sileant hoc in invasionis exordio. Constat enim, Carpetanos atque Celtiberos, Carthaginensis provinciæ partem non modicam, in fide Romanorum stetisse, quod vidit & Mariana. Itaque constituuntur tria regna in Hispaniis, quorum conditio impar fuit: Alani siquidem brevi extincti, ut mox referam; Wandali annos tantum octodecim incubarunt Hispaniæ, eo quidem memoria digni, quo Wandalitiæ nomen nostra etiam ætate retinet regio illa, quam possederunt; Suevi aliis feliciores, quia

quia partem Hiſpaniæ ultimam ſortiti, uſque ad tempora ſuprema Leovigildi Gothorum Regis, cujus mors mihi erit limes diſſertationis hujus tertiæ Arianorum ævum complectentis, perſeverarunt. Utrum duo hæc regna Wandalorum, & Suevorum (nam de Alanis liquet ſecus eſſe) ſumma ſervaverint religione eos limites, quos Romani provinciis conſtituerant, an potius novos habuerint fines, otioſum moleſtumque eſſet diſquirere; quæſita enim atque poſſeſſa armis nihil ſtabile, nihil firmum habere conſueverunt. Utramque tamen gentem ultra præſcriptos provinciis terminos propriam ditionem protendiſſe pronum eſt creditu; nam Suevorum in Regno urbes aliquot provinciæ Emeritenſis, ſeu mavis Luſitaniæ, olim comprehendi teſtatur Concilium Emeritenſe anno 666. celebratum; in quo & ſuggerente Metropolita Orontio Reccesvinthum Regem antiquas Epiſcopales urbes reſtituiſſe Metropoli Luſitaniæ, apertis verbis declaratur, & Selvam Egiditanæ Eccleſiæ Epiſcopum, qui nondum redierat ad antiquam Metropolim, reverſum ad eamdem eſſe, quum ſubſcribat: *Ego Selva Egiditanæ Civitatis Eccleſiæ Epiſcopus pertinens ad Metropolim Emeritenſem*, demonſtratur. Verum quod Suevi duobus fere ſeculis ditionem protenderint, non eſt mirum; Wandalos autem eo regnandi compendio amplioribus ditionem finibus extendiſſe, vix crediderim: tametſi in ea, quam diximus, ſortitione quid amplius Bætica eos obtinuiſſe non negaverim. At quemadmodum res eorum ſe habuerint circa adminiſtrationem regni, ejuſque limites, incompertum mihi eſt.

DISSERT. III. CAP. I.

Concil. Emerit. cap. 8.

III. Gothi e Galliis pulſi Hiſpanias invadunt.

Vix triennii ſpatio novi Reges Hiſpaniarum populis legem dederant, quum parare ſe iterum bello, ſedeſque uſurpatas tueri armis coacti ſunt. Gothorum Italiæ Regi Alarico direptori Urbis extincto ſucceſſerat Athaulphus Æra 449. Chr. anno 411. iſque poſt annos aliquot relicta Italia ſeceſſerat in Gallias, duxeratque Narbone uxorem Placidiam Theodoſii Imperatoris filiam, quam Gothi captivam fecerant in direptione urbis. Parva fuit mora, quum ſeu petitus armis, ſeu admonitus a Conſtantio Comite, juxta opinionem aliorum aliam, Galliis etiam relictis, in Hiſpanias deſcendit, eaque in parte hæſit, quæ Romanorum parebat imperio. Idque evenit, ut ex conciliata hiſtoria veterum compertum habeo, anno Ær. 453. Chr. 415. Ipſo autem eodemque anno, dum gloriam ſibi quærit, Oroſio teſte, de reſtituendo in integrum augendoque romano nomine (Placidia præſertim integerrima, & religioſa femina ſuadente) apud Barcinonem dolo ſuorum occiditur. Pari utitur fortuna ſequenti anno ejus ſucceſſor Sigericus, quod pacis amans eſſet; quare ſufficitur Wallia, ad

Paul. Oroſ. l. 7. c. 43.

DISSERT. III. CAP. I.

hoc electus a Gothis ut pacem infringeret, verbis utor Orosii, ad hoc ordinatus a Deo, ut pacem confirmaret. Hic igitur ita creatus anno Ær. 454. Chr. 416. primum omnium serio reputans suorum vices, optimam cum Honorio pacem pepigit, sororem Placidiam honestissime habitam restituit, adversus barbaras gentes, quæ in Hispaniis regnabant, præliaturum se Romano nomine promisit; quam rem & alios tres Reges Honorio esse pollicitos idem autor refert: *Tu*, ajentes, *cum omnibus pacem habe, omniumque obsides accipe: nos nobiscum confligimus, nobis perimus, tibi vincimus: immortalis vero quæstus erit reipublicæ tuæ, si utrique pereamus*. Re ita evenit; nam Wallia primum confligens cum Wandalis Silingis, omnes extinxit; deinde in Alanos movens, Athace, sive Utaco eorum Rege peremto, debellatos coegit ad Gundericum Wandalorum Gallæciæ Regem se recipere. Post hæc Wallia firmissimo isto fœdere cum Constantio, Aquitaniam II. obtinet, ibique constituit Regni sedem Tolosæ. Interim Castinus & Bonifacius Romanorum Duces rem agebant cum Wandalis alterna felicitate, ob privatas Ducum simultates; quare multa patiuntur Hispanienses damna, præcipue Carthaginis, Hispalisque eversionem. In hujus postremæ Ecclesiam quum impias manus extenderet Wandalorum Rex Gundericus, qui Suevis relictis in Bæticam descenderat, a dæmone correptus moritur, cui succedit Gensericus. Facta hæc Walliæ Regis tempore ante annum Ær. 467. Chr. 429. quum eidem successit quartus Gothorum Hispaniæ Regum Theodoridus, & Wandali cum Alanorum iis reliquiis quæ illis sese junxerant in Gallæcia, transfretarunt in Africam; quæ res quum plurimum conducat Civili Hispaniæ illustrandæ, silentio præteriri non potest, nec debet, ne Wandalis parum, Gothis plurimum, nihil Romanis tribuamus, quod iniquum esset, atque indignum scriptore integro; id licet parum cordi fuerit iis, qui ex iisdem fontibus Orosio, Idacio, & Isidoro hauserunt tam multa pro Gothorum gloria, neglectis cæteris.

IV. Wandali ex Hispan. in Africam tendunt.

Quænam fuerit Scythica ea gens, Alani, & Wandali, ne Daciam, Pannoniam, Gallias revocemus in mentem, satis docet Africa, quo, relictis Hispaniis, migravere. Vixdum enim eo appulerunt, illi Episcopi numero ipso territi, nam octoginta millia transfretaverant, fuga sibi consulere meditabantur, nisi Augustinus gravi eos reprehensione contineret: *Quicumque*, ajens, *isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium ministerium, illo fugiente, non desit, facit quod Dominus præcepit, sive permisit. Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritaliter vivit, alimenta subtrahantur; mercenarius ille est, qui videt lupum venien-*

S. Aug. ep. 228. al. 180.

nientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus. Instaurata postmodo sævissima persecutio adversus Catholicos clam esse non sinit eorum barbariem; ut probe norunt qui Victoris Vitensis historiam, necnon Ruinartii absolutissimam ejusdem rei narrationem ex synchronis gravissimisque desumtam autoribus semel legerint: mea enim non interest quæ in Africa evenerunt, enarrare. Ad Hispaniam vero quod attinet, pari ibibem sævitia usos esse barbaros apud Ruinartium discimus, qui virginis etiam constantiam refert, ne baptismate iterum ablueretur, quare & martyr occubuit; itaut crudelitate Wandalos non concessisse Gothis certum sit. Quin etiam virtute, sive ut melius dicam, vi armorum (quæ enim virtus barbaris?) æque ac Gothos valuisse plurimum & bella in Hispaniis contra Romanos commissa, & cruentus ille conflictus cum Bonifacio & Aspare in Africa, quo potentissimi duo exercitus Romanus, & Byzantinus superati, fidem faciunt. Quamobrem falso Gothorum virtuti adscribitur, quod Romanorum Ducum simultatibus Hispaniæ debent. Porro Aetii, & Bonifacii privatæ iræ tantum ab Hispaniis turbinem amoverunt: nam Bonifacius, ubi sensit, se reipublicæ hostem declaratum peti armis a Sigisvulto Duce Romani militis, Wandalos, quorum vires expertus jam erat in Hispaniis, aut accersivit, ut fert Procopius, aut ipse duxit, ut alii tradunt; pessimo utrumque consilio; nam tanti sceleris socios brevi hostes expertus, Hipponem prius confugere, diutinamque obsidionem ferre est compulsus, deinde suarum virium auxiliorumque periculo nequicquam facto, eam Romani imperii partem deseruit, Catholicisque omnibus exilia, tormenta, cædes reliquit. Verum quis Duci Romanorum Bonifacio, utcumque perfido, præcipuam hanc gloriam eripiat, quod tantam ab Hispaniis pestem averterit? Hæc quum ita sint, statuere id certo possumus, quod nec Wandalorum socordia, nec Gothorum virtus fuerunt causa, cur maxima ea parte malorum liberarentur Hispaniæ, sed divinitus factum, ut Romanorum simultates impedimento fuerint, quin Ecclesia Hispana penitus everteretur.

V. In Hispaniis remanent Gothi, & Suevi.

Sic Wandalorum, Alanorumque nomine ab Hispaniis eliminato, reliqui in iisdem fuerunt Gothi, & Suevi, qui armis magis, quam pacis artibus inibi regnum nunquam stabile, nunquam certis limitibus circumscriptum tenuerunt. Siquidem Gothi in Galliis sedem Regiam habentes usque ad Leovigildi tempora, nec nisi bellorum causa in Hispaniis residentes, more Romanorum per Duces summam plerumque rerum inibi administrabant; Suevi autem frequenti ex Gallæcia incursione vastantes, atque subjugantes provincias integras bellatoribus vacuas, arma Gothorum revocabant,

DISSERT. III. CAP. I.

bant, pulsique identidem, feracius emergebant. Itaque post Wandalorum abscessum ab anno primo Regis Gothorum Theodorici Ær. 457. Chr. 419. usque ad Ær. 624. Chr. 586. quum Reccaredus Rex Catholicorum primus regnare orsus est, centum fere & septuaginta annis, regno Suevorum vigente, Hispaniæ semper vastationibus, ac certaminibus redundarunt. Quin etiam longa annorum serie de Arianis Gothis usurpare non dubito, quæ de Romanis ante Augustum ajebat Paterculus: dijudicari nempe non potuisse, Suevis, Gothisne *in armis plus esset roboris*, *& uter populus alteri pariturus foret*. Cæterum Suevos ita afflixit Theodoricus post quinti seculi dimidium, ut Rechiario eorum Rege peremto, exitium regno adesse visum sit; illi tamen Masdra ad solium Gallæciæ evecto, repararunt regnum, quod usque ad extrema Leovigildi Regis Arianorum Gothorum ultimi floruisse non est dubium, ut de Ecclesiæ rebus agens infra ostendam. Quorumdam opinio est, post Remismundum filium Masdræ, qui succedens Frumario, regni paterni habenas suscepit, nullum fuisse Suevorum Regem per annos fere centum, quippe altum de iis silentium occurrit: verum si æque felix scriptor aliquis, ac P. Labbeus, cui Theodemundum incertæ ætatis acceptum referimus, novos aliquando Reges proferet; nomina etiam quæ desiderantur, non deerunt, quemadmodum Reges ipsos non defuisse unquam testatur autor gravissimus Isidorus: *Hujus* (Remismundi) *tempore*, inquit, *Alax natione Galatha, effectus apostata, & Arianus, inter Suevos, Regis sui auxilio, fidei Catholicæ hostis emersit: cujus seductione Suevi a fide Catholica recedentes in Arianum dogma declinant. Post multos deinde Reges regnum Suevorum suscepit Theudemirus, qui fidem Catholicam adeptus, Arianæ impietatis errore destructo, Suevos unitati Fidei reddidit.* Ex quibus non obscure discimus, quod idcirco eorum catalogus ad nos vacuus pervenit, quia Catholici tantum Reges in eodem enumerantur. Secus est de Gothorum Regibus, qui omnes Ariani erant ante Reccaredum. Quumque obiter Suevorum religionem indicaverim, abs re non erit, priusquam progrediar, Gothorum etiam de religione aliquid huc afferre.

Vell. Paterc. lib. 2.

Hist. Suevor.

VI. Gothorum Regum religio.

Eam plane videor non semel indicasse dum Reges Gothorum, Arianos nuncupavi; quasi Arianam hæresim perinde ac Suevos, Gothos professos esse dixerim. Est tamen inter utrosque multum discriminis: namque illos dogma impium amplexos vidimus in Hispaniis; hos e contrario idem una cum Wandalis in Hispanias advexisse compertum est. Quamobrem, quum Gothi sint parentes impiæ religionis, quam Suevi adoptarunt, unde illi primum eam

eam didicerint promendum puto. Refert Sozomenus, quod Gothi ab Hunnis pulsi citra Istrum, legatione ad Constantium adornata, cujus princeps erat Ulphila Episcopus, in Thracia consistere impetrarunt: orta postmodo inter Gothos seditione, alii Athanaricum, Fritigernum alii Regem coluerunt; commisso prælio vincitur Fritigernus, qui romanorum auxiliis congressu altero victor evasit; quare ut Valenti qui tum imperabat, gratiam referret, sectam ejus, & communionem cum suis amplexus fuit. Causam deinde potissimam addit, cur tota Gothorum gens Ariana sit facta, Ulphilam ajens interfuisse cum Eudoxio, & Acacio Constantinopolitanæ Synodo, (puta quæ habebatur anno 359. tot fidei professionibus celebris) in qua tametsi a Nicænorum Canonum assertoribus ne minimum quidem discesserit; tamen sub Valente nova fungens legatione (quod cum Valesio est observandum) Constantinopoli cum Arianis Episcopis disseruit de religione, iisdemque suam operam pollicentibus apud Imperatorem, modo cum iis sentiret, fidem omnem adhibuit, reversusque ad suos, gentem totam errore Arianorum infecit. Cum Sozomeno concinunt Philostorgius, & Theodoretus, quos adhibet V. C. Cuperus in suo tractatu præliminari ad tomum sextum Julii; quamquam non desit, qui Orosii autoritatem aliis præferendam putet, quæ sic se habet: *Gothi antea per legatos supplices poposcerunt, ut illis Episcopi, a quibus Christianæ fidei regulam discerent, mitterentur. Valens Imperator exitiabili pravitate doctores Ariani dogmatis misit. Gothi primæ fidei rudimentum, quod accepere, tenuerunt.* Quam porro sententiam sequuntur Paulus Diaconus, & Autor Historiæ Miscellæ, tametsi non appellent prima fidei rudimenta; nam aliunde scimus, Theophilum ex Gothia Episcopum interfuisse Concilio Nicæno; uterque autem addit: *Sicque universa gens illa Ariana effecta est.* Opinio hæc duplex, cujus optio unicuique datur, rei summam nihil mutat; omnes enim affirmant, quod Valenti, qui mortem occubuit anno Chr. 378. Gothi acceptum referunt Arianismum. Quare aut fuerit Doctor Ulphila, quæ opinio arrisit Isidoro eum appellanti Galfilam; aut Episcopi plures impium dogma docuerint eam gentem, certe Gothi omnes in Occidentalis imperii provincias una cum victricibus armis religionem hanc pessimam intulerunt. Quumque iidem in duas partes divisi, dicerentur Visigothi qui Occidentem tenuerunt, qui Orientem Ostrogothi, quando anno 476. simul iterum conjuncti unam gentem fecerunt, ut ait Paulus Diaconus, nullam omnino dogmatis mutationem sequutam inde esse ex dictis liquet: ac proinde quum in minori ætate Amalarici Rex Italiæ Theodoricus Hispanias

DISSERT. III. CAP. I.

Sozom. lib. 6. cap. 37.

Oros. lib. 7. cap. 33.

DISSERT. III. CAP. I. nias rexit ab anno Chr. 511. eadem inibi hæresis viguit, quæ primum detestatorem habuit Reccaredum seculo eodem sexto exeunte.

VII. Mores eorumdem Regum Arianor.

Religionem sequuntur mores. Ii vero quales fuerint, facile assequemur, si Reges ipsos; & populum serio consideremus. Hic scilicet natura immitis, pacisque osor maximus ne Regum quidem Majestatem veretur, ubi arma videt ponenda esse, sed quietis amico Rege confosso, alium levat, quem belli amantiorem novit: nullis paret scriptis legibus, quarum primas latas esse constat ab Alarico Rege ineunte sexto seculo; antea enim moribus, & consuetudine regebatur. Quare Ataulphus (referente Orosio, quidquid S.Hieronymo vir illustris Narbonensis narravit in Palæstina) quum de romano nomine extinguendo cogitasset, faciendoque Gothorum imperio quod erat Romanorum, ut ipse idem esset, quod olim Cæsar Augustus: *Ubi multa experientia probavisset, neque Gothos ullo modo parere legibus posse propter effrenatam barbariem, neque reipublicæ interdici leges oportere, sine quibus respublica non est respublica*, de restituendo potius augendoque Romano nomine Gothorum armis meditari cœpit. Ita factus, ita imbutus natura erat populus Gothorum. Reges vero, ut ipsa ex Ataulphi mente conjicimus, Imperatorum gloria stimulante, eos referre pro viribus conabantur. Atque utinam cætera imitati, minime quæsivissent gloriam eorum quamsimillimam insequendo Catholicos, favendoque impii dogmatis sectatoribus! Verum si ulla in re maxime Imperatoribus similes facti sunt, hac certe in parte id evenisse demonstrant quæ iidem gesserunt. Ante Reccaredum nullus ab impio dogmate discessit, fereque omnes constantissime illud adversus Catholicos tuiti sunt. Prodigii similis res est, siquando Episcopos Catholicos congregari in Concilio est permissum. E contrario Episcopos suis sedibus amotos, in exilium pulsos, deportatos, martyrio affectos frequenter videre est in eorum historia. Quin etiam ubi de asserendo errore res fuit, nulla pietas, nullum sanguinis illicium Reges impios retardavit; ut abunde testatur Leovigildi filius S. Hermenegildus, qui proprio sanguine parentis vesanam sitim Catholicorum cædis satiavit. Hac tamen ab Arianorum sævitie temperatum quandoque esse in Hispaniis, ut in Oriente non semel est factum, series rerum nos docet; eaque fuit causa cur Catholica fides, sacrique Canones suos habuerint assertores Episcopos in unaquaque provincia, unde nova illuc disciplina transmissa fuit a Romanis Pontificibus, una cum dignitate ampliori, quam quæ in Metropolitis colebatur ab Episcopis provinciæ; ut sequenti capite planum erit. Cæterum si ulla ex quinque provinciis Arianorum tempore fuit felix, ea est Gallæcia,

Oros. lib. 7. cap. 43.

læcia; seu Regnum Suevorum; nam sero imbibitum errorem cito deposuerunt Suevi, dederuntque aliis præclarum, quod sequerentur, exemplum.

VIII. Regnum Gothorum in Hispaniis angustum primo erat.

Equidem credi nolim, quod Wandalis Alanisque abeuntibus tota quanta est Hispaniarum regio bipertito divisa hinc Gothis, illinc Suevis parere statim cœperit. Nam præterquamquod, ut supra ajebam, bella utrinque cruenta committebantur, neque unquam certi steterunt fines utriusque regni, Romani etiam supererant in Tarraconensi provincia, & in Carthaginensis parte non modica, quos ejectos inde esse nemo tradit ante Eurici tempora, qui regnare orsus est anno Ær. 504. Chr. 466. Principio autem regni ejus, ut observat Mariana, *Gallæcia cum Lusitaniæ parte Suevis parebat, Bætica, & Catalauni Gothis, Romanorum imperio Carthaginensis tractus, Carpetani, ac ferme reliquæ Hispaniæ provinciæ tenebantur.* Quin etiam Mariana ipso antiquior, graviorque Scriptor Isidorus testatur, quod supremus Arianorum Regum Leovigildus post receptas Hispaniæ urbes, quæ defecerant, fusumque diverso prælio romanum militem, Hispania pene tota est potitus: *Nam antea*, inquit, *Gens Gothorum angustis finibus arctabatur*. Nec secus esse poterat; quippe Romanis expulsis, quandoquumque id evenerit, supervenerunt Franci; hosque iterum exceperunt auxilia Romanorum, quæ Atanagildus ab Imperatore Justiniano obtinuerat, quum occupata tyrannide Agilam deturbare solio nitebatur, at deinde *submovere*, inquit Isidorus, *a finibus regni molitus, non potuit, adversus quos hucusque confligitur. Nam frequentibus antea præliis cæsi, nunc vero multis casibus fracti ac diminuti sunt* (suo nempe ævo post regnum Sisebuti qui diem obiit anno Ær. 658. Christi 620.) Quamobrem ditio Gothorum in Hispaniis, quoad Reges illi tenuerunt sedem Regiam in Galliis, nec satis ampla, nec satis firma unquam fuit, cui non possem limites nisi incertos præscribere; magna enim pars modo quæsita armis, modo amissa, protendi, contrahive non semel priores fines juberet. Et sane Rex Euricus capta Pampilona, & invasa Cæsaraugusta totam superiorem Hispaniam obtinuit, referente Isidoro, Theudis vero septuaginta post annos Francos ejecit ex tota fere provincia Tarraconensi, quam depopulabantur, Cæsaraugusta etiam obsessa, ut idem refert. Huc accedit, quod Galliæ magis placebant iis Regibus, resque in Hispaniis utplurimum gerendas Ducibus demandabant: & nisi Galliarum ditio tot patuisset Francorum infestationibus, non est dubium, quin hasce illis prætulissent: nam qui omnium extremus regnavit in Galliis, Liuva, facto regni socio Leovigildo fratri Hispaniæ administrationem commisit; *ipse autem*, ait Isidorus, *Galliæ regno contentus*

Hist. Hisp. l. 5. cap. 5.

Chronic. Gothor.

DISSERT. III. CAP. I.

tentus est. Postea vero factæ sunt Hispaniæ quod antea erat Galliæ, Regni sede non amplius Narbone, sed Toleti constituta, unde primus Rex Catholicus Reccaredus misit Claudium Ducem ad reprimendos Francos. Hæc autem mutatio sedis videtur exigere, ut de Galliæ regno illo, quo potiebantur Gothi, aliquid dicam, quum Ecclesiæ etiam dispositioni illud regnum novam addiderit provinciam, videlicet Narbonensem, ævo Catholicorum Regum spectabilem, quum Gallicanæ cæteræ pessum irent.

IX. Regnum Gothorum in Galliis habebat sedem per 5. & 6. seculum.

Id vero ut dilucide, ut breviter præstem, Regnum omne Gothorum in Galliis duas in partes dividam necesse est. Primam videlicet octo Regibus tribuo, Athaulpho, Sigerico, Walliæ, Theudorido, Turismodo, Theudorico, Eurico, & Alarico: totidemque alteram, Geselico, Theudorico Juniori, Amalarico, Theudi, Theudisclo, Agilæ, Athanagildo, & Liuvæ. Primi octo Reges ab anno primo Athaulphi, ad Alarici ultimum centum fere annis regnarunt, nempe ab anno 411. ad 506. Inde vero ad Liuvæ mortem anno 570. anni tantum quinque & sexaginta numerantur, quibus regnum Gothorum in Galliis reliqui octo Reges moderati sunt. Porro qui primum regnarunt, & finibus, & sede regia oppido aliis gloriosiores extitisse mihi videntur, tametsi perpetuis inferendis, propulsandisque bellis impediti, neque firmam, neque diuturnam gloriam adepti sint. Cæterum Regia eorum Sedes a Rege Wallia constituta est Tolosæ anno Ær. 456. Chr. 418. quum firmissimo icto fœdere cum Constantio, Aquitaniam obtinuit: ibique usque ad Alarici necem anno Ær. 544. Chr. 506. perseveravit. Clodovei siquidem virtute debellati Gothi, primum quidquid ultra Narbonensem provinciam possidebant amiserunt, præter Regiam urbem, deinde ex ea quoque expulsi sunt. *Jam præter Tolosates*, ait Paulus Æmylius, *ubi Regia Visigothorum erat, in fidem omnia venerant*. Et ne aliunde nimisque recentes in rem nostram scriptores advocemus, testimonio id Sancti Isidori confirmabimus: *Alaricus*, ait, *filius ejus apud Tolosensem urbem Princeps Gotthorum efficitur*: Et infra: *Eoque interfecto, regnum Tolosanum occupantibus Francis destruitur*. Quare primus octo reliquorum Regum Geselicus Alarici filius nothus, *Narbone*, ut idem Isidorus testatur, *Princeps efficitur*. Translatam vero sedem Tolosa Narbonem, usque ad Liuvæ mortem ibi extitisse constat. Quamvis enim Leovigildus, in consortium Regni adscitus, a patre Hispaniæ administrationi præficeretur; non tamen duo regna facta sunt, ajente Isidoro: *sicque regnum duos capit, quum nulla potestas patiens consortis sit*. Clarius etiam infra de Leovigildo post patrem solo regnum administrante: *Leovigildus*,

De gest. Francor. lib. 1.

Chron. Reg. Gotthor.

gildus, inquit, *adepto Hispaniæ, & Galliæ regno, otium periculosum ratus, regnum bello ampliare statuerat*. Quod sane præstitit, tota fere Hispania subacta, suamque in potestatem redacto Suevorum regno; itaut nisi constantes Romani perstitissent in Hispaniæ finibus maritimis, Leovigildo adscribi posset fundatio Monarchiæ Hispaniensis, quam Reccaredus filius primus omnium Regum Catholicorum suscepit. Profecto Leovigildus fuit primus, qui regia indutus veste conspicuum se dedit subditis sibi gentibus, in Solio Toleti constituto, quod nullus antea fecerat nec Tolosæ, nec Narbone: *Primusque*, Isidorus ait, *inter suos regali veste opertus, solio resedit. Nam ante eum & habitus, & consessus communis, ut genti, ita & Regibus erat*.

X. Leovigildus omn. primus inde in Hispanias transfert, inclinante sec. 6.

Rem videar dubiam obtrudere, dum Regni sedem ex Galliis delatam in Hispanias non esse contendo ante Leovigildi tempora, ante seculi nimirum sexti postremos annos. Etenim qui Leovigildum præiverunt Reges, præcipue qui sedem habuerunt Narbone, contrarium suadent: nam eorum nonnullos in Carthaginensi provincia, in Lusitania alios, aliosque in Tarraconensi, & Bætica videre est seu moratos, seu cæsos. Præterea de Amalarico testatur Mariana, quod *Wisigothorum Regiam Hispali plurimum collocavit & fixit*. Id vero nihil repugnat traditis de Galliarum sede; quamvis enim sæpe in Hispaniis bellorum causa ii Reges morati sint, nullus eorum unquam regiam sedem eo transtulit: quin etiam Amalaricus idem Narbone primum superatus a Francis, Barcinonem fugit; deinde in regia sede Narbone fuit cæsus. De tribus quidem Amalarici successoribus Theudi, Theudisclo, & Agila loquens Isidorus, Galliarum regiæ sedis oblitus videtur, Athanagildum insuper illorum successorem Toleti mortuum refert propria morte. Quare quum quinto Amalarici anno sit celebratum eadem in urbe Concilium bona cum Regis venia, nonnulli autumant, sedere jam tum Reges Toleti. Quæ res quam falsa sit, Amalarici post tres Reges successor Liuva demonstrat, qui Narbone, ubi erat creatus, in sede Avita permanere cupiens, filium Leovigildum Hispaniis præfecit. Cæterum post excisum Tolosanum Regnum, ea non fuit Gothorum felicitas quinque & sexaginta iis annis, quum Narbone regia sedes perseveravit, qua usi erant centum propemodum annis Tolosæ. Nam quidquid Narbo regia sedes esset, desultoriam aliam utplurimum in Hispaniis fuisse rerum series ostendit. Toleti autem, utpote in validissima urbe, loci natura inexpugnabili, & media in Hispaniarum peninsula collocata, consedisse eos Reges, ibique habuisse ædes Regias, tum Theudis a conjuratis affectus vulnere in Pala-

Hist. Hisp. l. 5. c. 11.

tio,

tio, tum Athanagildus propriam in ea urbe mortem occumbens, tum denique sedis regiæ Toletanæ institutio a Leovigildo primum facta, non obscure demonstrant. Quamobrem Toletum licet primo esse cœperit Urbs regia, quum Leovigildus regali opertus veste consedit sublimis in Solio, quod a nullo Regum antea factum erat; regiæ tamen sedis meritum frequenti Regum mora assequutam esse non negaverim, vel quum Narbo erat ordinaria sedes, non eo quod Rex aliquis eam Regiam constituerit; sed quod versati ibidem plerumque fuerint post Tolosanam sedem ereptam a Francis, eo quod Narbonensis admodum frequentibus Francorum incursionibus esset obnoxia. Qui autem ulli Hispaniarum Civitati, præque iis Toleto, regiæ sedis dignitatem ante Leovigildum impertitur, eodem nititur fundamento, quo siquis Hispalim contenderet sedem regiam esse factam Catholicorum Regum, quia moram ibi maxime diuturnam traxit nostra ætate invictissimus Rex Philippus V. qui tandem ad regiam vere sedem Madritum reversus, leve id fundamentum evertit.

XI. Regni Gothici in Galliis quantitas.

Quumque jam satis immoratus sim tradendæ rei, quam seria rerum gestarum hinc a Gothis, inde a Francis consideratio lectori cuique vel maxime studioso aperiet; restat nunc, ut Gothici in Galliis Regni præscribam limites. Horum profecto per seculum quintum eædem vices sunt, ac Hispaniensium; modo enim ampliores, modo contractiores expugnatio Gallicanarum urbium, earumque propera amissio faciebat: neque ante expulsionem Gothorum Tolosa, eorum ditionem videre est nisi variam, similemque occupantium magis Regum, quam jure possidentium. Secus est, quum aliis Septimaniæ provinciis in ditionem Francorum redactis, unica Narbonensis provincia, quam primam dicimus, eaque non integra, sub potestate erat Gothorum Regum. Quamobrem omissa incerti per quintum seculum regni disquisitione, tanquam minus faciente ad rem nostram, illud tantum Regnum explorabimus, quod octo postremis Arianis Regibus tribuebam Narbone regiam sedem habentibus. Namque & Catholicis Regibus idem paruit ante Saracenicam invasionem, & indidem Episcopi corpus Ecclesiæ Hispaniarum constituebant; itaut quinque pristinis Ecclesiasticis provinciis continentis Hispaniæ sexta addita fuerit Narbonensis cum suo Metropolita, & Suffraganeis Episcopis, quorum ex numero palam fiet, quanta fuerit ditio Gothorum in Galliis. Porro quam necessaria sit perspicua hujus rei traditio rerum Hispaniensium scriptori, illi noverint, qui modo Septimaniæ, modo Galliæ nomine appellatam invenientes Gothicam eam ditionem, secum reputant; num forte paruerit Gothis quid-

quid,

quid, de quinque, aut septem provinciis alibi disputando, Aquitanicæ Rufum, & Marcellinum tribuere demonstrabam. Tota igitur Gothorum ditio in Galliis non alia erat, quam una ex septem iis provinciis, quæ Septimaniam constituebant, prima videlicet Narbonensis, cui etiam detractæ erant a Francis Tolosa ab Occidentali parte prope Garumnam, & Ucetia ab Orientali versus Rhodanum. Itaque Gallia Gothica octo dumtaxat Civitates amplectebatur Narbonem, Beterrim, Agatham, Magalonam, Nemausum, Lutebam, Carcasonam, & Helenam. Totidemque ex Civitatibus convenerunt Episcopi per se, aut per suos Vicarios ad Concilium Toletanum tertium anno Ær. 627. Chr. 589. qui erit limes hujus dissertationis. Nam videre est inter nomina subscribentium Episcoporum, juxta ordinem ab iisdem servatum 5. Migetium Metropolitanum Narbonensem; 10. Sedatum Beterrensem Episcopum: 22. Joannem Elnensem: 39. Sergium Carcassonensem: 50. Igridium Agathensem: 61. Agrippinum Lutubensem: 67. Genesium Archidiaconum vicarium Boetii Magalonensis Episcopi: & 68. Valerianum Archidiaconum Vicarium Pelagii Nemasensis Episcopi.

XII. Idem Catholicis etiam Gothis subjectum erat,

Qui sane numerus Civitatum vel septimo inclinante seculo integer perseverabat, ut liquet ex divisione illa celebri Diœcesum, & Parochiarum a Rege Wamba facta, cui titulus *Itacius*, a Garsia Loaisa in lucem edita ex Codd. mss. Ecclesiarum Toletanæ, & Ovetensis. Tametsi ad Wambæ res præclare gestas quod attinet, opportunius nonnulla afferam, quæ Galliam Gothicam suo ævo ad conditionem pristinam revocatam ostendent. Porro idem Loaisa præmittit laudatæ divisioni duas notitias ex Codice Hispalensi unam, aliamque ex Cod. Gothico Ovetensi, quarum prima appellatur *Divisio provinciarum Hispaniæ, & earum sedium*; alteri est principium: *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Incipit numerus sedium Hispaniensium: & uniuscujusque provinciæ sedes suo Metropolitano subscriptæ usque in Rhodanum amnem*. Discrimen inter utramque ingens variam quidem ætatem innuit, sed neutram Tolosani Regni excidium prævertisse, quamquam Tolosa Narbonensi Metropolitæ subjiciatur in postrema. Hujus quippe nuda nomina conferenti cum Wambæ divisione, planum fiet, quod ipsissima Wambæ divisio est, in compendium redacta, ordineque provinciarum inverso; quare mirum videbitur, irrepsisse Tolosam in Galliæ provinciam, quum aliæ omnes adamussim respondeant integræ divisioni Wambæ. Hispalensis vero Codicis notitiæ majorem tribuere antiquitatem nemo potest, quam ævum Lucensis Concilii celebrati anno Ær. 607. Chr. 569. nam

Dissert. III. Cap. I. *Aguir. collect. Concil. tom. 2. pag. 300.*

quæ duodecim Civitates tribuuntur Gallæciæ, excepta *Vetica*; tot numero non fuisse ante id Concilium, liquet ex ejusdem Actis ab Aguirrio editis; Episcopi enim *in ipso Concilio alias sedes elegerunt, ubi Episcopi ordinarentur*: postea ipsissimæ enumerantur Civitates, quæ leguntur in Notitia Codicis Hispalensis, præter *Veticam*, incertum, num *Magneto* hæc nova sedes sit, quæ res minime difficilis erit creditu animadvertenti, quod in Concilio Bracarensi habito post triennium, cui non intersunt nec Dumiensis, nec Portucalensis (incertum num eæ sedes vacarent) nulla Veticæ mentio est. Quum cæteroqui occurrat nova ista sedes *Magneto*, quam in fragmento Actorum Concilii Lucensis non habemus, Carolo etiam a S. Paulo cognita, sed inter incertas collocata, quod nullibi reperire est de *Vetica*. Perinde est de *Caucoliberi*, quam sedem in Notitia tributam Galliæ, testatur Mendoza, se nec vidisse unquam, nec legisse, nec repetita omnium seculorum memoria agnovisse; quum Helenensi semper Episcopo illud oppidum paruerit, quatuor tantum M. P. inde distans, nec Archiepiscopus Toletanus Rodericus, & Alphonsus X. antiquitatum Hispaniæ scriptor accuratissimus, quicquam de ea Episcopali Cathedra recens cusa, consignarint literis. Quamobrem nec vetustioris illius Notitiæ autoritate diversum aliquid affirmari potest de Regno Gothorum in Galliis; nec Wambæ recentior docet secus atque ego tradidi: quin etiam utriusque testimonio comprobatur, quod Tolosano Regno exciso, Gallia, quam Gothicam veteres dicunt, primæ Narbonensis angustis limitibus circumscribebatur, tum Arianorum, tum Catholicorum Regum ævo.

In Concil. Elib. lib. 1. cap. 1.

XIII. Falso Tolosa & Ucetia ab aliquibus ei adscribitur.

Ipsis autem in Narbonensis angustiis non deest qui amplioribus id regnum finibus protendit. Nam nuper laudatus Mendoza ei provinciæ tribuit etiam Tolosam; tametsi nullo rem comprobat argumento. Quod vero afferat argumentum rei falsæ? Certe juxta notitiam Honorianam non modo Tolosatium Civitas, sed & Castrum Ucecìense in prima Narbonensi existebant; Gothis vero earum neutra obtemperavit post Tolosani Regni excidium, quod Marca eruditissimus observat. Hic edita Honorianæ addi ait in Codd. Thuanis Civitates Agathensem, & Magalonensem; sileri tamen ubique Carcasonam, & Helenam, quare factas putat Episcopales ævo Gothorum Regum, quod fusius narrant eruditissimi scriptores nuperi historiæ Occitaniæ. Huic autem conjecturæ standum, necne, nostra non est inquirere; quum aliunde constet, utramque urbem in notitiis omnibus recenseri. Deinde observat, quod Gothi a duabus Aquitaniis, & a Novempopulania per Clodovæum expulsi, Tolosam quoque urbem Regni sedem

Marc. Hisp. lib. 1. cap. 15.

Ibid. lib. 3. cap. 14.

ſedem amiſerunt, quæ contributa fuit Aquitaniæ, quare illius Epiſcopus eſſe cœpit Suffraganeus Metropolitæ Bituricenſis. Quid vero immoror Recentiorum obſervatis? Præſtantiſſimum porro argumentum, quod nec Toloſa, nec Ucetia ad Galliam Gothicam ſpectarint, eſt Concilium Toletanum III. ſi Arianorum tempora conſideremus; ſi Catholicorum, notitia Wambæ: ex iſtis quippe fontibus ſuam quiſque doctrinam derivat. Quamobrem fortaſſe aliquis putet minus plaudendum ſcriptori veteris diſciplinæ, qui Wambæ notitiam videtur terminum conſtituere ſubjectioni Ucecienſis Epiſcopi Metropolitæ Narbonenſi; dum uſque ab Arianorum ævo extra Galliam Gothicam fuiſſe Ucetiam teſtatur Toletana Synodus. Certe qui Agathenſis Concilii autoritate niti vellet, multo etiam ampliori ditione Gothos antea potitos eſſe affirmaret adverſus Marcam, quam Novempopulaniæ, & utriuſque Aquitanicæ: nam convenerunt ad id Concilium ante everſionem Toloſani Regni, ex tota Septimania Epiſcopi, verbiſque his apertiſſimis ſubjectionem Arianis Regibus teſtantur ipſo in exordio: *Quum in nomine Domini ex permiſſu Domini noſtri glorioſiſſimi, magnificentiſſimique Regis* (Alarici) *in Civitate Agathenſi S. Synodus conveniſſet, ibique flexis in terram genibus pro regno ejus, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaretur &c.* Et in fine actorum Cæſarius Arelatenſis ita ſubſcribit: *Ego Cæſarius in Chr. nomine Epiſc. juxta id quod univerſis Epiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, inſtituta Patrum ſequutus, his definitionibus annuens, ſub die quinto Cal. Sept. anno* XXII. *Regis Alarici ſubſcripſi*. Ecquis autem ignoret, tum temporis Arelatenſi Epiſcopo, tanquam Vicario S. Sedis, quidquid Gothorum erat in Galliis, cum Septimania omni paruiſſe? Quemve eruditorum prætereat, quod Cæſarii, cæterorumque Epiſcoporum officium erga Alaricum Regem eo ſpectat, quia in urbe Agatha ad illius regnum pertinente, fuerant congregati? Cæterum nulla Gallicanis tum Epiſcopis cum Hiſpanis conjunctio erat. Quæ profecto cauſa eſt, cur neque Agathenſe Concilium inter Hiſpanica recenſeatur, neque ante Gothos Reges Catholicos Narbonenſis provinciæ Antiſtites adſcribantur Hiſpaniæ. Gothorum vero Regibus eſſe obſequutos Septimaniæ Epiſcopos, mirum ei tantum videbitur, qui neſciat Francorum hauddum Regum fuiſſe inibi potiores partes, quum id Concilium celebrabatur. Itaque Agathenſe Concilium nullatenus adverſatur eruditiſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi, qui optimo meritoque jure Toloſam quoque & Ucetiam Regno Gothorum in Galliis adimit ipſa ex Narbonenſi prima, quam hodie dicimus Occitaniam,

Thomaſs. p. 1. lib. 1. cap. 41. n. 15.

Concil. Agath. an. 506. in exord.

DISSERT. III. CAP. I. niam, ita enim docet Concilium Toletanum III. quo argumentum firmius desiderari non potest.

XIV. Suevorum Regnum provincias Eccl. Bracar. & Emeriten. disturbat.

Quumque jam ostenderim quidquid Gothorum erat in Galliis, quod satis est ad res Ecclesiasticas provinciæ Narbonensis per septimum seculum agnoscendas; necesse est modo, ut quinti, sextique seculi Ecclesiasticas provincias in continenti Hispaniæ subjiciam oculis, a dispositione Civili Romanorum nonnihil diversas. Quæ eas inter primo barbarorum ingressu divisionem passa est, ut monebam, Carthaginensis, & Lusitania, seu Emeritensis, solæ videntur Constantinianam ordinationem exuisse. Quandoquidem illam in duas divisam esse provincias animadvertimus; hanc vero, magna ejus parte a Suevis abscissa, minorem multo est inspicere Arianorum ævo, quam quæ a Constantino facta erat. De utraque aliquid occasione data delibavi; at quæ feci mihi reliqua, opportune hîc expendam necesse est, ne postmodo de Ecclesiæ rebus disputanti unoquoque gressu in Civilis Hispaniæ dispositionem convertenda oratio sit. Ac primum de Lusitania, sive Emeritensi provincia. Hæc inter Bæticam, & Bracarensem, seu Gallæciam constituta, non est dubium, quin Durio flumine a Gallæcia, Ana vero a Bætica disjungeretur a tempore Constantini. Postquam autem in Gallæcia Suevorum Regnum stetit, non modica ea pars Occidentalis Lusitaniæ, quæ Tago, Durioque fluminibus intercipitur, Suevorum in ditione esse cœpit, præter Olyssiponem. Idque est evidens ex Divisione Diœceseon in Concilio Lucensi facta, Theodomiro Rege; nam *Lamecum*, *Conimbria*, *Viseum*, *Egita*, *seu Egidita* Urbes Lusitaniæ, tribuuntur Bracarensi. Quare ante id Concilium, in quo nova Metropolis Lucus est instituta, Bracarensis magnum illud acceperat incrementum ex Lusitaniæ diminutione. Ac proinde quidquid hæc amisit, acquirens illa, novam & ipsa formam induerat. Verum nova ea Metropolis multo plures Bracarensi civitates ademit, quam quas ipsamet Lusitaniæ eripuerat; nam eadem Metropolis *Lucus*, *&* *Iria*, *Auria*, *Tude*, *Asturica*, *Britona* provinciam separatam constituentes, antiquam Bracarensem maxime angustam effecerunt, nec partis Lusitaniæ subsidio Constantinianam amplitudinem recuperavit. Distingui tamen tempora oportet, itaut, ante Concilium Lucense anno 569. celebratum, dum Reges Suevi Ariana labe infecti erant, Bracarensem provinciam Lusitaniæ dicta parte ditatam, æque amplam fuisse, ac totam Suevorum ditionem intelligamus; at post Concilium angustis iis limitibus circumscriptam reputemus, qui ablatis sex nuper laudatis urbibus remanent ultra Durium, antiquum terminum Bracarensis Constanti-

ſtantinianæ; deinde novam quove acceſſionem Emeritenſis illi adjunctam ſi ſpectemus, nullatenus priſcæ amplitudini reſtitutam eſſe comperiemus. Quamobrem quod Suevi Reges Ariani, ſuam protendentes ditionem citra Gallæciam, attulerunt incrementum provinciæ Eccleſiaſticæ Bracarenſi, id poſtmodo abſtulerunt Catholici nova excogitata diviſione provinciarum. Quæ omnia, quanquam rerum potientibus Gothis Catholicis, ad conditionem priſtinam redierunt; tamen ſerio animadverti debent, tum quia mutatio illa totum id ſpatium temporis comprehendit, in quo diſſertatio verſatur; tum quia Bracarenſis primatus quodlibet fundamentum ſuam inde ducit originem.

XV. Idem factum erat de Carthaginenſi prov. tum Civili, tum Eccleſiaſtica.

Retorquendus modo erit ſtylus ad Carthaginenſem provinciam; at quoniam lector ægre admodum ferret, inſtaurari per me quæſtionem illam celebrem de duplici hujus provinciæ Metropoli, tum Civili, tum Eccleſiaſtica: eapropter eumdem orans, ut redeat in eorum memoriam, quæ alibi diſputavi, hîc dumtaxat referam quæ & priora illa confirment, & provinciam Eccleſiaſticam Carthaginenſem Arianis Gothis regnantibus ob omnium oculos ponant. Primo impetu barbarorum in duas partes diviſam eſſe hanc provinciam demonſtrans, putare ajebam nonnullos, bipertito etiam diviſam juriſdictionem Eccleſiæ, itaut Antiſtitum pars Toletano Metropolitæ, pars Carthaginenſi ſubjicerentur. At opinionem hujuſmodi unico hærentem fundamento Hectoris Epiſcopi Carthaginis ex fide aliquot Codd. appellantis Metropolim ſuam ſedem, objectis aliis Codicibus, exſufflavi; deinde Regio decreto prolato Metropolitæ Toletani inſcitiam aperui, qui Carpetaniæ provinciæ Metropolitanum ſe appellarat in Concilio Toletano III. Sed ſciſſa vere fuerit provincia, & Epiſcopi pro civili adminiſtratione in partes duas dividerentur: quodnam veterum documentum extat, contra Canones inſtitutæ hujus novæ Metropolis in Carthaginenſi, ut factum liquet in Bracarenſi? Profecto nullum. Propria igitur autoritate illi Epiſcopi, qui primum Alanis, deinde Gothis Arianis paruerunt, falſum ſibi caput fingere auſi erant: caput ſcilicet nec tempore Suevorum Regis Theodomiri, cui notitia illa antiquior tribuitur, nec Wambæ Regis Catholici, cujus autoritate nititur notitia recentior, cognitum. At enim vetuſta illa Metropolim Carthaginenſis provinciæ habet Toletum, cujus inter ſuffraganeas Carthaginem recenſet; diviſio autem Wambæ deſolatæ jam ſedis ejus mentionem non facit, niſi quum fines Urgi Diœceſi præſcribit. Equidem dicam quod ſentio, qui provinciæ Carthaginenſis Antiſtites in duas partes diviſos alios Metropolitam alium agnoviſſe putant, eodem errore duci mihi videntur, atque

que ii, qui Concilium Toletanum anni 610. & Gundemari decretum ejusdem ævi interpretantur confirmationem Primatus Metropolitæ Toletani in toto Gothorum regno. Seria enim utriusque inspectio clam nemine esse patitur, & de Metropolitica autoritate contra schismaticos Episcopos Comprovinciales rem esse; & eosdem Episcopos non Metropolitam sibi novum elegisse, sed veterem detrectare ausos contra statuta Canonum, abutentes nimirum conniventia Principum. Perspicua omnia fient spectatis ipsis Concilii, & Decreti verbis perperam in aliam, aliamque, pro scribentium arbitrio, sententiam detortis.

XVI. Quod documentis certis comprobatur. *Conc. Tol. an.* 610.

Anno itaque 610. ex tota provincia Carthaginensi Episcopi in regia urbe congregati *pro religione*, ut ajunt, *& fide*, temperaturi in posterum *ab illicitis*, fatentur primum omnium unanimes, Toletum *anteire potestate & meritis* cuivis Ecclesiæ comprovinciali; idque non ab se recens declarari, sed multo antea fuisse declaratum affirmant Synodali sententia (nempe in Concilio Toletano II. an. 527.) Quod sane documentum, nullo antiquiori suppetente, non institutæ Metropolis, sed vetustatis ejus probandæ gratia ab iis afferri, ex ipsis eorum verbis intelligo: *jamdudum*, ajunt, *existere antiquorum Patrum Synodali sententia declaratur*. Deinde illicitas Episcoporum ordinationes citra Metropolitani ejusdem assensum factas improbantes, talia deinceps non facturos se promittunt, anathemate innodatum iri decernentes, quicumque sancita hujusmodi violaverit: *Ne quis ultra comprovincialium Sacerdotum inani, ac perversa contentione obnitatur hujus sacrosanctæ Ecclesiæ Toletanæ primatum contemnere: neque pervicaci schismatum studio ad summos Sacerdotalium infularum ordines, remota hujus sedis potestate a nobis quempiam, sicut hactenus factum est, provehere. Talem itaque specialiter a nobis ac successoribus nostris deferri dignitatis honorificentiam huic Ecclesiæ pollicemur, qualem in decretis sanctorum Conciliorum beatissimi Patres Metropolitanis Ecclesiis decreverunt .... Sane quiquumque ex nobis vel successoribus nostris hæc statuta transcenderit, anathema sit Domino nostro Jesu Christo, atque culmine Sacerdotali dejectus perpetuæ excommunicationis sententia prædamnetur*. Eadem multo etiam dilucidius videre est in regio Decreto: nam Gundemarus damnare non veretur prædecessorum suorum licentiam, quæ ansam dedit Episcopis miscendi ordinem: *Nonnullam*, ajens, *in disciplinis Ecclesiasticis contra Canonum autoritatem per moras præcedentium temporum licentiam sibi de usurpatione præteriti Principes fecerunt: ita ut quidam Episcoporum Carthaginensis provinciæ non vereantur, contra canonicæ autoritatis sententiam*

tentiam passim ac libere contra Metropolitanæ Ecclesiæ potestatem, *per quasdam fratrias & conspirationes inexploratæ vitæ omnes Episcopali officio provehi*, *atque hanc ipsam præfatæ Ecclesiæ dignitatem imperii nostri solio sublimatam contemnere*; *perturbantes Ecclesiastici Ordinis veritatem*, *ejusque Sedis autoritate*, *quam prisca Canonum declarat sententia abutentes*. Quia vero non omnes Episcopi comprovinciales, sed ii dumtaxat, quos divisio civilis provinciæ, & conniventia Principum velut acephalos reddiderat; accedente insuper Euphemii subscriptione Concilio Toletano III. qui vigente tunc abusu compulsus, Carpetaniæ se Metropolitam nuncupaverat, Sacrorum Canonum contemtores fuerant; iidemque fortasse aliquid mussitaverant de nova erigenda Metropoli in parte illa provinciæ, quam Schismatici Episcopi administrabant, quod fieri vetabant Canones, ut sæpe diximus, prudens Princeps ambitum Episcoporum distinguit: *Neque*, inquiens, *eamdem Carthaginensem provinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine contra Patrum decreta permittimus dividendam*, *per quod oriatur varietas Schismatum*, *quibus subvertatur fides*, *& unitas scindatur*. Postea Euphemii damnata ignorantia, quam Baronius vocat modestiam, *Ob hoc*, prosequitur, *quia una eademque provincia est*, *decernimus*, *ut sicut Bætica*, *Lusitania*, *vel Tarraconensis provincia*, *vel reliquæ ad regni nostri regimina pertinentes*, *secundum antiqua Patrum decreta*, *singulos noscuntur habere Metropolitanos*; *ita & Carthaginensis provincia unum eumdemque*, *quem prisca Synodalis declarat autoritas*, *& veneretur Primatem*, *& inter omnes comprovinciales summum honoret Antistitem*. Hanc veram utriusque monumenti sententiam esse omnes vident: quare mihi tot argumentis aliorum aliis confutandis insistere nec lubet, nec vacat.

XVII. Chronologia Regum Gothorum, Arianor. & Suevor. Catholicor.

Hæc satis mihi esse videntur ad tenendas Hispaniarum provincias non modo civiles, sed etiam Ecclesiasticas Arianorum tempore. Subjiciam hîc Regum Gothorum ejus ævi Chronologiam ex S. Isidoro, & aliis, Suevorum quoque Catholicorum ætatibus non neglectis, prout extant apud Aguirrium To.2. Concilior.Hispan.pag.292.

Anni Ær.	*Anni Chr.*	*Reges Gothorum Ariani.*	*Reges Suevorum Catholici.*
449.	411.	1. *Athaulphus* succedit Alarico, & regnat A.6.	*Theodemirus*, qui ante triennium regnare cœperat, hinc annos regnat 29.
454.	416.	2. *Sigericus* cæso Athaulpho levatur, &, quia pacis amans, occiditur. 3. *Wallia* succedit, regnat A. 3.	

A. Ær.	Anni Chr.	Reg. Gothor. Arian.	Reg. Suevor. Cathol.
457.	419.	4. *Theudoridus* regnat A. 33.	
478.	440.		*Rechila* regnat A. 7.
486.	448.		*Recciarius* regnat A. 9.
490.	452.	5. *Turismodus* fil. regnat A. 1.	
491.	453.	6. *Theudoricus* cæso fratre regn. A. 13.	
495.	457.		*Masdra* regnat A. 3.
498.	460.		*Frumarius* regnat A. 4.
504.	466.	7. *Euricus* cæso item fratre regn. A. 17.	Centum fere annis Ariana labe imbuti Reges silentur.
521.	483.	8. *Alaricus* fil. regn. A. 23.	
544.	506.	9. *Geselicus* fil. nothus regnat A. 4.	
549.	511.	10. *Theudoricus* Jun. R. Italiæ regnat tutorio nomine A. 15.	
564.	526.	11. *Amalaricus* nepos regnat A. 5.	
569.	531.	12. *Theudis* regnat A. 16. m. 5.	
586.	548.	13. *Theudisclus* regn. A. 1. m. 7.	
587.	549.	14. *Agila* regnat A. 5.	
592.	554.	15. *Athanagildus* invasor regnat A. 15.	
596.	558.		*Theodemirus*, seu Ariamirus Cathol. regnat A. 6.
605.	567.	16. *Liuva* regnat solus A. 1. qui altero Regni anno socium sibi asciscit	
606.	568.	17. *Leovigildum* fratrem. Hic primus omnium sedem figit Toleti, ubi moritur regni anno 18.	*Miro* regnat A. 13.
620.	582.		*Eboricus*.
622.	584.		*Andeca* tyrannus a Leovigildo dejicitur: regnum Suevor. deficit.

CA-

CAPUT II.

Ecclesia Hispaniarum Seculi V. & VI. a S. Innocentio I. ad S. Gregorium M.

I. Origo, natura causæ Vicariatus Apostolici.

SUMMAM Romani Pontificis potestatem in universam Ecclesiam ex calamitatibus provinciarum repeti oportere, factis magis quam verbis demonstravi, quum Lateranense Concilium Stephani III. in lucem edidi. Verum quæ Gallicanorum Præsulum subjectio S. Sedis autoritatem testata est, ea cum periclitantis Ecclesiæ Hispaniarum Antistitum potestate ab ejusdem Apostolicæ Sedis fonte derivata nullatenus potest comparari. Ibi enim de Metropolitarum obedientia, & subjectione supremæ Romani Pontificis potestati agebatur: hic de supremæ ejusdem Pontificiæ potestatis parte ab ipsomet communicata Episcopis nonnullis agendum est. Jam vidimus adolescentis administrationem Ecclesiæ ab omnium primo Romano Pontifice, & Apostolorum Principe D.Petro in tres Patriarchatus divisam; quarto autem seculo jam adultæ (percommoda accedente civilium provinciarum dispositione) in iisdem Patriarchatibus constitutos plures administratores: itaut civilium instar Magistratuum provinciæ singulæ eum Episcopum, qui erat in urbe Metropoli, tanquam caput agnoscerent; idemque sollicitudinem totius provinciæ gereret. Quod ut ubique servaretur, unanimi Episcoporum consensu in Conciliis stabilitum ostendimus. Tres præterea minores Patriarchas, seu Exarchos Ephesi, Cæsareæ, & Heracleæ in Oriente conspeximus quarto eodem seculo: In Patriarchatu vero Occidentis nullam omnino præstantiorem Metropolitica dignitatem institutam fuisse aut decretis Pontificum, aut Conciliorum, compertum exploratumque est ante quintum Ecclesiæ seculum. Sola Diœcesis Illyrici Orientalis, quæ ad Romanum Patriarchatum spectabat, prius etiam quam seculum quartum excederet, Thessalonicensem Antistitem autoritate Metropolitis præire didicit, quum Damasus Acholio, Siricius Anysio potestatem in ejus Diœcesis Tractu præcipuam fecerunt, necnon Anastasius eidem Anysio confirmavit, ut Successor ejus S. Innocentius testatur: *Sanctæ*, inquiens, *memoriæ Damasus, Siricius, atque supramemoratus vir ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem te decet recognoscere*. Ipsius nihilominus præstantiæ Thessalonicensis jacta dumtaxat fundamenta a laudatis Pontificibus videntur, ut Scriptor novæ & veteris disci-

Holsten. Coll. Rom. pag. 42. & seqq.

Thomassin. P. I. l. I. c. 18.

DISSERT. III. CAP. II. disciplinæ observat. Quare epochem præstantioris hujusce autoritatis, quam Vicariatum Apostolicum appellamus, jure ad quintum seculum revocamus: ac proinde institutoris Innocentii verba ex eodem Holstenio audienda: *Ita longis intervallis disterminatis a me Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ, gravitatique tuæ committendam curam, causasque, si quæ exoriantur per Achajæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Moesiæ, Dardaniæ, & Prævali Ecclesias, Christo Domino annuente, censeam.* Ex his, & ex nuper allatis Sancti Pontificis verbis certam originem, naturam, & causas Vicariatus agnoscimus. Quinto, ad summum quarto exeunte seculo natus, moriente Pontifice desinit, nisi confirmetur a Successore: merita deinde Episcopi, cui conferatur, requirit, & locorum præcipue distantiam.

Holst. ibi. pag. 48.

II. Exemplis eà omnia confirmantur.

Easdem sane causas eamdemque naturam videmus fuisse Vicariatum Apostolicorum, quos Thessalonicensis exemplo in Hispaniis, & Galliis Romani Pontifices instituerunt. Ita Simplicius qui omnium primus hanc potestatem dedit Metropolitæ Hispalensi Zenoni, talibus eum verbis alloquitur: *Plurimorum relatu comperimus, dilectionem tuam fervore Spiritus Sancti ita te Ecclesiæ gubernatorem existere, ut naufragii detrimenta Deo autore non sentiat. Talibus idcirco gloriantes indiciis congruum duximus Vicaria Sedis nostræ te autoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apostolicæ institutionis Decreta, vel Sanctorum terminos Patrum nullo modo transcendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus divinus crescere innotuit cultus.* Et S. Hormisda pari cumulans dignitate S. Remigium Remensem: *Id operatum*, inquit, *te esse didicimus, quod ceteris agendum obnixius imperamus; ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, & Apostolicæ Sedis vigorem, & Patrum regalis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne Regnum dilecti, & Spiritualis filii nostri Ludovici, quem nuper adminiculante superna gratia, plurimis, & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam comitantibus cum gente integra convertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis, quæ Metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti autoritate committimus: augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias...... Quoties universale poscit religionis causa concilium, te cuncti Fratres evocante conveniant: & si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide, & veri-*

Simplic. Pp. Ep. 1.

S. Horm. Pp. Ep. 1.

veritate constitutum, vel provida dispensatione praeceptum, vel personae nostrae autoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Idemque Pontifex in literis ad Joannem Illicitanæ Ecclesiæ Episcopum, quibus eodem hunc munere impertit: *Probasti*, ait, *dilectissime frater, quo Christianam fidem veneraris affectu, dum ea, quae ad regulas Patrum pertinent, & ad mandata Catholica, sine aliqua cupis transgressione servare..... Remuneramus sollicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicae sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea quae ad Canones pertinent, sive ea quae a nobis sunt nuper mandata serventur, sive ea quae de Ecclesiasticis causis tuae revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur.* Denique idem Pontifex Vicaria item potestate prosequens Sallustium Hispalensem Metropolitam: *Suffragantibus*, inquit, *tibi tot meritis piae sollicitudinis & laboris, certe jam delectat injungere quae ad nostri curam constat officii pertinere, ut provinciis tanta longinquitate disjunctis & nostram possis exhibere personam, & Patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras per Baeticam, Lusitaniamque provincias, salvis privilegiis, quae Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas, praesenti tibi autoritate, augentes &c.* Ut supra ad Remigium. Et infra: *Quidquid autem illis pro fide, & veteribus constitutis vel provida dispositione praecipies, vel persona nostrae autoritate firmabis, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat, ut noster animus officii caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti.*

Idem Ep. 24. a. 541.

Idem Ep. 26.

III. Vicariatus non lædebat jura Metropolitarum.

Integras Summorum Pontificum sententias recitavi, ne aut confutandis doctissimorum tot virorum argumentationibus immiscerer, aut desiderandum lectori aliquid relinquerem. Quare ut omnia ad amussim conveniant, quod de Innocentii ad Rufum Thessalonicensem epistola Metropolitarum jura sarta atque tecta custodiri jubente præterivi, hic subjiciam: *Arripe itaque*, ait, *dilectissime frater nostra vice per suprascriptas Ecclesias salvo earum primatu curam; & inter ipsos Primates primus, quicquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud est finietur; aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus.* Itaque Vicariatum Apostolicum ejusdem naturæ esse & in Oriente, & in Occidente (ipsa quippe eademque Pontificia autoritas communicabatur utrobique) intelligimus. Personalis erat dignitas, ut aperte S. Gregorius Magnus definit: *Quas videlicet vices non loco, sed personae tribuimus*: propterea Zenonis, Remigii, Joannis, & Sallustii successores ea conspicui non fuerunt; dum contra Thessalonicenses omnes tali

Holsten. ubi sup. pag. 49.

Lib. 2. Ep. 4.

Dissert. III. Cap. II. tali honore fruebantur, quia singulis ab Apostolica Sede confirmabatur. Cessasse eam moriente Pontifice, cujus vices gerebantur liquido constat; nam uni Anysio confirmatam novimus ab Anastasio, & Innocentio, quam Siricius contulerat: tametsi Rufo eamdem non confirmasse videtur Bonifacius nisi postquam ejus exercitium illi commisit. Quidquid autem de hac re fuerit, certe unusquisque Thessalonicensis Episcopus Pontificio indigebat diplomate, ut Vicariam potestatem exerceret in provinciis Illyrici. Denique nil inferebat detrimenti Metropoliticis privilegiis, quemadmodum Pontificia suprema, potestatum omnium fons & origo, nihil iisdem adimit; sed ipsis præeminebat, unique Apostolicæ Sedi, cujus vices gerebat, subjiciebatur. Unus enim Romanus Pontifex nulli in terris potestati est obnoxius, idemque suam aliis autoritatem

S. Leo Ep. 84. cap. 1. communicans, non omnem in eos transfundit: *Vices enim nostras*, ajebat S. Leo transgressori Anastasio Thessalonicensi, *ita tuæ credimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*; ausus quippe erat, Pontifice inconsulto, Metropolitam veteris Epiri Atticum condemnare. Quæ res non minus autoritatem Anastasii Metropolitica majorem comprobat, quam ejus subjectionem Pontificiæ. Et in extremo Epistolæ capite, distinctionem hanc potestatis mirum in modum, comparatione usus

Idem ibi cap. 11. humani corporis, declarat. *Connexio*, inquiens, *totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam Sacerdotum, quibus etsi dignitas communis, non est tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & quum omnium par esset electio, uni tamen dictum est, ut cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo capite dissideret.*

IV. Primatis dignitas affinitatem habet cum Vicariatu.

Quo loco S. Pontifex orientalis dumtaxat Ecclesiæ exemplo utitur, quippe in qua præter Vicarium Illyrici, erant tres illi Exarchi, quorum obiter memini; nondum enim Constantinopolitanus Patriarcha vorare eos potuerat, erantque majores duo Patriarchæ, qui, Orientem quod spectat, putabantur præcipui causarum judices,

Conc. Chalc. Can. 9. quam rem Chalcedonense Concilium de Constantinopolitano recens instituto testatur: *Si Clericus adversus Clericum habet negocium, non*

non relinquat suum Episcopum, & ad secularia judicia non concurrat, sed prius negotium agitetur apud proprium Episcopum: vel certe si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud Arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra ipsius provinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus, sive Clericus habeat controversiam, pergat ad ipsius Diœcesis Primatem, aut certe ad Constantinop. regiæ civitatis sedem, at eorum ibi negotium terminetur. Ita enim e re catholicæ Ecclesiæ erat, ut Romanus Pontifex quæ supremam citra potestatem judicari poterant, ea minime ad se avocaret. Præterquamquod majoribus Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, & post S. Leonis tempora Constantinopolitano, & Hierosolymitano juris aliquid Exarchico majus fuisse omnes norunt. Quamobrem Scriptorum doctissimorum tantas de isto Canone concertationes nedum amplector, inutiles esse judico; verbaque Joannis Morini usurpare non dubito: *Commentariis opus non habent hæc verba. Primatem vides Metropolitano superiorem, quum de eo judicet, Patriarcha vero inferiorem quum ab eo judicetur.* Exercit. l. 1. Exerc. 15. Cæterum S. Leo solam haud dubie respicit Orientalem Ecclesiam ut Vicarii Thessalonicensis audaciam retundat. Quod planum erit, si spectetur oriens ævo Leonis; nam statim in oculos incurrunt *Alexandria, Antiochia, Heraclea, Ephesus, Cæsarea, Thessalonica*, majores nimirum illæ urbes, quarum Episcopi sollicitudinem suscipiebant ampliorem, quam Metropolitæ, perque eos universalis Ecclesiæ cura ad unam Petri Cathedram confluebat, cujus unius judicium est supremum, & infallibile, summaque in Patriarchas ipsos autoritas, quemadmodum tot eorum depositiones fidem faciunt. Nec mihi objiciantur Primatus Carthaginensis in Africa, & in Gallia Arelatensis Vicariatus; nam nec Carthago, neque Arelas quantumvis antea celebres, cum majoribus illis urbibus poterant recenseri Leonis tempore, tum quia capta a Genserico Rege Wandalorum Carthagine anno 439. antequam ille Pontifex crearetur, Primatus Carthaginensis pessumierat; tum quia Hilarium ipse dejecerat ex quovis Vicariatus honore; & in epistola ad Viennenses Episcopos aperte ostendit, nullum fuisse in Galliis Antistitem qui Exarchico jure fruitus esset, nisi brevi admodum tempore Patroclum, qui S. Sedi obrepserat, & idcirco spoliatus postmodo honore fuerat: quod evenit an. 417. Zosimo Pontifice. De ejus instauratione agam infra. *Nobiscum*, ait S. Pontifex, *vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia ..... Hilarius Ecclesiarum statum,* S. Leo Pp. Ep. 89. c. 1.

tum, & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit; ita suæ vos cupiens subdere potestati, ut se beato Apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem. Et infra *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, & id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, cur usurpat; quum & ipsum quod Patroclo a Sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum?* Ex quibus tamen liquet, quod Vicariatus Apostolicus, cujus rudimenta vidimus in Patroclo Arelatensi, affinitatem multam habuit cum Primatu: quare etiam jura utrique dignitati communia fuisse in alienis provinciis, quæ iis expresse subdebantur, Disciplinæ Scriptores observant.

V. Diversæ tamen dignitates sũt. Hanc porro affinitatem duo Scriptores eruditissimi Joannes Morinus, & Ludovicus Thomassinus ita interpretantur, ut Vicariatum, & Primatum unam eamdemque rem esse doceant. Quam sane doctrinam sileat licet Morinus unde hauserit; tamen ipsis in cunabulis rejectam novimus; nam Franciscus Bosquetus ejus æqualis loquens de Vicariatus Thessalonicensis confirmatione per M. Leonem facta: *Anastasio*, inquit, *Primatum confirmare vulgo creditur; licet magis suas vices ei solum demandare videatur: quod cum Primatus dignitate hisce diebus confudit vir doctissimus Joannes Morinus in suis exercitationibus, quas consule*. Thomassinus autem suæ opinionis originem nobis ostendit, dum teste utitur Isidoro Hispalensi, ut *Archiepiscopum*, *Primatem*, & *Legatum* seu *Vicarium Papæ* unum & idem esse affirmet. At Lucæ Tudensis Isidoriani Chronici continuatoris liberalissima ea titulorum farrago, qua prosequitur S. Leandrum, tam vasti, tamque multiplicis autorem operis decepit. Quare adhibenda ei quidem venia est, attamen ferri non debet, ut sistema per eumdem novum effingatur Primatialis dignitatis, quo alios in errorem trahat cum Ecclasiasticæ disciplinæ detrimento. Quod igitur docet, cœpisse Hispanos Primatis nomen antea Metropolitarum commune, facere eorum proprium quos Græci dicebant Exarchos, qui postea usus per totum Occidentem invaluerit, falsum omnino est, qua inhæret pseudo-Isidori Chronico; nam viginti post annos, ubi agebatur de mera Toleti Metropoli, novimus tum in Concilio, tum in Decreto Gundemari nullo discrimine Primatem, & Metropolitam appellari. Quod si animadverterat vir doctissimus, aqua ei non hæsisset, quum paulo infra factam Toletano Metropolitæ autoritatem suspiciens: *Eo*, inquit admirabundus, *potestatis nulli unquam venerant Primates*. Quia nimirum alte id animo ejusdem insedit, Vicariatum, & Primatum, nomi-

In lib. 15. Reg. Innoc. III. ep. 18.

De benef. p. 1. l. 1. c. 30. n. 3.

nomine tantum differre, non re. Id profecto uno in Romano Pontifice, qui Christi vices gerit, certissime comperimus, cujus tam Primatus, quam Vicariatus plenitudinem denotat potestatis in universam Ecclesiam: at cæterorum Episcoporum, vel si æqua Vicariatus ac Primatus præfulgeant dignitate, utraque enim potestas ab Apostolica Sede emanat; magnum id semper discrimen hunc esse illo præstantiorem ostendet, quod Vicariatus personæ adhæret, Primatus Sedi; ille ab unoquoque Pontifice confirmari debet, hic, semel concessus, est perpetuus, nisi gravi aliqua de causa a Supremo Ecclesiæ moderatore destruatur. Præterea Primatus unius naturæ est, Vicariatus multiplicis, ut Morinus idem est testis, qui sex illius genera in medium affert; nam pro minori, ampliorive potestate Vicariis facta, ea dignitas naturam mutat. Idque mox planum fiet Vicariatu Præsulum Hispaniensium attente considerato. *Exercit. l. 1. exerc. 10.*

VI. S. Turibii Asturicensis Vicariatus Apostolicus.

Primum Vicariatus specimen occurrit in S. Turibio Episcopo Asturicensi, Bracaræ Metropoli subjecto. Huic siquidem S. Leo Magnus demandat curam generalis Concilii convocatorias mittendi omnibus Episcopis Hispaniæ; aut (si generale Concilium a Pontifice indictum non liceat celebrari) præsidendi cum duobus aliis Episcopis Synodo provinciali Gallæciæ. *Dedimus*, ait, *literas ad Fratres & Coepiscopos nostros Tarraconenses Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallæcos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis autoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quominus possit celebrari generale Concilium; Gallæciæ saltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Hydacius, & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur*. Neminem latet quæstio illa multiplex de Idatii, & Ceponii Sedibus; de numero Conciliorum hac occasione celebratorum; & de pluribus S. Leonis epistolis in Hispaniam missis: quæ sane omnia, tametsi nihil attinet hic singillatim expendere; silentio tamen præteriri æquum non est. Fuerit igitur Idatius Lemicensis, ut vult Sigebertus, seu etiam Lucensis, ut auguratur Quesnelius, utrumque simul componente Aguirrio: certe non erat Metropolita, Concilii hujus tempore, ut liquet ex dictis superiori capite. Quæ autem argumenta Quesnelius affert ad Metropolim Lucum asserendam, minus sapiunt eruditi hominis ingenium. Conventus siquidem (nomen in Chronico Idatii frequens ut cum Concilio Toletano IV. can. 35. Gratiano, & Burchardo observat Ducangius) districtum ibi, seu Diœcesim Episcopi, non Concilium significat: Concilia enim jamdiu silebant in Hispaniis. Disciplina vero ordinandi Episcopos in Metropoli

S. Leo ep. 93. cap. 17.

Glossar. V. conventus.

DISSERT. III. CAP. II.

tropoli nondum in Hispaniis obtineoat. Agrestii demum Lucensis dissensionem, ne ordinarentur in sua Diœcesi Episcopi duo contra Canones, non video cur Metropoliticæ autoritatis argumentum interpretemur; quum certo constet de Lucensis Metropolis institutione. Perinde est de Ceponio, quem conjicit Quesnelius Bracarensem fuisse Metropolitam, dum certe Balconium fuisse non ignoremus, ut mox referam. Quamobrem temperandum mihi videtur ab inutili conjectura, nec quærendum, num Idacius certæ sedis Episcopus, forsitan Lamecensis, ut Jacobus du Breul affirmat, seu mavis Lucensis juxta interpretationem nuper allatam; & Coponius incertæ, jure Metropolitico præstantes fuerint: nam quidquid prærogativæ tribus iis Episcopis accessit, non Sedium, sed personarum merita pepererunt. De Turibio scilicet Pontificiæ ipsæ literæ satis superque loquuntur. Idacii vero & Ceponii singularem præ aliis Gallæciæ Præsulibus laudem testatur S. ejusdem Turibii Epistola contra Priscillianistas ad utrumque data.

Schol. in lib. de Vir. Ill. S. Isid.

VII. Quem obtinuit ob præclara in Ecclef. Hispan. merita.

Hujus sane Epistolæ postrema pars conceptis utrumque Præsulem hisce verbis alloquitur: *Vestræ autem existimationis, atque censuræ merito fuerit universa perpendere; & ea quæ sine ambiguitate veritati, ac fidei contraria videritis, cum aliis fratribus vestris, quoscumque vobis zelus Catholicæ religionis, vel pium studium sociaverit, illam excusationem spirituali gladio resecare, & ignito divini verbi virtute compescere*. Quare Baluzius aut falsam hanc epistolam putat, aut gloriam præclari facinoris in Turibium refundendam esse affirmat. Falsitatis nota omni eam purgat Aguirrius ostendens relatam in Codicem olim S. Æmiliani, nunc Scorialensem viginti ante annis, quam sua confingerent pseudo-Chronici. Atque ea propter dubitari non potest, quin præcipuæ hujus rei partes debeantur Turibio; & quin Idatius & Ceponius Gallæciæ Episcopi S. Leoni visi sint digni, qui Turibio adderentur socii in profliganda hæresi, quia eodem admonente didicisse illos novit Priscillianismi pravitatem, quam damnare in Concilio Fratrum credibile est cæpisse. Nec mihi objicias, unde id conjiciam: ita enim doceor laudatis Leonis literis: *Et epistolæ*, inquit, *sermo*, *& commonitorii series*, *& libelli tui textus eloquitur Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam*: nec aliud fuisse crediderim commonitorium illud inter scripta S. Turibii allatum ad S. Sedem, præter epistolam, qua de agimus. Quid enim? eo temeritatis devenerit merus Episcopus, ut Summo Pontifici commonitorium transmitteret? Annon potius quidquid ipse gesserat, S. Sedis autoritate firmari cupiens, omne per suum diaconum afferri ad Summum Pontificem curaverit? Nil plane luculentius comprobat meam opinionem,

Præf. Concil. ap. Aguir. to. 2. pag. 220.

Ep. ead. 93. in praamb.

nem, quam verba ipsa Turibii ad illos Præsules: *Itaque hæc non adhortatio autoritatis alicujus est, sed potius suggestionis instructio.* Inde autem est, quod S. Leo demandat Turibio, ut generalis Concilii celebrandi fatagat; sin tamen id liceat, non improbat consilium Turibii, habendi videlicet provinciale Concilium in Gallæcia, opera Idacii, & Ceponii; modo iisdem non desit ipsius Turibii præsentia, immo instantia, quod est rerum summam ei committere. Res tulit, ut aliquanto aliter, ac Turibii primum, deinde Leonis intentio fuerat, eveniret; nam Præsules Hispani extra Suevorum regnum habito aut conjuncte, aut separatim Concilio morem gesserunt præcepto D. Leonis, rectæque fidei professionem elicientes, ad Metropolitam Bracarensem, seu Gallæciæ transmiserunt, ubi Synodus celebrata jam fuerat, incertum, num præside Balconio Metropolita, qui, ut pronum est creditu, Idatii & Ceponii opera errores Priscillianismi deposuerat, ac propterea Concilio juxta Canones provinciali per se ipse præesse debebat.

DISSERT. III. CAP. II.

S. Turib. ep. n. 3.

VIII. Demandato sibi munere Turibius plene fungitur.

Historiam hac illustriorem desiderari non posse ostendent monumenta vetera mox proferenda: Anno Ær. 599. Chr. 561. Theodemiri, sive Ariamiri regis Suevorum tertio, Synodus Bracarensis prima ab Episcopis Gallæciæ, Lucretio Metropolita præside celebrabatur. In ea vero Lucretius idem centum & quatuordecim post annos de re nostra loquens: *Credo*, ait, *vestræ beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ secta venena serpebant, beatissimus Papa urbis Romæ Leo, qui quadragesimus fere extitit Apostoli Petri successor, per Turibium Notarium Sedis suæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam, scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque, & Bætici, facto inter se Concilio, Regulam fidei contra Priscillianam hæresim, cum aliquibus Capitulis conscribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt.* Laudata autem fidei Regula, quæ cum dictis capitulis numero octodecim Concilio Toletano I. perperam assuitur, ita habet: *Incipit Regula Fidei Catholicæ contra omnes hæreses, & quam maxime contra Priscillianos, quam Episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, & Bætici fecerunt, & cum præcepto Papæ urbis Romæ Leonis, ad Balconium Episcopum Galliciæ transmiserunt.* Huc accedit ipsius Idacii in partem sollicitudinis vocati testimonium, quo uberrime prædicta comprobantur: *Hujus* (Leonis) *scripta per Episcopi Turibii diaconem Pervincum contra Priscillianistas ad Hispanienses Episcopos deferuntur. Inter quæ ad Episcopum Turibium de observatione Catholicæ fidei, & de hæresum blasphemiis disputatio plena*

Conc. Brac. I. præfat.

Conc. Tol. I. in fin.

Idac. Chron. Olymp. 306.

 diri-

Dissert. III. Cap. II.

dirigitur, quæ ab aliquibus Gallæcis subdolo probatur arbitrio. Ex quibus illud etiam ab autore Synchrono agnoscimus, quod idem ille Diaconus Pervincus, qui Epistolam, commonitorium, & libellum Leoni ex Hispaniis tulit; idem ille inquam, Roma in Hispanias retulit & responsum Turibii literis, & præceptum, seu Encyclicas Hispaniensibus Præsulibus de celebrando Concilio: nec secus esse poterat. Qui enim demandaret Leo Turibio, ut Encyclicas illas circumferri curaret, nisi misisset? *Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis autoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur.*

IX. Falso aliqui detrahunt Turibio Astur. alio excogitato Turib. Notario S. Sedis.

Hic vero mirari illud subit, quod Paschasius in notis ad hanc epistolam Leonis 93. sibi 15., Card. Aguirrio plaudente, duos Turibios, unum Asturicensem Præsulem, S. Sedis Notarium alterum ab Ambrosio Morales excogitatos adoptaverit; præterea concilia, & Epistolas Leonis ratiocinando multiplicaverit. At enim præter decretalem Epistolam ad Turibium, & Encyclicas ad Episcopos summo veterum monumentorum consensu minime dubias, non recte mihi videtur Paschasius, tantæ vetustatis nimis serus interpres, cogitatione alias amplecti, ductus scilicet verbis nuper allatis Lucretii Metropolitæ Bracarensis: *Per Turibium Notarium Sedis suæ ad Synodum Gallicia contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit.* Vidisse enim poterat, quod idem Lucretius continuo subdit, quatuor provinciarum Episcopos misisse professionem Fidei Metropolitæ Balconio, non Synodo, quæ dissoluta jam erat. Ecquis autem non videat, Gallæciæ Præsules, tum quia studium ardens Turibii eos præmonuerat; tum quia summa rerum erat penes Comprovincialem Antistitem; tum demum quia Catholicæ religionis Regi Rechilæ obtemperabant, facili negotio congregari potuisse, statimatque Leonis literæ illuc pervenerunt? Dicam melius: Ecquis non affirmet, Gallæciæ Præsules, Idacio & Ceponio agentibus, Turibii consilium adimplesse, multoque ante Leonis literarum adventum in Synodo detestatos esse Priscilliani hæresim; ita ut Turibius mittens iisdem literas Pontificias ita se gesserit, ut fecisse Innocentium vidimus erga Synodum Toletanam, ad eos nimirum illas dirigens, qui hæresim in Synodo condemnarant? Profecto id suadent Lucretii verba. Nequicquam vero Paschasius nova concilia, novasque epistolas ratiocinando obtrudit, quas allata omnia monumenta non solum tacent, sed aperte negant. Duo illustranda Paschasio fuerant, quæ illum in levissimas tot conjecturas abripuerunt: cur nempe Turibio tribuatur nomen Notarii Sedis Apostolicæ; & cur Bætici Episcopi in S. Leonis literis sileantur, dum Lucretius in Synodo Bracarensi; & Professio fidei ad Balconium missa,

ſa, pro Gallæcis Bæticos nominant; & Idacii Chronicon ad Hiſpanienſes in genere Epiſcopos, quorum pars non modica erant Bætici, Leonis literas eſſe datas teſtatur. Quumque id non præſtiterit, ne ratiocinia ſua infirmarentur, ut arbitror, noſtra erit de iis aliquid afferre ut res per ſe clara nova luce illuſtrior fiat.

X. Nam qui in vet. monum. dicitur Notar. idem ipſe eſt Aſturicenſ. Epiſcop.

Ad Notarios quod attinet, non unius eoſdem generis fuiſſe olim, compertum eſt, atque exploratum. Alii enim Regionarii; alii S. Sedis; alii Pontificii nuncupati in monumentis Annalium inveniuntur. Porro Turibium Lucretius vocat Notarium S. Sedis: *Leo per Turibium Notarium Sedis ſuæ ſcripta direxit*: Cujuſmodi etiam erat Caſtorius S. Gregorii Magni tempore: *Caſtorio Notario Sanctæ, cui Deo autore præſidemus Eccleſiæ*: & Paterius, de quo alia in epiſtola loquitur hiſce verbis: *Hanc autem epiſtolam Paterio Notario Eccleſiæ noſtræ ſubſcribendam dictavimus*. Quibus ex Gregorii verbis pronum eſt aſſequi cur Lucretius appellarit Notarium Turibium Aſturicenſem: quia videlicet Leonis literæ ad Synodum Gallæciæ traditæ ſubſcriptionem præ ſe Turibii ferebant. Idque evidens eſt ex S. Leonis epiſtola Turibio eidem: *Ad tuæ*, inquit, *dilectionis ſollicitudinem pertinebit*, *ut noſtræ ordinationis autoritas ad prædictarum provinciarum Epiſcopos deferatur*. At enim quem prætereat, curam rei omnem, generalis, localiſve concilii nimirum congregandi in Turibium rejici? Eſto: tranſmiſerit in Hiſpaniam Pontifex, nedum præcepti ſui, ſeu convocatoriæ exemplum ſingulare, quamplura ejuſdem exempla: num propterea epigraphes nomen hujus, illiuſve Antiſtitis præferentes Leo ipſe poſuerit? Nil minus. Didicerat is ſiquidem, monente Turibio, ipſos Epiſcopos aliqua ex parte hæreſi laborare: quamobrem ſe oſtendiſſe ait, *quam non ſit ferendum*, *ſi tam profanis erroribus etiam quorumdam Sacerdotum corda conſentiunt*, *vel* (*ut mitius dixerim*) *non reſiſtunt*: contra vero alios *ſollicitius agere*; at quinam in provinciis utriuſque eſſent generis, non erat monitus, præter Idacium & Ceponium in Gallæcia, quorum merita agnoſcens, voluit, ut Concilio & ipſi cum Turibio præſiderent, provinciali videlicet, non generali, quod, congregari ſi licuiſſet, Metropolitam ſeniorem noſſe Præſidem oportebat. Quamobrem quæcumque illius Apoſtolici præcepti exempla ad Epiſcopos pervenerunt, Turibii nomine, S. Leonis autoritate, munita erant. Nec ſecus in Tabulario Eccleſiæ Bracarenſis invenit Lucretius; a quo nihil mirum, poſt centum quatuordecim annos appellari Turibium Notarium S. Sedis, aut ex mera literarum Pontificis ſubſcriptione a Notariis fieri ſolita, id eruerit, aut vere S. Turibius ignota nobis ex cauſa Notarium ſe ſubſcripſerit: id certe maxima dignum admiratione eſt, quod Ambroſii

S. Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 54. & l. 4. ep. 25.

brosii Morales conjecturam viri eruditissimi amplexi sint, Paschasius, qui tot excussis codicibus S. Leonis operum, ne minimum quidem vestigium novæ hujus epistolæ nactus, tamen pro certa eam obtrudit; & Card. Aguirrius, qui sua in collectione maxima edidit Codicem Canonum & decretorum Ecclesiæ Hispanæ antiquæ, qui nec in libro ultimo agens de Priscillianistis, neque ullo in alio loco aliam præsefert Leonis Epistolam de iis hæreticis, præter illam celeberrimam ad Turibium. Equidem, tametsi pro certo habuerim binas tantum literas hac occasione Pervinco Diacono datas ad Turibium, quarum quæ erant Encyclicæ ad quatuor provinciarum Episcopos, non extent; tamen eruditissimos Viros, qui absolutissimam S. Leonis operum editionem adornant hac in alma Urbe, Codd. plurimis, ac præstantissimis ex ultima antiquitate petitis, adhibeo testes hujus rei, prædictas nimirum Encyclicas non extare.

XI. Cui S. Sedis autoritas tota in Hispania tribuitur in causa Priscillianismi dumtaxat.

Quod vero spectat ad Episcopos *Gallicos*, quos nonnulli minus recte Gallicanos interpretati sunt, quia nimirum S. Isidori historiam Suevorum aut non viderunt, aut neglexerunt, Gallæci enim inibi *Gallici* nuncupantur; forte a temeritatis nota non abesse videar, si contra tot codicum fidem non Gallicos, sed Bæticos legerim. At certe ita persuasum mihi volunt Professio fidei laudata, & Lucretii Bracarensis recitata sententia; ita etiam suadet ipsa ratio. Quid enim opus erant Gallæcis literæ Pontificiæ, satagentibus provinciæ illius rerum Idacio, & Ceponio, præque aliis Turibio, cui summa gerendorum demandabatur? Ita demum suadet Codex veterum Canonum Hispaniensium: Nullus siquidem conjecturæ adversus eum Codicem locus est. Audacia esset Decretalem aliam Epistolam imaginari, cujus nullum meminerit monumentum vetus. Quum præsertim vera certissimaque D. Leonis Epistola non sit prima Priscillianismi damnati, sed damnationis ab Episcopo Turibio factæ confirmatio, ut supremæ autoritatis robore accedente profligatam hæresim omnes detestarentur. *Quia ergo*, inquit Leo, *dilectio tua fideli quantum potuit diligentia damnatas olim opiniones decem & septem Capitulis comprehendit; nos quoque strictim omnia retractamus ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium*. Attamen Quesnelius quæ semel conjecit tuiturus, S. Turibii studium ardens, quod tantis prosequitur laudibus S. Leo, inutile omnino nobis venditare non veretur; ita ut novo uti Legato Pontificem oportuisse contendat, per quem ipsissima septemdecim Capita adversus eam hæresim in Gallæciam miserit. Neque enim aliud sibi vult notatio illa sua, quod Capitula Concilii Bracarensis I. deducta omnia sint ex ipsis capitibus literarum S. Leonis, nono excepto de filiis promissionis. Tam absurde sentiunt vel perspicacissimæ inge-

Ejusd. ep. 93. praef.

ingenia ubi a vera narratione rerum conjectando deflectunt! Ecquis autem credat Paschasio magis conjectanti, quam Codici veterum Canonum, in quem relatæ literæ illæ, non ad Balconium traditæ, sed ad Turibium conceptis verbis memorantur? Quæ quum ita sint, nullus dubito, quin pro *Gallicis* legendum sit *Bæticis*, quod non ratiocinando conjicio, sed ipsis ab Episcopis Bæticæ una cum Tarraconensibus, Carthaginensibus, ac Lusitanis Priscilliani hæresim detestantibus, juxta D. Leonis præceptum, edoceor.

XII. Hinc repetenda origo Vicariatus in Occidente.

Jam vero compertum est, quod omnium Hispaniæ Episcoporum primus S. Turibius Asturicensis, quamquam merus Suffraganens Metropolitæ Bracarensis, Apostolica autoritate munitus jurisdictionem aliquam exercuit in alienis provinciis, quod est proprium Patriarcharum, Primatum, ac Vicariorum S. Sedis; utut valde limitata jurisdictio ista fuerit, non enim excessit sollicitudinem adimplendi Pontificis mandata in Priscillianismi negotio. Verum hæc ipsa sollicitudo indicat Turibii Vicariatum, seu mavis delegationem Apostolicam; duo enim præcipue demandata fuisse patet ex supra allatis exemplis, sollicitudini Episcoporum, quibus Apostolicæ vices committebantur; Decreta videlicet Summorum Pontificum, & Canones Conciliorum. Horum autem primum a S. Leone commendatum esse Turibio perspeximus; tametsi vices suas aperte non tribuerit Pontifex illi Episcopo, quemadmodum successores fecisse vidimus nonnullis Hispaniarum Præsulibus. Hinc est, quod Apostolicum Vicariatum appellare non sum ausus hanc novam, inauditamque antea potestatem uni Episcopo in Hispaniis factam, sed specimen Vicariatus. Quod si reputemus Vicariatus Thessalonicensis initia, quum Damasus & Siricius Dignitatis ejus institutioni præluserunt, quam postea S. Innocentius fundavit; nulla prorsus dubitatio erit, quin facultas concessa Turibio per Leonem, prolusio fuerit Vicariatus in Patriarchatu Occidentis a Simplicio primum instituti. Quin etiam certam hujus novæ dignitatis in occidente originem, seu potius Epochem stabilire possumus Alipio, & Ardaburio Coss. anno nimirum Chr. 447. quum dabantur Leonis literæ ad Turibium, quemadmodum naturam causasque ejus, Thessalonicensis esse similes demonstravimus. Et sane en tibi ipsissimas causas faciendæ potestatis amplioris Turibio, quas concedendi certi Vicariatus habuisse Pontifices intelleximus: *Quam laudabiliter*, ait Leo, *pro Catholicæ fidei veritate movearis, & quam sollicite Dominico gregi devotionem officii Pastoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant*. Quæ si conferas cum Simplicii ad Zenonem Hispalensem epistola, qua Vicarium suum illum constituit, nullum porro discrimen invenies. Qua-

Ead. ep. 93. in præf.

DISSERT. III. CAP. II. Quare meam cur rejicias opinionem non erit, fatearisque oportebit, non Simplicio, sed Leoni Vicariatus originem referri acceptam. Secus est, si utriusque potestatis naturam inspicias: magna siquidem discrepantia occurrit inter Turibii, & Zenonis autoritatem. Huic quippe non solum Pontificiæ Constitutiones, sed & Conciliorum Canones commendantur. Verum hanc ipsam Vicariæ potestatis discrepantiam spectare oportet, adversus doctissimi Joannis Morini opinionem, qui Vicariatum cum Primatu confundit.

XIII. Vicariatus Zenonis Metrop. Hispal.

Nec multi operis res erit; nam toto Arianorum ævo duos tantum Romanos Pontifices Simplicium, & Hormisdam vices suas tribuisse Hispaniarum Præsulibus compertum est; illum videlicet Zenoni Hispalensis Ecclesiæ Episcopo; hunc Joanni Illicitanæ, & Sallustio Hispalensis item Ecclesiæ Præsulibus. Zenonis Vicariatus quo anno institutus fuerit, incertum; nam Pontificiæ literæ characterem temporis nullum præseferunt. Eædem vero literæ calamitates Hispaniæ memorantes non obscure indicant, evenisse id, postquam Euricus tunc regnans, populatus anno 471. Gallias, victisque Burgundionibus, in Hispaniam sequenti anno conversus, indeque pulsis Romanis, totam fere Hispaniam præter Gallæciam suo subjugarat imperio. *Qua occasione*, Mariana inquit, *Catholici Ecclesiarum Episcopi loco movebantur, nullis aliis substitutis, minores Sacerdotes sublatis Rectoribus dissipabantur*. Hinc quippe non abludunt Simplicii verba: *Plurimorum relatu comperimus, dilectionem tuam fervore Spiritus Sancti, ita te Ecclesiæ gubernatorem existere, ut naufragii detrimenta, Deo autore, non sentiat*. Quandoquumque autem eam dignitatem sit adeptus, moriente Pontifice eadem excidit; nec Simplicii Successor Felix III. (oblata licet occasione honorem confirmandi, quum Terentianus Hispanus multa cum illo colloquutus fuit Romæ de Zenonis meritis, epistola etiam ad eum impetrata) nllum adhibuit verbum, quod Vicariatus confirmationem redoleret. Nec mihi objiciatur Rufus Vicarius Illyrici ab Innocentio constitutus, quem non constat a Zosimo esse confirmatum, neque a Bonifacio, nisi postquam ei commisit dignitatis exercitium primis literis. Quamvis enim brevem Zosimi Pontificatum Pelagiana hæresis ex Africa, & dissidia Gallicanorum Præsulum maxime sollicitarint, ita ut sit incertum, an Vicariatum Thessalonicensem confirmaverit; tamen hujus successor Bonifacius, tum secundis literis præclare testatur honoris confirmationem Rufo: *Te*, inquiens, *omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicæ a nobis creditas recognosces*; tum primis fassus erat, certum esse ex frequentibus Scrinii Apostolici documentis, quod ea potestate conspicuus erat Thessalonicensis Episcopus, ac proin-

Hist. Hispan. lib. 5. c. 5.

Collect. Holst. p. 1. pag. 56.

proinde ejusdem illi exercitium demandat: *Quod*, ajens, *quidem & dilectionem tuam in eos ex nostra præceptione facere volumus*: Idque, ut verum fatear, confirmatæ autoritatis non obscurum mihi argumentum videtur.

XIV. Vicariat. Sallustii Metropol. item Hispal. & Joannis Illicitani.

Quid vero immoror demonstrando rem, cujus certa cognitio vix, immo ne vix quidem quicquam promovet? Fruitus sit Zeno dignitate illa, quoad vixit. Quid? Successorne Zenonis pari autoritate præstitit Summorum Pontificum Gelasii, Anastasii, Symmachi beneficio? Nil minus. Quin etiam, quod maxime notari velim, anno circiter 529. dum Theudoricus Rex Italiæ in minori ætate nepotis Amalarici administrabat, per Præfectos, Wisigothorum regnum, S. Hormisda Metropolitam alium Hispalensem, Sallustium nomine, Vicarium suum constituit, nulla penitus mentione facta Zenonis, quod solenne erat concessionum ejusmodi, ut testantur literæ Pontificum, præsertim Thessalonicensibus, & Arelatensibus Episcopis, quæ disciplinam referunt ætatis in qua versamur: at perinde ac inauditum esset nomen Vicariatus in Sede Hispalensi, officium illi omne singillatim expendit. *Et licet*, inquit, *de singulis non indigeas edoceri, quem jam probavimus cautius universa servare; gratius tamen esse solet, si iterum trames ostendatur, & laboris injunctio superius formata monstretur. Paternas igitur regulas, & decreta a sanctis definita Conciliis omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus*. Quæ quidem duo munera ante annos circiter quadraginta Simplicius Zenoni commiserat, in Bætica dumtaxat provincia: quare Hormisda Sallustii jurisdictionem extendens in Lusitaniam, privilegia Metropolitica servari jubet sarta atque tecta, quod moris erat quotiescumque Romani Pontifices in alienas provincias Vicariorum autoritatem effundebant, ut supra vidimus prolatis exemplis Antistitum Remensis, & Illicitani. Præterea tum Hispalensi Sallustio, tum Joanni Illicitano id Pontifex injungit, ut instructionem mittant ad S. Sedem eorum quæ Vicaria hac autoritate gesserint, quam rem Thessalonicensibus etiam Episcopis demandatam fuisse constat. Quamobrem omne amovetur dubium, quin uterque Antistes eorum ex numero esse cœperit, *qui sollicitudinem susciperent ampliorem*, ut Magni Leonis utar verbis non semel laudatis, *per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo capite dissideret*. Quin etiam Hormisda luculentissime id testatur in epistola eadem ad Sallustium, quod in alia ad Joannem non fecerat: *Relevantes*, ajens, *nostras ejusdem remedio dispensationis excubias*. Proindeque illi etiam committit, ut *quoties universalis poscit religionis causa ad*

Hormisd. ep. 26.

S. Leo ep. 84. cap. 11.

Concilium te cuncti fratres evocante conveniant. Puta ex Bætica & Lusitania, eaque Civitatibus illis quatuor fortasse mutila, quas Suevi, ut ajebam superiori capite, Regno suo adjecerant, nullam quippe jurisdictionem intra id regnum ei concedit; nullamque in cæteras duas Hispaniæ provincias, quas ad Vicariatum Illicitani pertinuisse negaverit omnium nemo; dum Joannes, perinde ac Sallustius privilegia Metropolitica servare jubetur intacta. Quod sicui anceps videatur, quia in epistola ad Joannem data anno 417. nullæ nominatæ erant provinciæ, ita ut Vicarius videretur constitutus tota in Gothorum ditione Hispanica; ex ipsa illa circumscriptione jurisdictionis Sallustii, jurisdictionem Joannis intelligat.

XV. Discrimen autorit. inter prædictos Vicarios Apostolicos.

Vicarios Apostolicos in Hispania tres aliis, mihi vero quatuor, quippe qui Turibium non rejicio, Turibium ipsum Asturicensem, Zenonem Hispalensem, Joannem Illicitanum, & Sallustium pariter Hispalensem proposui, cum ea, quam quisque ab Apostolica Sede obtinuit, potestate. Quam varia ista fuerit, omnes vident. Turibio siquidem decretorum S. Sedis in tota Hispania sollicitudo demandatur. Zenoni, præter Pontificia decreta, Conciliorum quoque canones commendantur in sola provincia Betica. Joanni datur facultas in alienas provincias, at eximuntur Metropolitarum privilegia, rerumque ab eo gestarum significatio injungitur, ad S. Sedem transmittenda. Perinde fit Sallustio, ei præscribendo jurisdictionis terminos, ac præterea jus convocandi Episcopos alienæ provinciæ ad Concilium concedendo. Quamobrem non est dubium, quin, si alii constituti essent Vicarii, alia quoque genera Vicariatuum suppeterent una ex Hispania: nam Romani Pontifices de plenitudine potestatis eam Episcopis facultatem concedunt minorem, amplioremve, quam Ecclesiastica provinciarum negotia coucedendam suadent. Contra vero Episcoporum Primatus, utquumque affinitate cum Vicariatu conjunctus, unius, at diversæ admodum naturæ est. Qua quidem de maxima inter utramque dignitatem discrepantia hic disputarem; nisi Hispaniæ rebus percipiendis Arianorum tempore inutilem rem fore intelligerem de Primatu seu Exarchatu sermonem instituere, quem certo certius est, neque autoritate, nec nomine fuisse cognitum duobus iis seculis, quum rerum potiebantur Ariani. Interim vero silentio præterire non potui nec debui tum Joannis Morini, tum Ludovici Thomassini, virorum cætera Ecclesiasticæ rei scientissimorum, hallucinationem. Uterque enim sus deque habito, nedum Turibii Asturicensis, Joannis Illicitani Vicariatu, quem tamen vidimus iisdem causis meritorum, iisdemque conspicuum privilegiis, atque Hispalensis, nobis obtrudere non verentur, quod Hispali Primatus extitit

titit in alias Hispaniarum Metropoles, qui postea translatus fuerit Toletum. Quam porro (doctrinamne an supinitatem appellem, ignoro) nullo alio argumento confirmant, præter concessiones Vicariatus a Simplicio primum Zenoni, deinde Sallustio ab Hormisda factas. Quasi vero si instar Thessalonicensium, seu Arelatensium Præsulum, Hispalensibus Romani Pontifices Vicariatum confirmassent, testes futuræ non essent eorum literæ. Sed diluendis falsis rebus facta, non verba sunt opus.

XVI. Falso nonnulli Primatum inde arguunt. S. Symmac. Pp. ep. x.

Anno Chr. 514. Senatore Cos., Symmachus postremo sui Pontificatus anno, mense Junio, scripsit Epistolam Cæsario Arelatensi, in qua conceptis hisce verbis diluitur fundamentum istud levissimum Primatus Hispalensis in Hispaniæ provinciis: *Manentibus*, ait, *siquidem his, quæ Patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus, ut circa ea, quæ tam in Galliæ, quam in Hispaniæ provinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ fraternitatis invigilet: & si ratio poposcerit præsentiam Sacerdotum, servata consuetudine, unusquisque tuæ dilectionis admonitus autoritate conveniat. Et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin existentis negotii qualitas ad Sedem Apostolicam, te referente perveniat.* Et infra: *Et in hac parte magnopere te volumus esse sollicitum, ut si quis de Gallicana, vel Hispana regionibus, Ecclesiastici Ordinis, atque officii ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat.* Hæc satis superque esse mihi videntur ad primum illud Zenonis exemplum rejiciendum; non quod Zeno Vicarius S. Sedis haud fuerit, sed quod Vicariatus ille suus jam cessaverit, palam iisdem facto. Dilui nunc oporteret exemplum aliud, nempe Sallustii: at quemadmodum tota ex antiquitate Hispaniensi ne minimum quidem indicium exercitii collatæ sibi autoritatis Sallustium reliquisse, compertum est, quem certo scimus Vicaria dignitate fuisse conspicuum; ita vanum prorsus esset ejusmodi aliquid expiscari post Sallustium, nullis Pontificiis literis ducibus, nulloque aut Bæticæ, aut Lusitaniæ concilio existente, unde Præsul saltem aliquis Hispalensis eruatur. Secus est de Joanne Illicitano, qui uno eodemque tempore vices Apostolicas gerebat in Hispaniis. Hic siquidem præclare in demandatum sibi munus incumbens, quæ ad S. Sedem referre jussus erat, diligenter retulit, nobisque certum commissæ sibi autoritatis argumentum reliquit. Liquido id constat ex Epistola ejusdem Hormisdæ, quam biennio post Vicariatus concessionem scripsit ad omnes Episcopos Hispaniæ. Quandoquidem de Joanne sic loquitur: *Inter ea, quæ notitiæ nostræ Joannes frater, & Coepiscopus noster studio Ecclesiasticæ utilitatis ingessit, hoc quoque pro affe-*

Hormisd. ep. 51.

Dissert. III. Cap. II.

affectu Catholicæ fidei & Apostolicæ Sedis veneratione consuluit; quo ordine ex Clero Græcorum venientibus tribui deberet sancta communio .... laudo propositum viri hoc zelo circa fidem, & Apostolica instituta ferventis .... satisfacientes igitur & laudabilibus desideriis memorati viri, & memores nostri, sicut oportet, Officii; documenta quæque de Ecclesiæ scriniis assumentes ad Concilium vestrum pro generalitatis instructione direximus. Deinde epistolæ inserit libellum Joannis Constantinopolitani, seu fidei professionem ab eo factam, per Bonifacium S. R. E. Notarium e scrinio eductum, qui videlicet regula esset, qua uterentur Hispani Episcopi circa communionem Orientalium.

XVII. Sed nequicquam eum demonstrare conantur.

Equidem doctissimi Card. Aguirrii hæc tribuentis Joanni Constantinopolitano, magna cum Illicitani injuria, consilium non assequor, nec lubet inquirere, cur Episcopis Hispanis adscribat consultationem Joannis ejusdem Illicitani: literæ enim Pontificis luculentissime testantur, quod unus Joannes consilium petiit, quamvis rescriptum Pontificium universos Episcopos Hispaniarum amplectitur. Quod profecto moris erat Apostolicæ Sedis, ubi admonebatur Ecclesiastica de aliqua causa per Vicarium Pontificis in regionibus longe dissitis, aut etiam ab alio Episcopo, antequam Vicarii constituerentur, instruebatur; cujus rei quæ suppetunt ex Hispania exempla jam attulimus; temperamusque in re satis nota ab externis. Cæterum quo indiciis clarioribus Illicitani Vicariatus agnoscitur, eo densioribus obvolutus tenebris Hispalensis reperitur; itaut neque eruditio maxima, neque studium ingens, præsidium ullum attulerint nupero Hispalensis Ecclesiæ dignitatis antiquæ assertori, ut, præter certissimas Vicariatus concessiones duas nuper memoratas, aut exercitii quicquam, aut novæ largitionis suppositum saltem documentum proferret. Quare ad sacrum Pallium descendit S. Leandri, quod S. etiam Isidoro missum hariolatur; veraque falsis admixta omnia adoptans, Vicariatus certos antiquos cum incerta Sanctorum Fratrum autoritate conjungens, Hispalensem Cathedram aliis omnibus præstantiorem fuisse ante Saracenos contendit. Quæ nos opportunius ad trutinam revocabimus, demonstrantes brevius fortasse, quam fieri posse videatur, nec S. Leandrum fuisse institutum Vicarium a S. Gregorio Magno, qui solo honoris, & benevolentiæ titulo Pallium ei concessit, nec S. Isidorum assequutum esse unquam id sacrum indumentum: utrumque autem sanctimoniæ, doctrinæque laude Hispaniensibus aliis Præsulibus, non autoritate præivisse. Verum, ut ajebam, Vicariatus isti omnes tam varii, tam breves nequicquam usurpantur ad Ecclesiæ alicujus prærogativam ædificandam. Namque (ut quæcumque hucusque dispu-

gavi;

tavi, paucis complectar) Turibius, Zeno, Joannes, Sallustius, ob præclara eorum merita, remunerationis ergo a Summis Pontificibus Vicarii Apostolici sunt instituti; at Pontificum eorumdem cum morte, illa dignitas, nullo confirmante cessavit; estque incertum, an Metropolitæ Zeno, & Sallustius autoritatem exercuerint; dum ex adverso Turibius, & Joannes meri Episcopi Suffraganei, eum certissime exercuerunt.

XVIII. Hierarchicus tamen ordo in Hispaniis incrementum habuit.

Tenemus jam Hispaniarum Ecclesiam V. & VI. seculi, non modo Episcopis, ut tribus prioribus ante Constantinum seculis, ac Metropolitanis per quartum seculum, conspicuam; sed Apostolicas etiam vices gerentibus Præsulibus illustrem. Quare ut autoritate Scriptoris gentilis definiam illius administrationem Arianismi tempore, quadripartitum eum Ordinem Episcoporum considero, quem S. Isidorus noverat, Patriarcham inter, & Metropolitanum aliam dignitatem, præter Archiepiscopalem non constituens, quem Apostolicum vicariatum appellat. *Ordo*, inquit, *Episcoporum quadripartitus est, idest in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis. Patriarcha græca lingua summus Pater interpretatur, qui primum idest Apostolicum retinet locum....sicut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus. Archiepiscopus græce, dicitur summus Episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quam Episcopis cæteris.* Quorum ex numero quatuor nuper laudatos existere non obscure ostendimus, præmissa instar speciminis potestate, quæ fiebat Thessalonicensibus Præsulibus, ne ulla suboriretur suspicio, num privilegia vicariatus occidentalis ejusdem naturæ essent, tametsi non omnia omnibus, sed plura, pauciorave arbitrio Romani Pontificis, pro Ecclesiastica regionum conditione concedebantur. Hunc vero Hierarchicum Ordinem Hispaniarum, calamitatibus earundem referri acceptum clam nemine esse potest: quæ, ut alibi me demonstrasse ajebam, sunt præstantissimum Supremæ potestatis Romani Pontificis argumentum. Sicut enim navis nullis agitata fluctibus, nautarum opera, quacumque discurrens, Gubernatoris pene inutile reddit imperium; ita pacatis atque tranquillis Ecclesiæ rebus, suprema Pontificis potestas videtur quiescere, Metropolitis provinciæ suæ; Parochiæ, sive, ut nunc dicimus, Diœcesis Episcopis singulis satagentibus. At si procellis turbetur mare, erroribus vexationibusque affligetur Ecclesia, tunc summi Rectoris imperium agnoscitur. Planius hoc fiet ex iis quæ mox dicemus.

Orig. l. 7. cap. 12.

CA-

CAPUT III.

De Disciplina Ecclesiæ Hispaniarum a S. Innocentio I. ad S. Gregorium Magnum.

I. De Vicariatu item nonnulla.

POSTQUAM de Ecclesiastica Hispaniarum Hierarchia dixi; continuo ad disciplinam earumdem explorandam accederem necesse esset. Certum nihilominus mihi est, atque deliberatum ad Ecclesiasticam disciplinam non ante aggredi, quam Tarraconensibus Episcopis, aliisque plurimis rationem reddidero, cur gloriæ sedis Tarraconensis detraxerim, Joannem illum, quem collectiones omnes Conciliorum, literarumque Pontificiarum editiones Tarraconensem dicunt, Illicitanum appellans. Jure illi quidem mecum expostulant; nulli enim eruditorum ante hunc diem in mentem venit Vicariatu isto, utquumque non diuturno, nec cum Sallustii Hispalensis vicariatu comparando, Metropolitam Tarraconensem exui posse: præterea suspicio quædam incessit illorum animos, num forte hanc ego gloriam Tarraconensi eripuerim dolo malo; ut nimirum, quemadmodum silentio documentorum usus esse videor ad enervandam Hispalensis Metropolitæ prærogativam, (quæ falso creditur;) ita nunc Tarraconensis, quæ una superest, præstantiam adjecerim, ut undique liberam ingrediar viam ad Toletanum Primatum, de quo hucusque nihil dictum fuit. Quamobrem, tum meam ut integritatem vindicem, tum ut suspicionem lectori omnem amoveam clandestinæ artis; rem, quæ primo adspectu videtur nova, in apertum proferam, non meis ex thecis, sed ipsis ex monumentis Hispaniensibus, quæ ab impostorum manibus evaserunt.

II. Ro. Pont. nullo discrimine Episcoporum meritis concedebat vices suas.

In Codice veterum Canonum quem ab Aguirrio editum recensui, *lib.*1. *tit.*51. hæc legere est: *De commissa vice Apostolicæ Sedis, aliisque præceptis. Quod Thessalonicenses Episcopi vices Apostolicæ Sedis impleverint. Et quod correptioni adhibenda dilectio; nec pro minimis causis facile exercenda damnatio. Epist. Leon. ad Anastas. tit.* 1. 69. *De commissa vice Apostolicæ Sedis. Epist. Simplicii ad Zenonem Hispalensem ex integro* 79. *De directis institutis, & vice commissa. Epistola Hormisdæ ad Joannem Illicitanæ Ecclesiæ Episcopum. Ex integro* 91. *Ut contra hæreticos libentius, & majori intendat autoritate, personam suam jubet induere. Epist. Hormisdæ ad Epiphanium. Ex integro* 96. *De commissa vice per Bæticam, & Lusitaniam. Epist. Hormisdæ ad Sallustium, ex integro* 95. Hinc vides confirmari omnia, quæ superiori capi-

capite amplexus sum; omnes enim Hispaniarum Vicarii enumerantur, præter Turibium, quem ego abusive Vicarium appellavi; quia Leonis vices gessit in re Priscillianismi. Præterea vides, Romanum Pontificem, quæ est suprema ejus potestas in universam Ecclesiam, perinde Epiphanio Patriarchæ Constantinopolitano, ac Joanni Illicitanæ Ecclesiæ Episcopo demandare suas vices, non præstantiorum sedium merito, sed studio erga religionem, quo quilibet arderet Episcopus, pensi habito. Quare Hispalensem Ecclesiam, quæ semel, iterumque tali in religionem studio incensos Episcopos habuisse gloriatur, Metrópolibus idcirco aliis Hispaniarum præferri ab inscio aliquo Ecclesiæ rerum, quis non ægre ferat? Quis non fastidiat novæ prorsus disciplinæ magistros Pallii munere, quod S. Gregorius Leandro misit, abutentes, ad prærogativam ejusdem sedis ratiociniis eruendam? Suo hæc reservantur loco magis opportuno; hic tamen abs re non erit indicare, quod non modo nulla huic Sancto Præsuli Metropolitica major jurisdictio conferebatur per Pallium, in quo tunc temporis nulla inerat, ut ostendam; verum etiam sacrum id indumentum aliorum naturam munerum uno eodemque tempore a S. Pontifice transmissorum præsetulit: nec secus est visum antiquis iis Præsulibus, qui nondum communicatam Pallio jurisdictionem nosse non poterant. Quapropter ejusdem cod. libri decimi titulo ultimo, qui est *de muneribus missis*, ita legitur: *De clave corporis B. Petri, & de Cruce Domini missa, & de Pallio ad Leandrum Episcopum directo*. Cave autem putes genus hujusmodi unum ævo S. Leandri circa Pallium obtinuisse; alia enim minimum duo erant genera, quæ doctissime expendit Teodoricus Ruinartius in dissertatione omnium, quæ hucusque venerunt in lucem de Archiepiscopali hoc insigni, eruditissima: at certe Pallium Divi Leandri, tum codice veterum canonum, tum præsertim S. Gregorii binis literis testibus, primi ejus generis fuit. Atque hæc obiter dicta sunto; Illicitanæ enim Ecclesiæ Episcopus, quem codicis autoritate Joanni Tarraconensi substituo, ad intermissam demonstrationem me revocat.

III. Proinde tam Metropol. Hispalensi, quam Illicitano Ep. eas confert.

Quamquam discrimen illud maximum, quod inter Tarraconensis, & Illicitanæ Sedis nomina intercedit, satis superque ostendit, hujus, non illius Episcopo commissas fuisse Apostolicas vices; tamen nisi ostendero ipsius Hormisdæ, qui eas commisit, testimonio, Illicitanum Episcopum, non Tarraconensem tali ornatum esse munere, nonnihil scrupuli erit reliquum: quippe æqualem Joannis Illicitani fuisse Joannem Tarraconensem constat, quum anno 516. celebrarit cum suis comprovincialibus Concilium Tarracone, & anno sequenti Concilio alii, Gerundensi nimirum, præfuerit. Lubentissime

DISSERT. III. CAP. III.

tissime igitur id præstabo, facili, parabilique utens methodo, ut nuda emergat veritas, nullis argumentorum fucis illita. Anno Aer. 554. Chr. 516. VIII. Id., seu die 6. mensis Novembris habetur Tarracone Concilium; aliudque sequenti anno VI. Idus, seu die 8. Junii mensis; bidui nempe post septem menses elapsos a celebratione primi. Quæ in utroque de vita, & moribus Clericorum, ac de sacris ritibus & cæremoniis decernuntur, missa faciam, quippe quæ huc non spectant. De Episcopis vero hæc statuit Synodus Tarraconensis septem capitibus: Ut seu in Metropoli consecrentur, seu post menses duos ante Metropolitam se sistant: ut non judicent die dominico: ut renuentes ad Synodum venire convocati a Metropolitano, communione priventur; ut diœcesim quotannis visitent: ut pro judiciis non accipiant munera: ut presbyteros laicosque nonnullos ad Synodum venire moneant: denique de moriente Episcopo ab intestato. Gerundesis autem sextum dumtaxat canonem pro Episcopis condit, decernens ut conjugati ab Episcopo usque ad subdiaconum aut ab uxoribus segregati vitam agant, aut si cohabitare cum iis voluerint, testem semper habeant suorum morum alterum fratrem. Medio autem inter utramque Synodum tempore, quinto videlicet mense exeunte post Tarraconensem S. Hormisda dedit epistolam ad Joannem, IV. non., seu die 2. mensis Aprilis, quæ procul dubio ante Synodi Gerundensis post menses duos celebrationem, in Hispaniam pervenerant; dederat enim Pontifex Joannis Diacono Cassiano proficiscenti una cum generalibus constitutis ad omnes Hispanienses Ecclesias, quæ idem Joannes flagitaverat. Conferamus nunc constituta ista cum Synodorum decretis nuper allatis. *Joannis fratris, & Coepiscopi nostri*, præfatur Pontifex, *nobis insinuatione vulgatum est, contra Canonum reverentiam nonnulla præsumi*. Postea multis sanctissime doctissimeque persequitur primo: Ordinationes Episcoporum faciendas juxta Canones: deinde insectatur simoniacam labem, quam inibi gliscentem audierat: tertio demum remedium affert tot ærumnis, præcipiens celebranda semel saltem quotannis Concilia absque ulla excusatione. Certe nulla horum cum illis similitudo est; adeout proclive sit creditu, Pontificem nullatenus de Joannis Tarraconensis consultatione loquutum esse.

S. Hormisd. ep. 25.

IV.

Quæ res, utpote nova, evidenter demonstratur.

Longe etiam clariora suppetunt eodem ex Pontifice; nam extat inter ejus Epistolas, quæ adhuc præfert Epigraphem Joanni Illicitano; quem depravator Isidorus mercator (deceptus obscuris literarum notis) *Melicitanum* legit, crediditque, ni ego fallor, nihil hinc olim detrimenti allatum iri Tarraconensi Vicariatui, ab se recens excitato per summam Illicitani injuriam (nisi forte nudum

dum nomen Joannis in priori nactus epistola, ad alium, præter Tarraconensem, non fuisse datam pro comperto habuit.) Verum ipsum illud Melicitani Episcopi nomen, quem certe occidentalem esse vel inde noverit, quod S. Pontifex certiorem illum fecit de rebus orientis; ipsam illam materiæ similitudinem, & cohærentiam cum præcedentibus ad Joannem literis; ipsam illam demum conjunctionem cum alia ad Hispanienses epistola, mirum est non persuasisse Isidoro isti, quod ad Hispaniensem illum Joannem data erat, ac proinde non poterat prior adscribi Tarraconensi. Quod si olfecerat, saltem, quod nostra ætate fecit Harduinus, *Malacitanum* legisset; atque id quidem, ut non recte, aliqua tamen cum probabili conjectura; nec fuisset in causa, cur tanta ad nos perveniret hujus sedis varietas, ut alii Melicitanam, alii militanam, alii miletopolitanam, perperam omnes, nuncupaverint. Quid autem dicendum erit de Cardinalis Aguirrii inofficiosa collectione, in quam tam multa inutilia congessit, præteriitque hujusmodi documenta referre, quibus nil aptius ad detergendas tot sordes rei Ecclesiasticæ Hispanorum? At enim quî bene de Hispaniensi Ecclesia dicatur meritus, quod omnium primus in lucem ediderit Codicem Veterum Canonum ex ms. olim Joannis Perezii, deinde Marchionis Mondexarensis doctissimorum virorum, si nullo delectu admittit quæ idem codex rejicit; quæ vero docet, fus deque habet? Libri decimi ejus cod. *tit.6.* conceptis hisce verbis de controversa Hormisdæ epistola sermo est: *Ubi de Communione Constantinopolitanæ Ecclesiæ scribens, ei gratulatur quod Justinus Augustus de fide S. Joannis acceptum destinaverit. Epistola Hormisdæ ad Joannem Episcopum Ilicitanæ Ecclesiæ ex integro.* Subjiciam ipsissima Pontificis verba, ut res fiat evidentior: *De qua parte*, inquit, *ut ad dilectionem tuam plenius perfectum gaudium perveniret, libelli Joannis fratris, & consacerdotis nostri Episcopi Constantinopolitani, & Justini clementissimi Principis orientis sacrarum literarum exemplaria pariter credidimus destinanda.* Porro exemplum libelli, & Epistolam Justini ad annum 519. pertinentes videre est post Epistolam Hormisdæ quadragesimam in Collectione Concilior. Labbæi. Quumque in nuper laudata Epistola Joanni jubeat Pontifex rem cum aliis Episcopis communicare: *Ea vero*, inquiens, *quæ significare curavimus, in eorum Sacerdotum, qui fraternitati tuæ vicini sunt, curabis perferre notitiam, ut & ipsi de effectu tantæ rei gratias nobiscum cælestis misericordiæ beneficiis referre non cessent*: hinc est, quod subjiciendam huic reor epistolam LI. ad omnes Episcopos Hispaniæ; cui adnectitur idem exemplum libelli Joannis Cp. quod laudatur in literis ad Joannem Illicitanum. Quæ vero est LXV. ad Episcopos Hispa-

Collect. Reg. Concil. to. 2.

S. Hormisd. ep. 64.

DISSERT. III. CAP. III.

Hispaniæ, tamdiu differenda mihi videtur, quoad priores illas, Joannis Illicitani opera, Hispanienses legerint, namque Hormisda per eam respondet gratulatoriis Hispanorum de pace Orientalium.

V. Expenditur Hormisdę Epistola 65. super ead. re.

Quod autem hanc ad Epistolam spectat, juxta Labbejanam, Regiamque collectionem LXV, Harduino vero VIII, & Aguirrio quartam; sicut ad Hispanienses datam Episcopos negare non ausim, ita postremæ parti assumentum aliquod a Pseudo-Isidoro adjunctum esse crediderim, nisi in Codice veterum Canonum, quo potiorem non habemus ducem in Ecclesiasticis Hispaniæ rebus explorandis, ita legerem, *lib.* 3. *tit.* 4. (qui est *de observatione canonum, & damnatione vetita præsumentium*) *Ut nullus privilegia antiqua convellat, sed in honore suo a Patribus decreta serventur. Rescripto Hormisdæ ad Episcopos Bæticæ ex integro* 97. Ex quibus non solum disco, Pseudo-Isidorum, qui S. Marcellino hanc Hormisdæ Epistolam, adjectis plurimis, adscripsit, non depromsisse e suis thecis postremam ejusdem partem; verum etiam intelligo, præferendam esse lectionem eorum codd. qui, pro Hispanis Episcopis, habent Bæticos, quod hucusque incertum fuit eruditis omnibus. Quidquid vero assumentum mihi videretur, citra codicis autoritatem, sunt ea quæ Marcellino adjudicare conflator Isidorus non est ausus, videlicet: *Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet literarum, oportuit quidem desideria plenius expedire: ut æstimatis omnibus responsum rationi congruum redderetur. Sed quia privilegiorum veterum, & statutorum paternorum indidistis iisdem literis mentionem; ad Sallustium fratrem, & coepiscopum nostrum sub hac parte rescripsimus, vobis quoque strictim quæ dicta sunt illis latius, indicantes, ne privilegia nobis indulta convellerent, & nihil tam conveniens fidei judicare, quam ut in honore suo a Patribus decreta serventur*. Equidem, dicam quod sentio, pura hæc ab omni nævo esse non judico. At enim, si Pontifex rescripsit uni Sallustio, quare ait: *quæ dicta sunt illis*? Manca vero sententia illa *convellerent*, & *judicare*; nonne plena esset, si *convellerentur*, & *judicaretur*, legeremus? Quod autem Harduino, aliisque, melior lectio visa sit: *a nobis indulta*, quam *nobis indulta*, est profecto quod mirer. Quæ enimvero privilegia Episcopis Bæticæ concessit Hormisda? num duplici eos subjectione affecisse, dum, præter Metropoliticam autoritatem, vicariatum concedebat Sallustio, privilegium interpretantur? Esto: privilegii loco habeatur; id tamen non erit vetus, immo nec Bæticis cognitum esse poterat: Sallustio enim super ea re Pontifex rescripsit iisdem ipsis literis, quibus suas vices ei commisit. At, ne inanem, quæso, ludamus operam; adeamus eas literas, ut privilegiorum cognitionem as-

S. Hormisd. Ep. 65.

sequa-

sequamur. *Certe*, inquit, *jam delectat injungere quæ ad nostri curam constat officii pertinere, ut provinciis tanta longinquitate disjunctis, & nostram possis exhibere personam, & Patrum regulis adhibere custodiam.... Paternas igitur regulas, & decreta a Sanctis definita Conciliis omnibus servanda mandamus.... Ibi fas, nefasque præscriptum est: ibi prohibitum ad quod nullus audeat adspirare: ibi concessum, quid debeat mens Deo placitura præsumere.* Hæc porro sunt privilegia Christi Domini voce concessa, sive ut cum Hormisda loquar, indulta Petro ejusque successoribus Romanis Pontificibus, proindeque vetera jure nuncupata: in universas Ecclesias autoritate pollere, supremamque in iis potestatem exercere, ut declarant sacri Canones, quorum iidem custodes sunt vindicesque acerrimi. *Idem Ep. 26.*

VI. Colligitur, quod Vicariatus nullum Sedibus privilegium afferebat.

Hinc est quod Pontifex se rescripsisse, ait Bæticis Episcopis, ad eorum Metropolitam Sallustium de privilegiis veteribus, & de statutis Paternis, quodque ei latius dixerat, illis breviter indicare, ne videlicet Privilegia S. Sedis convellerentur, & ut a Patribus decreta servarentur. Neque aliud ei commendat: *in his*, ait, *vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus*: ibi enim præscribitur, prohibeturque *ad quod nemo audeat adspirare*, quod esset S. Sedis privilegia convellere. Quamobrem imperitæ illa manus adjectio, quæ Apostolicæ Sedis privilegia vere convellit, ut Hispaniensibus tribuat, abradenda est; eorumque in numero argumentum hinc desumtum haberi debet, quæ aut studii causa, aut falsis instituta præceptis conficit turba, ubi summos Episcopos, Papas, Apostolicos, Apostolatum, Beatitudinem, præclara antiquitatis nomina offendit, meris Episcopis tributa, novum profecto argumentandi genus in rebus facti, quod ut ab hominum mente amandetur, vires mihi omnes ingenii adhibendæ essent, nisi analytica ab suscepta methodo ne minimum quidem recedendo veniri eodem posset. Et sane, quando etiam Hormisdæ privilegia Hispalensi Episcopo tribuerentur, quid inde assequutum hunc esse dixerimus? Nempe quod Illicitanæ Ecclesiæ (*Origuela* vulgo, seu *Alicante*, non enim certum) Episcopus Joannes, qui uno eodemque tempore, unam eamdemque autoritatem ab uno eodemque Pontifice obtinuerat, diligebatur, summoque habebatur in pretio ab Hormisda, ut vidimus, quod præsertim testatur post pacem Constantinopolitanæ Ecclesiæ ad illum scribens: *Vota*, inquit, *nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructu reddatur extorris*. Illud itaque affirmare pro certo possumus, quod sicut Primæ sedis, Primatus, ac Primatiæ speciosa nomina ante septimum seculum nihil aliud innuebant *S. Hormisd. Ep. 64.*

 præ-

DISSERT. III. CAP. III.

Dissert. de Pall. c. 13. §. 3.

præter metropoliticam dignitatem; ita vices Apostolicæ committi solitæ etiam Episcopis non metropolitis, ut Ruinartius ostendit exemplis Maximiani Syracusani S. Gregorii ævo, & Drogonis Mettensis Episc. per nonum seculum (quod & ego palam feci in Joanne Illicitano, necnon quodammodo in Turibio Asturicensi) nullam prorsus prærogativam Episcoporum sedibus intulerunt; sed cum Pontificis, aut ad summum Episcopi morte defecturæ, privatis Episcoporum meritis remunerandis concedi erant solitæ. Cujus rei præsentissimum testimonium affert Ruinartius in nuper laudato Maximiano; qui enim Episcopi eum præiverunt, successorque ejus immediatus Joannes, talem honorem adepti haudquaquam sunt. Nunc de disciplina.

VII. Obscura disciplina Hispan. tempore Arianorum.

Quænam disciplina esset Ecclesiarum Hispaniæ post Arianorum ingressum in ejus provincias, hinc erit conjicere, quod toto quinto seculo nullum extat celebratum Concilium, præter indictum a S. Leone Magno in causa Priscillianistarum, de quo jam satis dictum est. S. idem Leo penitus negare non videtur, convenisse quandoque Episcopos: ait enim in epistola ad Turibium: *Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio, exsequutiones legum tempestates interdixere bellorum, ex quo inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conventus*. Verum quum neque in codice veterum canonum, neque ulla in collectione ulla Synodus reperiatur; proclive est creditu, aut non convenisse unquam Hispanos Antistites, id licet aperte non affirmet prudentissimus Pontifex, aut, si forte convenerunt, nullum omnino Canonem condidisse. Quamobrem recte Cardinalis Aguirrius suppositionis sugillat concilium illud Bracarense anni circiter 411. quod suam in collectionem transtulit Labejus ex libri sexti cap. 2. Monarchiæ Lusitanæ Fr. Bernardi de Brito, qui post Baronii mortem scripsit; quare Spondanus ad an. 563. illius meminit. Fides tamen apud autorem relinquenda; nam cap. 3. ubi agitur de recondendis sanctorum reliquiis, ita legitur: *præcipue de patre nostro, & Apostolo hujus regionis Petro Ratistensi, quem ad salvandas animas Jacobus Domini consanguineus dimisit*: quæ principio hujus operis ne meo, alienoque otio abuterer, libere & cum stomacho ad Figlinam Pseudo-Chronicorum rejeci: quamquam vel Concilium istud aut prorsus novum, aut consarcinatum admittens, nullum inde emolumentum afferrem rei nostræ, quum professio tantum fidei posteriora referens tempora, & decretum de condendis reliquiis sanctorum, tota congregatorum Patrum occupatio fuerint. Quanta autem mala ex eo Conciliorum silentio evenerint, S. Turibius testatus erat Leoni, cujus rei testis ipse est in laudata epistola: *Invenit*,

venit, inquiens, *ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subversionem bis malis est incitata, quibus debuit esse correpta. Quæ vero illic, aut quanta pars plebium a contagione pestis bujus aliena est, ubi (sicut caritas tua indicat) lethali morbo etiam quorumdam sacerdotum corda corrupta sunt, & per quos opprimenda falsitas, & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani Evangelium subditur Christi.* Cujusmodi vero esset ista hæresis, qua nonnulli etiam Episcopi, ut ait Leo, contaminabantur, idem Pontifex initio docuerat: *Nibil est enim*, inquit, *sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quod in boc dogma non confluxerit, quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fœculentiam commiscuerunt: ut soli totum biberent, quicquid alii ex parte gustassent.* Una igitur in Priscilliani hæresi omnes hæreses comprehendebantur; præcipui vero errores erant Gnosticorum, Manichæorum, Arianorum, Sabellianorumque, quibus suos Priscillianus adjunxerat.

VIII. Hispania erroribus patens, Nestorianismũ admittit, cui depellendo aptus Episcopus non invenitur. *Aguir. Concil. to.2. pag. 195.*

Neque hi tantum errores in Hispaniis pervagabantur; sed quicquid novæ hæresis emergebat, in easdem admittebatur. Et sane ante Magni Leonis tempora, Nestorii duplicem in Christo personam asserentis, negantisque unionem hypostaticam impia hæresis eo penetraverat. Nullumque Episcopum inibi aut satis scientem, aut minus negligentem extitisse ea occasione testantur Vitalis, & Costantius Hispanienses presbyteri: *Sunt bic quidam*, ajunt Capreolo Primati Africæ, *qui dicunt, non debere dici Deum natum. Nam & bæc est fides eorum, hominem purum natum fuisse de Maria Virgine, & post bæc Deum babitasse in eo.* Deinde suam rectam ipsi fidem profitentur, eam testimoniis scripturarum confirmantes. Certa literarum ætas, nulla temporis nota existente definiri non potest, at non multo post illius hæresis damnationem in Concilio Ephesino Œcumenico III. datas esse, abunde ostendit Capreoli rescriptum: ibi siquidem hæc habentur: *Jam enim quod ad vestram notitiam pervenisse non dubito, intra orientis partes, ubi primum pestis ista surrexit, congregata gloriosa Synodo Sacerdotum (cui etiam legatio nostra non defuit) in vestibulo cum suo autore, atque adsertore compressa, & radio Apostolicæ lucis extincta est. Nec mirari debet caritas vestra, si etiam post damnationem suam inter morientes spiritus fætidus adbuc flatus adspiret. Est enim semper pertinax bæreticorum audacia, & in sua male pernicie, urgente peccatorum pondere perseverat. Quod si nondum forsitan cognovistis, facili lectione poteritis cognoscere.* In fine autem rescripti, qui est absolutissimus contra Nestorii hæresim tractatus: *Instate itaque*, ait, *sicut Apostolus præcepit, opportune, atque inopportune; & doctri-*

DISSERT. III. CAP. III.

doctrina sana universos errantes arguite, revocate, instruite, roborate; non mea, quæ nulla, aut parva sunt, babentes in hac fidei regula documenta, sed scripturarum divinarum, ac magnorum, & doctissimorum virorum, qui hæc ante nos & firmissime tenuerant, & multiplicibus libris eloquentissime docuerunt. Ex quibus tam perspicue constat, rescriptum postponi oportere Concilio, ut magnam me in admirationem conjiciat Aguirrius, utramque Epistolam illius celebrationi præivisse contendens. Huc præsertim accedit, quod, sicut certo scimus, Capreolum esse Episcopum Carthaginis per festa paschalia an. 431. quum allatis in Africam Theodosii literis ad Augustinum ut Concilium adiret, ille rescripsit de ejus morte, quæ superiori anno, dum Hippo obsidebatur tertio mense, contigerat; ita Aurelium, cui successit Capreolus, ex Marii Mercatoris libello observat Norisius in vivis esse anno 429. ac probabiliter tum ipsi, tum Augustino emortualem fuisse annum 430. erudite ostendit. Nec tantæ angustiæ temporis erant satis, ut Vitalis & Constantius tantam de illo æstimationem conciperent, quantam ipsimet suis literis testantur: *Reperit enim*, inquiunt, *parvitas nostra præcellentem famam, & doctrinam tuæ sanctitatis, per quam & scribimus beatitudini tuæ.* Quare Capreoli epistolæ incerta ætas constituenda est inter annum 432. & 439. quum Carthaginem Genfericus invasit; eratque inibi Primas Quodvultdeus. Nil enim promovet in causa facti argumentum Aguirrii, quod nempe non latuisset Hispanienses Catholicos, si Concilium fuisset habitum, quum aliunde constet, nullam ab Apostolica Sede Epistolam in Hispanias esse missam nullumque ab Hispaniis aut Episcopum, aut legatum in orientem migrasse, ut Diaconum Bassulam illuc cum mandato & literis Capreoli contendisse certissimum est.

Card. Nor. Hist. Pelag. lib. 2. c. 8.

IX. Neque Ephesini Conc. notitia illuc pervenerant, difficili eo tempore.

Quum vero Aguirrii hoc argumentum ejus generis sit, cujusmodi artificium nuper deplorabam, aliis licet plurimis Cardinalis (cætera eruditissimi) collectio scateat, operæ pretium fecero, si ostendam, quod notitia Concilii pervenire in Hispanias non potuerat. Nihil attinet huc referre quæstiones Novatorum jam profligatas, præsertim ab eruditissimo Ludovico Thomassino; præteriri tamen non debent verba Joannis Comitis in sua relatione Synodi Ephesinæ: *Œcumenica*, inquit, *Synodus, quæ universum Occidentem, cum magna vestra Roma, & Apostolico Throno, totam item Africam, & totum Illyricum in consessu suo habet:* Quibus si addantur alia Tractoriæ Theodosii ad omnes sub cœlo Metropolitas: *Pietas tua nonnullos quos idoneos judicabit, sanctissimos provinciæ suæ Episcopos simul secum adducat; ita ut neque necessarii sanctissimis ejusdem provinciæ Ecclesiis desint, neque ii rursum, qui ad*

Dissert. 10. in Syn. Ephes.

ad eam rem apti censebuntur in Sacra Synodo desiderentur: videbitur adhærendum Aguirrio, si enim undique convenerant Præsules, ne ex Hispaniis quidem deerant. Huc ratiocinando ducimur. Secus est, si spectentur facta: Nemo dixerit, præter Cyrillum Cælestini vices agentem, submissosque legatos Arcadium, & Projectum Episcopos, necnon Philippum presbyterum ab eodem Cælestino, Episcopos alios Ecclesiam Occidentis repræsentasse (ad Africam enim quod spectat jam dixi, Bassulam Capreoli legatione fungentem eo accessisse.) Quapropter omissis, quæ nullum latere arbitror, quum Synchroni tot scriptores, totque eruditi Recentiores de iis uberrime disputaverint; firmum ratumque id esse debet, ab Occidentali Ecclesia tres prædictos Pontificis Legatos Ephesi adfuisse, de quibus relatio ad Imperatores: *viri isti*, inquit, *præsentes hic constituti universæ Occidentalis Synodi sententiam huic nostræ Synodo per literas manifestarunt*. Quapropter, si Africa excipitur, unde Capreoli Diaconus illuc appulerat, Hispaniæ, aliarumque regionum Occidentis Episcopos per Romanum Pontificem admoneri oportebat, ut quæ fuerant Apostolica autoritate sancita, non ignorarent. Idque certum adeo est, fieri consuevisse a Romanis Pontificibus, ut comprobari exemplis non indigeat. Ad Hispanos autem difficillimis iis temporibus neutiquam missam fuisse notitiam Ephesini Concilii, luculentissimi testes sunt Vitalis, & Constantius Hispani laudatis literis ad Capreolum, qui vix credebat Hispanis tantam rem haud esse nunciatam: *quod ad vestram notitiam pervenisse non dubito*. Qui autem poterat recens ejectis ex Hispania Wandalis, anno videlicet, 429. quum acerrimus Romanorum hostis fœdifragus Theudoridus regnare orsus est, sua illuc decreta Pontifex transmittere, nullo Hispaniarum Episcopo commercii literarum aditum patefaciente, quod postmodo primus omnium fecit Turibius Asturicensis? Nec mihi objiciatur, nosse Hispanos Œcumenicam Synodum esse habitam in Oriente, at quid definitum in ea fuerit ignorasse: nam Vitalis & Constantius, longe ut instrui petivissent de recta fide, universalis Ecclesiæ definita sibi explicari flagitassent. Quam quidem rem animadvertens Aguirrius, utramque Epistolam ante Concilium scriptam affirmare non dubitavit, reclamante Capreolo. Sed redeo ad rem meam, unde Aguirrii ratiociniis sum divulsus.

X. Concilia tamen generalia, & Decretales Pontiff. serius ocyus in Hispaniis noscebantur.

Quid vero ex omnigena hac fidei, morum, & doctrinæ depravatione sibi lector polliceatur? Momentanea Vicariorum potestas, raritas documentorum, Synodorum infrequentia, Episcoporum seu ignorantia, seu errores: præcipue vero audacia, & raro interrupta Arianorum Regum persequutio, aut contaminata omnia,

omnia, aut densis obvoluta tenebris, quæcumque fuerunt bona, suppeditare videntur posse. Non tamen idcirco rem deplorare oportet: dummodo secernantur tempora, neque Diœcesis Hispana generaliter, sed suas in provincias distributa consideretur. Aliam siquidem Ecclesiæ faciem quinto seculo, aliam sexto videre est. Quinto scilicet seculo, tametsi Concilium unicum pro debellandis Priscillianistis S. Leonis jussu est celebratum; tamen quæ duo sequenti seculo Vicariis Apostolicis commendata esse ajebam, Decreta Pontificum, sacrosque Conciliorum, præsertim Oecumenicorum, Canones; ea, nisi omnia, aliqua saltem ex parte nota esse Episcopis Catholicæ fidei, morumque laudabilium retinentissimis, quanti quanti fuerint, persuasissimum mihi est. Non enim Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis Magni, Hilari, Simplicii, Felicis III., Gelasii, Anastasii, Symmachi, ac Hormisdæ frequentes Epistolas decretales, ac singularem Simplicii ad Zenonem, quas in Codicem relatas esse videmus, S. Isidoro Collectori omnes esse tribuendas quis affirmaverit. Ex duobus vero Conciliis œcumenicis, quæ eodem seculo celebrata sunt, Ephesinum jam novimus Capreoli primum literis eo pervenisse; & Chalcedonense primo post ejus celebrationem anno denunciatum esse Hispanis habemus testem integerrimum Sanctum Leonem Magnum, qui Herculano Consule, nempe anno 452. Gallicanis Episcopis id muneris demandavit: *Fratrem*, inquit, *Ingenulum nolumus hac expectatione tardari, quum ob hoc ipsum properantius remeare debuerit, ne diutius vobis esset incognita omnium materia gaudiorum: quæ volumus per curam dilectionis vestræ etiam ad fratres nostros Hispaniæ Episcopos pervenire, ut quod Deus operatus est, nulli esse possit incognitum*. Quæ quum ita sint, omni procul dubio quum vices Apostolicæ a Simplicio committebantur Zenoni, Canones generalium quatuor Conciliorum, & Decretales Epistolæ non suppositititiæ Prædecessorum Pontificum, aliqua saltem ex parte, cognoscebantur ab Episcopis Hispaniarum. Quum vero Hormisda vices suas demandabat Sallustio, & ante eum Joanni, aut minimum his Vicariis superstitibus, fere omnes nosci poterant, quæ habentur in Codice; nam post Hormisdam, sola Vigilii Epistola Decretalis ad Profuturum Bracarensem Antistitem, & ternæ S. Gregorii literæ, occurrunt.

S. Leo M. Ep. 52.

XI. Quum Vicariatus inibi instituebatur, 4. gener. Concilia, & pleræque Decretales nosci poterant.

Qua quidem in re mihi convenit cum doctissimo Card. Aguirrio, qui sensim incrementa accepisse putat eum codicem. Causa vero, cur ita sentiam sunt in primis demandatæ a Pontificibus vices: Quid enim sibi volunt Simplicii verba illa: *Apostolicæ institutionis Decreta, vel Sanctorum terminos Patrum?* Quid alia Hor-

Hormisdæ: *five ea quæ ad Canones pertinent, five ea quæ a nobis sunt nuper mandata?* Deinde Metropolitæ Ascanii, & universorum Episcoporum Tarraconensis provinciæ epistola beatissimo Papæ Hilaro, qui vel Simplicio, cui primo adscribitur concessio vicariatus in Hispaniis, antecessit. Deferunt ii Silvanum Calagurritanum Episcopum ad S. Sedem, præque aliis, hæc narrant Pontifici: *Hic namque jam ante septem, aut octo amplius annos postponens Patrum Regulas, & vestra instituta despiciens, nullis petentibus populis Episcopum ordinavit.* Quæ quum Romæ legerentur in Synodo, ab Episcopis omnibus: *Ut Canones custodiantur rogamus. Dictum septies. Ordinatio Apostolica inlibata servetur. Dictum octies.* Perinde utrumque testantur in subscriptionibus. Hilarus demum in suo decreto suspicionem omnem removens, ne quis forte crederet, pugnasse Pontifices pro Decretis a se identidem factis, nulla Prædecessorum ratione habita, aut Hispanienses, dum *vestra instituta* dicunt, Hilari solum decreta spectarent, ita aperit literarum sententiam: *Lectis in conventu fratrum, literis vestris, quæ de ordinandis Episcopis secundum statuta Canonum, vel Prædecessorum meorum decreta sunt &c.* Quum vero hæc Romæ fierent III. Cal. Januar. Coss. Basilisco, & Hermenrico VV. CC. anno videlicet Chr. 465. Hilari quinto ineunte, & Hispani suis in literis testentur, violata esse Pontificia decreta, septem aut octo ante annos; sancti igitur Leonis ævo esse violata affirmant. Quænam autem erant expresse violata? Flectantur retro gressus, literæque Innocentii ad Toletanam Synodum inspiciantur; ibi enim videre erit ipsissimam causam Tarraconensium de ordinationibus definitam, canonumque Nicænorum autoritatem a S. Pontifice vindicatam. Poteram quidem Siricii revocare Epistolam ad Himerium, cujus octavo capite res est de ordinationibus; at expostulantes Episcopos huc minime respexisse intellexi, mecumque ego deliberavi ea tantum afferre, quæ mea roborent, non quæ opprimant. Quare omnium, quæ fusius disputavi, appello testes universos Hispaniarum Episcopos in Concilio Toletano III. congregatos detestandi gratia hæresim, instaurandique disciplinam: *Maneant*, inquiunt, *in suo vigore conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ Sanctorum Præsulum Romanorum epistolæ.*

Lup. Synodicon cap. 117.

S. Innoc. ep. 6.

Conc. Tol. III. c. 1.

XII. Id demonstratur exemplo provinciarum: ac primo Bracarensis seu Gallæciæ.

Quæ quum ita sint, parum nostra interest Paschasio, aliisque adversari, qui ab ætate collectionis Canonum aliorum alia, eorum observantiam mutuantur. In Hispaniis siquidem certo scimus Decreta Pontificum æque ac Conciliorum Canones, statimatque inibi agnoscebantur, in suo robore extitisse. Atque utinam depravatione ingenti fidei, morum, ac disciplinæ, quam nuper deflebam,

flebam, non compellerer saepe aliquam silentium Canonum, decretorumque Romanorum Pontificum observantiam fateri. At divina judicia quis temere interpretari conetur? Venient sane felicia illa tempora, quum tota Hispania & Canones, & Decretales Epistolas vigere audiemus. Interim vero quinque Continentis Hispaniarum provincias, easque ad momentum, spectare oportet, ut, quemadmodum instituta Conciliorum, & decreta Pontificum propugnarunt, compertum sit: ita tamen, ut de aliquibus dicta non urgeantur iterum, quod molestum esset; neque eorum mentio, quod foret inofficiosum, praetereatur. Prima omnium post barbaricam illuvionem, Bracarensis, seu mavis Gallaecia, Turibio duce habuit assertores Canonum, institutorumque Apostolicorum Episcopos Leone Magno Pontifice; quare & celebratio Synodi, & damnatio Priscillianismi ibi praesertim indicta, factaque est. Brevis ea tamen gloria fuit; nam Suevi, quorum regnum illius fere provinciae terminis circumscribebatur, Arianam haeresim paulo post amplexi, Gothorum exemplo Ecclesias pessumdederunt, altique de iis silentii finem Theodemirus attulit, integro jam seculo evoluto anno videlicet 558. Tanta hac temporis intercapedine nullum aliud suppetit Documentum Ecclesiae rerum, praeter Vigilii Epistolam, seu rescriptum Eutherio, alias Profuturo Bracarensi Metropolitae Fl. Joanne Cos. Or. absque collega idest Chr. anno 538. In eo vero, quod maxime notandum est, de Priscilliani antiqua haeresi alicubi vigente, de Arianorum priscis erroribus, ac praecipue circa baptismi Sacramentum, res est, quae nihilo caeteris feliciorem hanc fuisse provinciam demonstrant. Caeterum eo silentii tempore haud penitus desuevisse apud Bracarensis provinciae Episcopos Catholica instituta, quartum, & quintum Rescripti caput fidem faciunt, in iis siquidem de consecratione Ecclesiarum, ac festorum celebratione agitur. At postquam Theodomirus, aliis Ariamirus, regnare coepit, ingens provincia illa habuit incrementum: quae autem singularis gloria illius est, annis fere triginta detestationem Arianismi generalem Hispaniarum praeivit, quo medio tempore multa omnibus deinceps provinciis profutura instauravit, multa etiam in Hispaniis antea ignota peperit; nam S. ille vir Martinus, ex oriente in Gallaeciam veniens, graecorum canonum collectioni operam dedit, conversisque ab Ariana impietate ad fidem Catholicam Suevis, tum fidei, tum religionis regulas praebuit, ut Isidorus testatur: quare monastici Hispaniarum Instituti autor creditur. Tribus haec in Conciliis digesta sunt; in Bracarensi I. an. Ær. 599. Chr. 561. Ariamiri tertio, ipsis calendis Majis: in Lucensi, an. Ær. 607. Chr. 569. eodem Rege: & Bracarensi II. an. Ær. 610. Chr.

De Vir. Ill. cap. 35.

Chr. 572. Mirone Suevorum Rege, anno ejus secundo, Calendis Juniis.

XIII. Ibi enim æque Canonum ac decretalium observantia amissa, instauratur.

Quæ in Synodo Bracarensi I. instaurata sunt a septem comprovincialibus cum Lucretio Metropolita, & præterita Gallæciæ tempora, & præsentium Episcoporum fidei, morum, ac disciplinæ zelum aperte ostendunt, quo ad nostra comprobanda nil desideratur illustrius. *Diu est*, ait Lucretius, *quod secundum instituta venerabilium Canonum, & Decreta Catholicæ, & Apostolicæ disciplinæ desiderabamus Sacerdotalem inter nos fieri debere conventum*. Deinde inobservantiæ tempus definiens, ab ævo S. Leonis eam repetit; non tamen silet de Vigilii ad Profuturum epistola Decretali; quare ex eo discimus Balconium fuisse Metropolitam circa dimidium quinti seculi, Profuturum esse anno 538. ac demum Lucretium 561. unde jure colligimus, quod in Bracarensi Metropoli fuerit continuata Catholicorum Episcoporum successio etiam Arianorum ævo. Notatu dignum est, quod de tribus rebus agentes, de Fide, de sacris Canonibus, & de Clericali officio: Dogma primum fidei Sedis Apostolicæ autoritate confirmant, relecta, & in compendium redacta S. Leonis decretali epistola contra Priscillianistas. Deinde statuta Patrum tam ex generalibus, quam ex localibus conciliis recitant ex Codice veterum Canonum. Postremo viginti duobus amplectuntur Capitulis tum quæ ad fidem, tum quæ ad officium ordinis Ecclesiastici pertinebant, promiscua Pontifici Romani, & Canonum autoritate omnia comprobantes. In synodo Lucensi nihil aliud gestum est, præter novæ Metropolis Luci erectionem, quade uberrime dictum est alibi. In Concilio autem Bracarensi II. cui præerat S. Martinus Lucretii Successor, recitata ab eodem est sua Collectio græcorum Canonum, ut Regula esset deinceps Episcopis pro cujusvis Parochiæ, seu Diœcesis regimine, quare Canones etiam decem, plerique de Episcoporum munere, fuerunt conditi, quorum siquid speciale erit, ut de paschate per Metropolitam annunciando, & de basilicæ consecratione, opportunius expendetur. Hæc Gallæciæ, seu Bracarensis provinciæ conditio erat, quum perfidus Leovigildus Arianorum Regum postremus regnare in Hispaniis cœpit. Quomodo se habuerint res Catholicorum non modo in provinciis cæteris, verum etiam in Gallæcia, quam suo demum regno adjecit, non est petendum. Satis erit dixisse, quod nec pietas in Deum, neque in conjunctos caritas a susscepta eum persecutione revocaruut.

XIV. Perinde fit in provincia Tarraconensi.

Post Bracarensem provinciam cujus disciplinam spectandam suasit Sancti Leonis Epistola; continuo ad Tarraconensem veniendum esse Ascanii Metropolitæ Tarraconensis, omniumque

Comprovincialium Præsulum binæ literæ ad Successorem Leonis Hilarum, nos monent; quum vero eædem literæ, necnon Synodale rescriptum Hilari ad judicia pertineant, sequenti capite expendentur; ut inde evidens sit, quam retinens ea provincia fuerit tum Sacrorum Canonum, tum Rom. Pontificis decretorum. Post Hilari autem rescriptum, datum anno Chr. 465. silent res Catholicæ hujus provinciæ usque ad annum 516. quum Joannes Metropolitanus, novemque Suffraganei Episcopi, quos inter Hector ex Carthaginensi provincia, habuerunt Synodum Tarracone. In ea vero Synodo, & in alia sequenti anno celebrata Gerundæ ab iisdem fere Episcopis, si animadvertantur quæ sunt salubriter constituta de disciplina Clericorum, & de sacris ritibus, nulli persuasum erit Arianorum imperio Tarraconensem paruisse provinciam; sed tranquilla omnia esse, tollendisque magis abusibus Patres convenisse, quam religioni, quæ pessum ierit, revocandæ. Ne autem mirum sit, siquæ occurrent similia in Hispaniis, ab anno Chr. 511. ad 526. repetendum memoria est, quod Theodoricus Rex Italiæ in Amalarici minori ætate moderabatur Hispanias. Quem quidem Principem utquumque Arianum, Cassiodorus, scriptoresque omnes æquales summis extollunt laudibus, referentibus etiam nonnullis, ut Pater Joannes Garetius testatur: *Theodoricum Romanæ Ecclesiæ autoritatem reveritum esse, qui nulli fuit illius Sedis Episcopo impedimento, quin plenissima autoritate cuncta, quæ essent jurium Apostolicæ Sedis exercere.* Equidem non contendo, Regem barbarum, atque impium, acerrimumque Arianorum vindicem, ubi piissimus Imperator Justinus legem tulit contra Arianos, suis omnibus laudibus finem non fecisse insigni atque inhumano facinore; nam Summo Pontifici, ac Senatoribus commissa ad Justinum legatio; iidemque reduces, quia iniquam causam non defenderant, tetro carcere detenti (ubi Joannes Pontifex martyr occubuit;) moxque Symmacho & Boethio illata more, perfidum magis tyrannum, quam probum Regem facile ostendunt. Illud vero persuasum habeo, quod præter hanc impietatis notam postremo sui regni tempore, libertatem religionis tam Catholicis, quam Arianis concessit; quare & Zonara ac Cedreno testibus, Aulicum sibi antea carissimum, quod, ut in Regis animum altius illaberetur, a recta fide ad Arianam defecerat, capite truncari jussit: *Si Deo*, inquiens, *fidem sinceram non servasti, quomodo mihi, qui homo sum conscientiam sanam præstabis?* Quæ profecto est major laus, quam Officia Palatina, & prisci Imperii gloriam instaurasse. Quamobrem Tarraconensis provincia, quæ diu persistens in Romanorum fide Arianorum incommoda non senserat, libertate nunc generali provinciarum fruens, pristinæ condi-

Vita Theodorici §. 12.

Ibid.

conditionis argumenta nobis præbet. Quin etiam Theude Rege anno Chr. 540. & 546. Sergius Metropolita duas celebravit Synodos, Barcinone unam, aliam Ilerdæ cum suis Comprovincialibus, quorum decreta persequar sequenti dissertatione in qua de antiquæ Hispaniarum Ecclesiæ disciplina paulo uberius disputabo. Cæterum Catholicos omnes provinciæ Episcopos Ecclesiæ rerum fategisse inde constat, quod vices Apostolicas nulli eorum committere oportuerit, ut Sacrorum Canonum, ac decretorum Pontificis custodiam susciperet.

XV. Bætica, altiori licet vulnere confossa, idem præstat.

Secus est de Bætica provincia, in qua nullum reperire est celebratum concilium toto Arianorum ævo, nullamque Epistolam alicujus indidem Præsulis legere, quæ statum, seu conditionem provinciæ ante S. Leandrum declarent. Quatuor eæ tantum epistolæ Pontificiæ supersunt, quas laudavi, eæque testes sunt depravatæ penitus disciplinæ in hac provincia. Neque evenire aliter potuit Wandalis primum, deinde Gothis Arianis eadem nunquam non subjecta. Juvat quatuor iis epistolis rem præclarius demonstrare. Simplicio Pontifice, qui anno Chr. 468. sedere cæpit, Ecclesiæ omnes Bæticæ pessum ierant, præter Metropolitanam Hispalim, quam regebat Zeno. Huic gratulatus Pontifex, quod ea sedes *naufragii detrimenta non sentiat*, zelum ejus remunerat, vices suas demandando. *Quoniam*, inquit, *digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus divinus crescere innotuit cultus*: simulque ei commendat sacros Canones, præque iis decreta Apostolica, in Bætica nimirum provincia. Num melius inde fuerit provinciæ, ignoro: id tantum scio, quod Felix III. qui Simplicio successit an. Chr. 483. camdem prorsus Bæticæ conditionem, quam Simplicius, nobis testatur, Zenoni eidem gratulans, quod optime Ecclesiam suam gubernet: *Talemque*, ait, *te esse vulgavit*, (Terentianus) *qui ita Christi gratia redundares, ut inter mundi turbines gubernator Ecclesiæ præcipuus appareres.* Quî autem dubitem, num quid profuerit remedium Pontificis labefactatæ provinciæ illi? Certe ex literis Hormisdæ ad Bæticos Antistites post annos circiter quadraginta hos caritatis, pacisque vinculo esse conjunctos liquet. Aliisque ex literis ejusdem Pontificis ad Metropolitam Sallustium per idem tempus, non obscure discimus, unde pax illa mutua, & caritas sint profectæ. *Tu*, ait Pontifex, *vota nostra, & fideli intelligentia percepisti, & officii protinus devotione complesti, cunctis fratribus innotescens, quæ per cælestem gratiam cunctis profutura cognoveras.* Quare & ipsi, ut olim Zenoni Simplicius, vices suas committit non modo per provinciam Bæticam, sed etiam per Lusitaniam, ut ex utraque convo-

Simplic. Pp. ep. 1.

Felix III. Pp. ep. 8.

Hormisd. Pp. ep. 65.

Idem ep. 26.

DISSERT. III. CAP. III. convocet ad Concilium Episcopos, si causa religionis id exigat; quumque in alterutra nullum sit celebratum, creditu proclive est, Catholicos Episcopos in caritate paceque illa mutua perseverasse, quoad Sallustius superstes fuit. Post hunc vero Metropolitam usque ad S. Leandrum sexto seculo exeunte de Episcopis hujus provinciæ nihil certum reperitur; meumque non est ratiociniis periculum facere, num aliquid ingenio valeam. Cæterum, ne forte putes Bæticorum cum Præsulum pace, & caritate mutua Disciplinam rectam fuisse conjunctam, serio reputa, quod Bætici gratulatoriis adjunxerant nescio quid privilegiorum veterum, & statutorum Patrum, de quibus Hormisda egisse se ait cum Sallustio: huic vero commendans custodiam canonum, quod spectat Bæticos, *Ibi*, ait, *fas nefasque præscriptum est: ibi probibitum ad quod nullus audeat adspirare*. Præclarum scilicet disciplinæ corruptæ argumentum; dum Episcopi Sacrorum Canonum inscii, ac S.Sedis privilegiorum ignari, plus sibi arrogabant, quam quod concessum iisdem erat.

XVI. Pari modo agit pars prov. Carthaginensis.

Porro provinciæ Bæticæ quamsimillima mihi videtur fuisse pars illa Carthaginensis, quæ in fide Romanorum non stetit, ac proinde juxta civilem dispositionem divisa Episcopis ansam dedit conflandi schismatis, ita ut Toletano Metropolitæ subjici detrectarent ii Præsules, cui demum malo allatum est remedium anno Chr. 610. primum in Concilio Toleti habito, deinde Regis Gundemari decreto, quod supra recitavi. Præsentissimum rei testimonium sunt literæ Hormisdæ ad Joannem Illicitanæ Ecclesiæ Episcopum, & Constitutio generalis de disciplina ad universos Hispaniarum Episcopos per eumdem Joannem directa. Nam gratias agens Joanni, tum quia patefecerit sibi viam ad remedium afferendum tot religionis, ac disciplinæ incommodis; tum quia sacros canones, & Apostolica decreta servari illibata curaverat, nec non ad S. Sedem omnia retulerat (quæ munera demandari a Pontificibus erant solita Vicariis suis) ipsum utquumque non Metropolitam vices Apostolicas gerere jubet, ita se remunerare ajens illius zelum, quod biennio post cum Sallustio Hispalensi præstitit, ut nuper vidimus: *Horm. Pp. ep. 24.* *Probasti*, ait, *dilectissime frater, quo christianam fidem venereris affectu, dum ea, quæ ad regulas Patrum pertinent, & ad mandata catholica sine aliqua cupis transgressione servare, sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses Ecclesias constitutis, quæ aut negligentius, aut irreligiosius fiunt, Ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus .... Et quia per insinuationem dilectionis tuæ hujus nobis est viæ patefacta providentia; remuneramus sollicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum, vices nobis Apostolicæ sedis &c.* In generalis autem constitutionis præfatione;

Joan-

Joannis, inquit, *fratris, & Coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reverentiam nonnullo præsumi*. Quod sane genus corruptæ disciplinæ, dum Episcopi præsertim sibi arrogabant plus æquo, me movit, ut hanc provinciæ Carthaginensis partem putarem perquam similem provinciæ Bæticæ.

DISSERT. III. CAP. III. *Idem Ep. 25.*

XVII. Pars altera aliquanto felicior Tarraconensem imitatur.

In parte vero illa Carthaginensis, quam Celtiberia, & Carpetania cum Tarraconensi, & Lusitania hinc inde conjungunt, Ecclesiæ disciplinam aliquanto melius habuisse testatur Concilium Toletanum II. sub Montano Metropolita Carthaginensis provinciæ. Habebatur id Concilium anno Ær. 565. Chr. 527. Amalarici Regis quinto (numerando nempe a concesso ei moderamine Hispaniarum per Theodoricum Italiæ Regem, ut Perezius observat, non a Theodorici morte, cum Isidoro.) Patres autem ipso in principio deliberant: *Ut siqua in antiquis Canonibus minime commemorata sunt, salubri tractatu, ac diligenti consideratione instituantur. Siqua vero in anterioribus Conciliis sunt decreta, sed abusione temporum hactenus sunt neglecta redivivæ ordinationis censuram obtineant*. Deinde quinque canones condunt de optima disciplina Clericorum, quos enucleandos hic non puto, quia nondum Toletana Concilia Hispaniæ universæ dabant legem. Id satis sit indicasse in præsentia, quod præbendarum, seu beneficiorum in Hispaniis rudimenta ab hoc secundo Concilio Toletano repetuntur, ita ut eorumdem origo certa nequeat sexto sæculo ineunte tardius constitui, si modo origo dicitur rem decernere *juxta priorum canonum constitutiones*. Negare certe non ausim, æque ac in aliis provinciis procedente tempore inibi etiam depravatam esse disciplinam, quum nulla suppetant secus docentia monumenta; immo potius & ipsum Concilium testetur, multa jam tum negligi, & literæ Montani ad fratres, & filios territorii Palentini aliæque ad Theoribium, demonstrent, quod meri presbyteri Episcopale sibi munus arrogaverant, conficientes Chrisma, aut ignorantes id fecerint, aut temere invaserint quæ sibi non licere perspectum haberent. Sed quamquam Concilii hujus tempore partem istam provinciæ aliarum incommodis non fuisse obnoxiam Patres innuunt, dicentes in fine: *Gratias agimus omnipotenti Deo, deinde Domino nostro glorioso Amalarico Regi; divinam clementiam postulantes, ut universis annis regni ejus, ea, quæ ad cultum fidei proveniunt, peragendi nobis licentiam præstet*; tamen quatuor tantum Episcopos Comprovinciales in Concilio adfuisse, alio nullo, saltem per Vicarium, interveniente, magnam præbet argumentorum segetem, quibus omnino temperare inhonestum puto. E septem suffraganeis, qui subscribunt, quatuor tantum parent Toletano; nam duo certe sunt ex provincia Tarraconensi,

Conc. Tol. II. præf.

Ibid. can. 4.

conensi, Nebridius Egarensis, & Justus Urgellitanus, iique non aderant Concilio, sed aliquanto post venientes Toletum, valdeque utilia decreta perlegentes, sua ipsi autoritate confirmarunt. Maracinus vero incertæ sedis, quum exulem se Toleti degere fateatur, probabiliter comprovincialis non erat, fortasse etiam neque Hispanus. Toletano autem Metropolitæ septem saltem Episcopi citra Tagum, ut evidens est, suffragabantur: quæ pars provinciæ in fide Romanorum steterat, postquam irruentes barbari Carthaginensem provinciam diviserant in duas partes. Quare, ne indigna creditu obtrudam, si alias duas sedes vacasse autumem, ut Palentinam, earum Episcopos, qui etiamsi civilem consideremus dispositionem scissæ provinciæ, non implicabantur schismate, Arianos esse fatear necesse erit. Ita scilicet mihi persuadet libertas religionis, quam Theodoricus paulo ante fecerat tum Catholicis, tum Arianis Episcopis, nec nepos Amalaricus rescidisse dicitur; immo continuatam eam esse testatur Isidorus ab illius successore Theude, ac proinde aliud Concilium Toleti habitum esse; quod non extat (ut eruditissimus Perezius observat) quare Garsias Loaisa illud silentio præterit.

XVIII. Concilium Valentinum in eadem esse habitum demonstratur.

Optandum sane erat, ut seu concilium illud, seu documentum aliud nobis non invidisset antiquitas, ut inde aliquid daretur conjicere de Concilio illo Valentino, quod nemo eruditorum usque ad hunc diem extra aleam posuisse dici potest, dum alii Galliæ tribuunt, alii non esse ab Hispanis amovendum jure putant. Hos & ego sequor; ac proinde rationem afferam, cur priorum ab opinione discedam. Nonnihil etiam de Concilio ipso disputabo breviter, potius quid sentiam expositurus, quam vim aliis facturus, ut meam in opinionem descendant. Primo igitur neque ab anno æræ 584. Chr. 546. removeri posse id Concilium, neque ab Hispaniis ablegari, disertissime Antonius Pagius ostendit autoritate veterum Codd. in quibus Theudis, pro Theodorici, anno 15. habetur. Quod & Aguirrius fecerat præsidio vetusti Cod. Lucensis perinde nomen Regis Theudis præferentis. Bona tamen cum virorum eruditione præstantium venia nil Codicibus erat opus ad afferenda Regum Gothorum nomina ob vocis affinitatem aliis alia: quamobrem & Aimoinus, Theudem appellat Theodorum, ejusque successorem Theudiscium, Theudegilum. Cæterum ad Concilii provinciam quod attinet, magna inter Aguirrium & Pagium discrepantia est. Ille siquidem, postquam Perezio duce, usus Lucensi Codice, recte Ilerdense, & Valentinum Concilium ad annum 546. revocavit, Binio, Labbejo, & Cossartio secus sentientibus adversans; in ancipiti reliquit provinciam; Pagius contra in Hispaniis celebratum affirmat.

Pag. an. 546.

De gest. Franc. l. 2. cap. 10.

Atque

Atque id quidem optimo, meritoque jure. At enim, fileant Codices: num præterire aliquem poteſt, Arelatenſium Epiſcoporum Vicariatum per ea tempora in totam eam Galliæ partem, quam in quinque, aut ſeptem provincias dividi demonſtrabam, effundi? Num quemquam fugiat, Cæſarium, Auxanium, Aurelianum, Sapaudum, Licerium, Virgilium ad Magnum uſque Gregorium, qui in Childeberti Regnum Virgilii autoritatem protendit, Arelatenſem Sedem tenuiſſe? Num Eruditorum quiſquam ignoret, S. Cæſarium ſua utentem autoritate celebraſſe Concilium Valentiæ in Galliis anno 529. pro Auguſtiniana doctrina aſſerenda, quo, quum præ valetudine adire non potuiſſet, Toloſanum Epiſcopum Cyprianum miſit; perindeque Aurelianum, qui tribus ante noſtrum Valentinum Concilium menſibus, XI. Cal. Sept. a Vigilio Papa Vicariatum obtinuerat, facturum fuiſſe, ſi de Valentia in Galliis res eſſet? Num denique Celſini, Juſtini, Reparati, Setabii, Benagii, Ampelii, Marcellini, Valentiæ congregatorum Præſulum, nomina fere omnia Africanis, aut Hiſpanis congruentia, in Gallias inferri novum, atque inauditum fore aliquis neſciat?

XIX. Et quidem ab Epiſcopis provinciæ Carthagin. ulterioris.

Prætereo minores alias cauſas; Concilium nempe Valentiæ in Galliis habitum Damaſi ævo, in collectionibus primum nuncupari; ſecundum autem non appellari hoc, de quo agimus, ſed quod celebrabatur anno Chr. 589. Hiſpanis ignotum: in codice veterum Canonum ſæpe laudari Valentinum primum *lib.* 1. *tit.* 53. *lib.* 2. *tit.* 7. & *lib.* 10. *tit.* 4. Valentinum vero Hiſpanum *lib.* 1. *tit.* 44. 58. & 60. *lib.* 3. *tit.* 38. & *lib.* 4. *tit.* 15. conſtanter Valletanum nuncupari, quod etiam fit in pervetuſtis quatuor Codd. a Perezio adhibitis, quæ porro antiquorum varietas, tametſi Valentiæ non eripiat Concilium, nam ibi ſe ajunt Patres congregatos eſſe, Valentinumque appellant alii Patres in Concilio Toletano VII. congregati; avellit tamen ex Galliis; denique hujus Concilii ævo, non modo in Viennenſem I. non protendi Gothorum ditionem, ita ut æra Hiſpanica, regioque eorum nomine opus fuerit Gallis, at anguſtis admodum finibus circumſcribi Galliam Gothicam, ut de Civili agens Hiſpania innuebam. Has, inquam, cauſas prætereo; nam evidens fore arbitror ex ſuperius allatis, quod injuria tribuitur Galliis Hiſpanienſe Concilium. Utinam compertum perinde eſſet de Sede illa Metropoli, quam ulterioris provinciæ Carthaginenſis Epiſcopi, propria autoritate ſibi erexerant poſt civilem diviſionem, de qua diximus! Verum obſcura omnia, atque incerta: nec niſi conjectando veniri in cognitionem eorum poteſt. Quid ego ſentiam de Sede Celſini Concilii Præſidis, ingenue fatear: quid utique de Concilio ipſo diligens Hiſpanæ antiquitatis perveſtigatio mihi perſuaſit, ut crederem, non reticeam.

DISSERT. III. CAP. III.

XX.

Iidem alium a Toletano agnoscebant Metropolitam.

Amplectatur, autem rejiciatve meam opinionem lector, nullum summæ rerum detrimentum, nullumque inde accedet emolumentum.

Celsinum esse Episcopum Valentiæ arbitror; neque id ipse omnium primus conjicio; nam Beutero, Ambrosio de Morales, & Vasæo idem est visum. Horum tamen opinioni Nicolaus Antonius præfert similiorem vero aliam, ut putat, quam Joannem Baptistam Perezium novit amplexum esse, servatam nempe in hoc Concilio antiquitatem ordinationis, ac propterea Justinum, qui secundo loco subscribit, esse Justinianum illum Valentinum Episcopum fratrem Elpidii, Justi, & Nebridii, quorum meminit S. Isidorus in libro virorum Illustrium cap. 33. & 34. At bona cum venia doctissimi viri (qui cæteroqui animadvertit, rem nondum in tuto esse, quia Justinum inter, & Justinianum non parum est discriminis) non assequor mente, cur postmodo eat pedibus in contrariam sententiam: multo autem minus cur invertat Isidori ordinem enumerando quatuor fratres Episcopos, ut Justinianum faciat Juniorem cæteris; tametsi assequor consilium, ne videlicet faciens hoc Justiniano antiquiorem Celsinum, rem videatur difficilem creditu affirmasse. At enim Nebridius, quem tertio loco Isidorus nominat, anno 516. subscribit Tarraconensi Concilio, sequenti anno Gerundensi, & 527. Toletano, cui etiam subscribit Justus alius frater, ætate, juxta Isidorum, Nebridio antiquior, sed Episcopatu junior. Quod obiter notari velim; nam quamvis post celebratum concilium uterque Toletum advenerit; tamen subscribendo, debitum sibi quisque locum inter Coepiscopos sumit, Nebridius tertium, quia scilicet antiquior cæteris, excepto Pangario, & Justus postremum, quia cæteris junior ordinatione: in Concilio autem Ilerdensi post annos viginti celebrato cui adest Taurus Nebridii successor, Justus primo loco post Metropolitam, tamquam senior, subscribit. Quin etiam, fuerit, necne Justus Urgellitanus Episcopus, quum sileat sedem suam, fides per me relinquitur apud Loaisam. Sed fuerit Justus Urgellitanus, perveneritque ad annum 546. quum Valentinum quoque Concilium celebrabatur; estne ad credendum facile, quod Justinianus antiquior Justo, Celsino junior esset? At liquent ista omnibus. Profecto quum multis jam retro annis in Hispaniis decreta Conciliorum de Metropolitanis vigerent, leve est de Valentinis patribus aliud credere, ipsis sæpe reclamantibus, qui, utut primæ Sedis Episcopi, & Metropolitani nomen perinde usurparetur; semper tamen Metropolitanum, non primæ sedis Episcopum, pronunciant. Ei vero nullum antiquiorem Præsulem præferri, erat enim caput, Concilia omnia provincialia antea celebrata luculentissime ostendunt. Quare Celsinus non ut ceteris antiquior, sed ut Metro-

Bibl. vet. l. 4. c. 1. n. 9.

Metropolitanus Concilio præest; & nisi ego multum fallor, Valentinæ ipsius Sedis, in qua Concilium celebrabatur, Antistes erat.

Dissert. III. Cap. III. XXI. Probabiliter Valentinum Concilii hujus tempore.

Equidem accepi omen ab ipso nomine; tota enim in serie Episcoporum, qui aut ex Conciliis, aut aliis ex documentis Hispaniæ ad nos venerunt, Celsinum non vidi alium, præter hunc, & alterum, qui Concilio Toletano III. interfuit, Valentinæ Ecclesiæ Præsulem. Quare tum aliarum Sedium exemplum, quæ nominis ejusdem plures habuerunt Episcopos, tum raritas ipsa nominis mihi persuaserunt, ut Valentinum crederem etiam Celsinum Concilii præsidem. Hinc autem gradum mihi feci ad stabiliendum usurpatæ dignitatis honorem Valentiæ. Sollicite vero quærenti, num ante annum celebrati Concilii Valentini, seu post id temporis ibidem perseverarit usurpatio ista, obvoluta omnia tenebris obviam fiunt. Conturbatam esse inibi Ecclesiæ disciplinam, conculcatos Canones, Præsulesque ambitu laborare, ac miscere omnia tum Hormisdæ Papæ, & Joannis Illicitani Episcopi literæ ultro citroque missæ fidem faciunt; tum præsertim Gundemari Regis Decretum, unde luculenter discimus, quod ne post detestatam quidem hæresim melius fuit Carthaginensis huic provinciæ majori parti. *Nonnullam*, Rex ait, *in disciplinis Ecclesiasticis contra canonum autoritatem per moras præcedentium temporum licentiam sibi de usurpatione præteriti Principes fecerunt; quibus sugillat* Arianos Reges. Deinde abusus continuationem deplorans, ordinationes Episcoporum suo etiam ævo testatur fieri Toletano Metropolitano inconsulto; quod vetabant Canones; decernit, fieri id deinceps non debere; atque Euphemii Toletani Metropolitæ ignorationem condemnat, quod partis provinciæ, id est Carpetaniæ se Metropolitam crediderit, quum cautum esset sacris Canonibus, ne provinciæ uni duo Metropolitæ legem darent, quod aliarum Hispaniæ & Galliæ Gothicæ provinciarum exemplo confirmat. Verum quid faceret Metropolita Euphemius tot ex iis Episcopis præsentibus, qui jamdiu a Metropolita avulsi novum sibi caput præesse noverant, & fortasse ignorabant, num usurpatio esset, quæ autoritas tot spatio annorum inoleverat contra canones? Huc accedit, quod Toletani ipsi Episcopi quanta esset ditio suæ provinciæ obliti jam fuerant, civilis quippe dispositio a primo Arianorum adventu disturbata, ut vidimus, sensim induxerat in Præsulum Toletanorum animum, ut eam dumtaxat partem, quæ in fide Romanorum steterat, sibi esse subjectam crederent. Quam rem Gundemarus recte inscitiam appellat; nam si memoria repetantur documenta omnia vetera in superioribus laudata, nihil unquam de Carpetania, tanquam provincia, occurret, nisi in civilibus, quæ ne Ecclesiæ ordinationi norma essent,

sent, non semel Sacris Canonibus cautum erat. Cæterum invasæ dignitatis Sedes fixane semper steterit Valentiæ, ubi erat anno 546., an desultoria, pro conditione rerum, non nostrum est inquirere. Id pro certo haberi debet, quod schismatici illi Præsules, Toletani veri Metropolitæ immemores caput sibi alterum fecerant, cujus autoritate ordinationes, aliaque omnia peragebantur: quod disciplinæ genus Gundemarus, *Fratrias*, & *Conspirationes* recte appellat. Et sane, quando etiam disciplinam ordinationum sanctissime custodissent, nec quemque inexploratæ vitæ hominem ad Sacerdotale munus provexissent, violatores tamen Canonum dici deberent, quia Metropolitam præterire esent ausi. Mihique persuasissimum est, quod nisi venia iisdem esset adhibita primum in Concilio, deinde in Regio decreto: *Per nostram clementiam præteritæ negligentiæ, pietatis intuitu, & veniam damus, & indulgentiæ opem concedimus; & dum sit magna culpa hactenus deliquisse &c.* ne Concilium quidem hoc Valentinum, utut salutaria decreverit, ab Episcopis Hispaniæ cæteris adoptatum esset, quod postea factum in Toletano VII. cap. 3.

XXII. Quamquam vera Metrop. prov. Carthag. fuit semper Toletum.

Quæ quum ita sint, paucis jam colligenda mihi erunt quæ de Toletana Urbe Carthaginensis provinciæ Metropoli adversus defensores Carthaginis superius dixi, necnon quæ levissima suppetunt argumenta Carthaginis propugnatoribus. Omissis igitur conjecturis, Patres Concilii Toletani II. anno 527. celebrati: *Montanus*, inquiunt, *qui in Metropoli est, ad Comprovinciales nostros Domini Sacerdotes literas de congreganda Synodo adveniente tempore debeat destinare*. Ita Patres indefinito tempore institutæ Metropolis, quam probe norant esse antiquissimam. At Montanus ipse occasione reprimendi audaciam presbyterorum agri Palentini, eorum redarguens ignorantiam, suæque illos autoritatis admonens: *præsertim*, ait, *Quum Toletanæ urbi Metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit; & eo magis non solum parochiarum, sed & urbium cura hujus urbis sollicitet sacerdotem*. Hanc tantæ antiquitatis declarationem reputantes Patres Concilii sub Gundemaro, nullo uti posse arbitrantur præstantiori documento, ut totius provinciæ Carthaginensis Metropolim esse Toletum confirment, præter illam: *Cujus quidem principatus*, ajunt, *nequaquam collationis nostræ conniventia nuper eligitur, sed jamdudum existere antiquorum Patrum Synodali sententia declaratur, ea dumtaxat Concilii forma, quæ apud S. Montanum Episcopum in eadem urbe legitur habita*. Gundemarus autem in suo Decreto nullam habens rationem scissæ tunc provinciæ, jure Metropolim provinciæ universæ comprobat fuisse Toletum testimonio eorumdem Patrum: *honorem Primatus juxta antiquam Synodalis Concilii autoritatem per*

Conc. Tol. II. cap. 5.

Conc. Tol. an. 610.

per omnes Carthaginensis provinciæ Ecclesias Toletanæ Ecclesiæ Sedis Episcopum habere ostendimus: eumque inter suos Coepiscopos tam honoris præcellere dignitate, quam nominis: juxta quod de Metropolitanis per singulas provincias antiqua Canonum traditio sanxit, & autoritas vetus permisit. Hæc sane documenta sunt clariora, quam ut commentariis nostris indigeant; quia vero corrupta sequioris ævi latinitas cuique palato non sapit, proindeque nuperum Hispalensis Ecclesiæ vindicem non semel decepit; verba Concilii sub Gundemaro, *ea dumtaxat Concilii forma*, quæ illi sunt institutio Metropolis, quare aliud Concilium ineptissime obtrudit, interpretari non recuso. Patres igitur fatentur, declarari in Concilio Toletano II. quod Toletum jamdudum erat Metropolis, ac declarari non verbis, sed factis ejusdem Concilii, quod innuunt verbis iis nupero Scriptori obscuris, at ævo illo luculentissimis, quod assequutus esset consulens Glossarium Dufresnii; perinde enim est Concilii Patribus *dumtaxat*, ac *videlicet*; parique modo accipiunt *formam* pro *serie* seu *tenore*; non secus ac dixissent; antiquam esse Metropolim Toletum suo tempore, declarant Patres Concilii Toletani a Montano habiti, *serie videlicet*, seu *tenore* eorum quæ decernunt. Quæ autem decernunt? *Montanum*, nempe, *Episcopum, qui in Metropoli est, juxta priorum Canonum decreta, convocare Synodum debere adveniente tempore*. Redolentne ista investituram novæ dignitatis, an potius testimonium minime dubium antiquæ, quam, vel si excidissent Montani literæ, luculentiores sane testes, obtusa quisque acie oculorum perspiceret?

Dissert. III. Cap. III.

P. Cañas Memorial de Sevill. pag. 94.

Conc. Tol. II. c. 5.

XXIII. Quod ostenditur comparatione Cæsaraugustæ cum Carthagine.

Vereor equidem, ne stomachum eruditis moveam rebus adeo notis insistens; hanc ii tamen veniam mihi adhibeant, inexploratum nihil relinqui debet. Quam omnium primam Hispani Præsules fassi sunt Metropolim, est Cathedra Tarraconensis. De hac vero sic loquuntur in Synodo Tarraconensi anno 516. celebrata: *Quum in unum pariter convenissemus in urbem Tarraconensem, quæ est Metropolitana*: & de convocanda Synodo decernentes: *Epistolæ*, ajunt, *tales per fratres a Metropolitano sunt dirigendæ*. Hac profecto declaratione Metropolis Tarraconensis, nisi magis perspicuam, saltem non obscuriorem esse illam Toletanæ post decennium factam, negare ausit nemo. Quin etiam reputanti Concilium Toletanum I. Nationale tunc celebratum, quum anno 400. summa pace utebantur Ecclesiæ, suosque Metropolitas provinciæ noverant, ut S. Innocentii literæ ad id Concilium declarant, statim veniet in mentem, novum id esse monumentum certum antiquæ dignitatis Toletanæ, cujus simile exemplum nulla Hispaniensium Metropoleon præbet; quamquam Epistola Siricii ad Himerium Metropolitarum negligentiam

Concil. Tarrac. Præf.

Ep. Siric. ad Himer. c. 8.

tiam redarguens & testimonium sit generale Metropoleon quinque juxta numerum provinciarum, & speciale Tarraconensis, ad cujus Episcopum traditur, argumentum. Nunc igitur quæro: Curnam Toletana Metropolis controvertitur; non utique Tarraconensis? Quia nempe imbibita est opinio, Carthaginem fuisse Metropolim provinciæ Carthaginensis. Concedo lubens, Carthaginem fuisse Metropolim; at cujusmodi Tarraconensis provinciæ Cæsaraugusta, Civilem nimirum, quæ aut regiminis provinciæ gratia, aut alia de causa nobis ignota, nullatenus conjuncta unquam fuit cum Ecclesiastica. Ecquis autem non fateatur, præstantius multo argumentum Cæsaraugustanæ Metropolis tum Civilis, tum Ecclesiasticæ esse Concilium inibi celebratum anno 480. utquumque Valerius ejus Sedis Episcopus locum nonum obtineat? Nondum siquidem in Hispaniis invaluerat Metropolitarum prærogativa in subscriptionibus, aut consessu. Præstantius, inquam, argumentum unica illa subscriptione Hectoris in Concilio Tarraconensi: quam porro nisi adhuc nosti mendosam suppositamque in uno, aut altero Cod. ms., rejicies, ni fallor, teque eam esse amplexum haud dubie tædeat, ubi animadvertes, quod S. Martinus ex Dumiensi Episcopo Metropolita Bracarensis factus, Hispaniensium omnium Præsulum primus Metropolitanum se nominat in subscriptione Concil. Bracar. II. anno 572. antea vero nullum omnino Metropolitam invenies, qui aliud usurpet, præter illud: *In Christi nomine Episcopus*. Eaque causa est potissima, cur aliis aliorum argumentis refellendis tempero. Ex dictis ergo colligitur, quod Carthago Spartaria, & Cæsaraugusta fuerunt Metropoles Civiles, non Ecclesiasticæ; Toletum vero, & Tarraco suæ quæque provinciæ Metropolis Ecclesiastica semper fuit ab instituta ea dignitate in Hispaniis.

XXIV. Incertum est initium Schismatis Episcopor. Carthaginensium.

Unum adhuc ex me aliquis non modo quærit, sed flagitat: num videlicet Episcopi in Concilio Toletano II. congregati, qui fatentur se nosse antiquos Canones, & Toletum esse Metropolim provinciæ Carthaginensis, ac præsertim Montanus, qui Palentinos admonet vetustæ autoritatis Toletanorum Præsulum, num, inquam, ii crediderint, ut Euphemius, intra Carpetaniæ limites Toletani Metropolitæ jurisdictionem contineri? Reponam breviter. Parcus adeo numerus Præsulum non secus esse demonstrat, mihique haud dubium videtur, quin quatuor illi Episcopi provinciæ Carthaginensis, citra Tagum habuerint sedes; nam divisio provinciæ jamdudum facta erat, ac proinde ante ejus Concilii tempora schisma comprovincialium cœperat: quare, ni ego fallor, nec Toletano ulteriores Episcopi, nec Valentino citeriores adsuerunt. Quia tamen certi schismatis incerta origo est, repeti eam oportere ab

ab ævo Concilii Toletani, affirmare non ausim; quum autem Valentina Synodus habebatur, schismate divisos esse Episcopos liquido constat; nam congregati Patres alium agnoscunt Metropolitam a Toletano. At ponamus, Comprovincialium divisionem præivisse Concilio Toletano: hinc profecto non sequitur, quod aut Sanctus Montanus, aut congregati Præsules, Toletum esse Metropolim universæ provinciæ ignoraverint. At enim: *Si quis autem*, inquiunt, *nostrum*, *vel eorum*, *qui nunc S. Synodo ex hac provincia defuerunt &c.* Quæ certe de duobus tantum Præsulibus Carpetaniæ, qui aberant, & probabiliter, ut superius dixi, erant Ariani, non pronunciantur. Præterquamquod qua mente venerari se dixissent Canones, si violatores eorumdem fuissent? Schisma igitur jam conceptum erat, sed nondum eruperat. Post Valentini autem Concilii, præclarissimi divisionis argumenti, celebrationem, trium & quadraginta annorum intercapedine, accedente summa ignoratione rerum, jusdirictionis suæ oblitos esse Toletanos Præsules probabile admodum mihi est.

Conc. Tol. II. cap. 5.

XXV. Epilogus totius Capitis de disciplina 5. & 6. Sec.

His de vera Carthaginensis provinciæ Metropoli disputatis, occasione concilii Valentini, reliquum esset, ut tum hujus provinciæ simul conjunctæ, tum aliarum quatuor Hispaniensium quæcumque fuit quinto, & sexto seculo, disciplinam in unum colligerem, omniumque oculis subjicerem. Quum vero nec semper nec ubique, nec nisi a paucis Episcopis servata eadem fuerit, rem cogitatione magis, quam oratione amplectendam prætermitto. Id tantum præterire non possum, nec debeo, quod quamvis de paucis admodum Præsulibus aliarum Sedium, ut de Turibio Asturicensi, de Idacio Lemicensi, de Ceponio incertæ sedis, de Joanne Illicitano, de Liciniano Carthaginensi, ac de alio aliquo si quis fuit, liquido constet, Sacrorum Canonum, ac decretalium Epistolarum vindices fuisse acerrimos; tamen, quod divinitus factum est, Metropoleon sedium Episcopi toto eo tempore Arianæ invasionis, non semel occurrunt, aut celebrantes Concilia suis cum Suffraganeis, advenisque Episcopis, ut sacros canones, & Pontificia Decreta afferant, corruptamque disciplinam illorum autoritate instaurent; aut suis literis consulentes Apostolicam Sedem, ut labefactatis rebus manum medicam, quæ est suprema ejus potestas, adhibeat. Ita Zeno, & Sallustius Hispalenses; ita Balconius, Profuturus, Lucretius Bracarenses; ita Ascanius, Joannes, Georgius Tarraconenses; ita præsertim Asturius, Montanus, & Euphemius Toletani, sanctitatis etiam laude conspicui, sicut est demonstratum, gesserunt. De Lusitanis dumtaxat, seu Emeritensibus Metropolitis idem videtur affirmari non posse tametsi

Dissert. III. Cap. IV.
De vitis PP. Emeriten. c. 4. & seqq.

metsi Paulus, Fidelis, & Massona postremi ejus Sedis Metropolitæ, tum laude sanctitatis, tum rebus præclare gestis pro catholica fide asserenda, ut Paulus Diaconus Emeritensis testatur, Metropolitis cæteris posthaberi non debeant. Quare summo Dei optimi maximi beneficio Metropolitis, quos Suffraganei tamquam patres verebantur, zelo fidei, ac disciplinæ inflammatis identidem emergentibus, pessum omnia ire non potuerunt, quidquid molirentur Ariani. Venio nunc ad agendum paucis de forma judiciorum ejusdem ævi.

CAPUT IV.

De judiciis Ecclesiæ Hispaniarum V. & VI. sec.

I. Multa suppetunt testimonia prærogativæ Rom. Pont. ex 5., & 6. Sec.

Supremam Romani Pontificis potestatem in universam Ecclesiam paucis iis, quæ suppetunt ex Hispania exemplis, per quartum seculum, superius demonstravi. Perinde autem facturum me esse Infelici Arianorum ævo, dum tanta rerum ignoratione Hispaniæ laborabant, diffidere mihi videntur ii, qui ex nuper enarratis deplorandam Hispanorum Præsulum conditionem perceperunt. Verum agnoscent brevi, quod, quemadmodum Ecclesiæ illæ propriis calamitatibus dignitatem Metropolitica majorem semel, iterum, & tertio retulerunt acceptam, ita Apostolicæ Sedis prærogativa ex iisdem luculentissima repetit testimonia, objicienda iis scilicet, qui antiquitate Ecclesiæ minus explorata, disputationibus & ratiociniis res tuentur suas. Binæ siquidem literæ Tarraconensis provinciæ Præsulum ad Hilarum Papam; Epistola Joannis Illicitani, quæ excidit, at ex Hormisdæ rescripto eruitur; pari usa fortuna Epistola Profuturi Metropolitæ Bracarensis, cujus sententia habetur ex Vigilii Papæ rescripto, & ex Concilii Bracarensis I. gestis; ac denique gesta ipsa ejusdem Concilii Bracarensis, fidem faciunt, quam recte senserint Hispaniarum Episcopi de Apostolicæ Sedis prærogativis. Luculentissimum ea testimonium sunt supremæ Romani Pontificis potestatis in universam Ecclesiam; infallibilis ejus judicii tam de rebus fidei, quam de disciplina, causisque aliis Ecclesiæ gravioribus; potestatis coactivæ, quam vocant, ferendarum legum, quæ universam Ecclesiam obligent; communicatæ a Pontifice potestatis Præsulibus aliis; ac demum majores causas, aut eæ sint de quæstionibus fidei, aut de Episcopis, aut de Ecclesiæ disciplina ab uno Romano Pontifice definiri posse ac debere, quæ porro prærogativa, alias quodammodo omnes amplectitur. Planiora hæc omnia erunt, ubi Episcoporum verba ipsa protulero. Optarem profecto, ut plura daretur mihi afferre,

ut

ut obruerem numero nova eruditione homines, qui lenociniis non paucos in partes vocant; sed turbæ instar constantia erunt documenta, quæ calamitas Ecclesiarum peperit. Ea vero non pro Romani Pontificis prærogativis, sed pro temporum ratione, ut soleo, recitabo.

II. Literæ Episcoporum Tarraconensium, an. 465. Synodicon Cassinen. cap. 127.

Ascanius igitur Metropolita, & universi Episcopi provinciæ Tarraconensis primis, quas dederunt ad Hilarum, literis insigne hoc principium faciunt: *Etiamsi nulla staret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestræ, quo susceptis Regni clavibus post Resurrectionem Salvatoris, per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio universorum inluminationi prospexit: cujus Vicarii principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Dominum in vobis primitus adorantes, cui sine querela servitis ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumtione, sed Pontificali totum deliberatione percipitur*. Deferunt deinde, ut debent, arbitrio Pontificis causam Silvani Calagurritani Episcopi, qui ordinationes illicitas usurpando, violaverat sacros Canones, & decreta Pontificum Romanorum. Ajunt, septem, octove ante annos id facinus perpetrasse, ab se fraterne admonitum profecisse in pejus ordinando in aliena dioecesi presbyterum invitum, eumdemque postmodo faciendo Episcopum humili quodam in loco: quare Cæsaraugustanum dicunt Episcopum scripsisse Fratribus finitimis, ut cum Schismatico illo Præsule non communicarent. Ab Apostolica dumtaxat sede in ejusmodi re judicium ferri posse profitentur: *Humilitatem nostram ad hoc usque perduxit, ut contra ejus vanam superstitionem Sedis vestræ unicum remedium flagitemus*. Synodum se congregaturos affirmant, ut sententiam ferant adversus Fratrem, sed uno eodemque tempore non satis sibi autoritatis esse fatentur ad id præstandum, nisi ab Apostolica sede accipiant vires, quæ sibi ipsis desunt, simulque instruantur, quomodo se gerant: *Quia*, inquiunt, *his præsumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurri, quæsumus sedem vestram, ut quod super hac parte observari velitis, Apostolicis adfatibus instruamur: quatenus Fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi constitutis, contra rebellionis spiritum, vestra autoritate subnixi, quid oporteat & de ordinatore, & de ordinato fieri, intelligere Domino juvante possimus. Erit profecto vester triumphus, si Apostolatus vestri temporibus (quod a S. Petri Cathedra obtineri catholica audiat Ecclesia) novella zizaniorum semina fuerint extirpata*.

DISSERT. III. CAP. IV.

III. Alteræ eorumdem literæ eodem anno.

Ejusdem porro sententiæ, & venerationis erga supremam Romani Pontificis potestatem in universam Ecclesiam, iidem Episcopi alias dederunt literas ad Sanctum Hilarum, & quidem exemplo earum duplici; nam verebantur, ne casu aliquo exemplum simplex intercideret, quam in suspicionem venerant, quia nullum adhuc primis rescriptum acceperant. Referunt his postremis, S. Nundinarium Barcinonensem Episcopum consentientibus comprovincialibus constituisse Episcopum Irenæum in sua Diœcesi, ac demum morti proximum optasse, ut Barcinonensem in sedem, quam relinquebat, substitueretur. Ajunt se explorasse cleri, & populi voluntatem; spectasse Irenæi ejusdem merita, quæ dignum S. Nundinarii successorem fore pollicebantur; observasse, quod municipium illud, ubi fuerat constitutus, semper ad Barcinonensem Diœcesim pertinuerat; ac demum decrevisse, ut successor eligeretur, quia tot aderant æquissimæ causæ. Quid vero? Num quod ipsi unanimes decreverant, stabile, ac firmum citra Romani Pontificis autoritatem futurum esse judicarunt? Nil minus. Norant ii scilicet, Sacris Canonibus esse cautum, ne quis Episcopus sibi successorem constitueret: *Episcopo*, verba sunt Concilii Antiocheni I. *non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusce modi est constitutum*. Quare quum literæ istæ in Concilio Romano legerentur, Episcopus Probus contineri non potuit, quin consurgens interpellaret: *Illud licuit, hoc non licuit. Successores Deus dat. Autoritate vestra resistite huic rei per Apostolatum vestrum*. Quamobrem Tarraconenses violatos ab se esse canones, a quorum autoritate unus Romanus Pontifex dispensare potest, sive ii sint generalium, sive localium Conciliorum intelligentes: *Suppliciter*, inquiunt, *deprecamur Apostolatum vestrum, ut humilitatis nostræ decretum, quod juste a nobis videtur factum* (spectatis videlicet supradictis causis, quasi de integro Episcopum creassent) *vestra autoritate firmetis*. Harum porro literarum epigraphe, judicia licet non spectet, prætereunda non videtur; quippe Primatus præclara confessio est: *Sanctum*, ajunt, *Apostolatum vestrum jugi ævo Divina conservet æternitas nobis omnibus, & Ecclesiæ suæ, Domine vere noster, & Apostolice Papa*. Rationi enim congruum erat, ut sicut Aristocraticum Ecclesiæ regimen alibi rejecimus autoritate commentariorum, qui tribuuntur Ambrosio; ita nunc Monarchico adderemus suffragium Episcoporum unius provinciæ, qui suorum Ecclesiæ legum satagunt, sedisque Apostolicæ prærogativas tam luculenter agnoscunt.

Conc. Antioch. c.23. a.340.

IV. Decretum Hi-

Recitatis præcipuis literarum partibus, quibus Tarraconenses con-

constat agnovisse supremam Pontificis Romani potestatem in causis majoribus, ac fassos esse infallibile ejus judicium, nonnullasque alias prærogativas, quæ male audiunt apud novatores, antequam venio ad documenta cætera Hispaniensia; exercitium ipsum supremæ potestatis ostendam necesse est, prolata super iisdem causis Romam delatis, Pontificia constitutione. Quum venerunt Romam eæ literæ, plures degebant in Urbe Episcopi, *quos*, ait Hilarus in præcepto, seu rescripto ad Ascanium & cæteros, *Natalis mei festivitas congregarat*; nam die 12. mensis novembris anno Chr. 465. celebraverat assumptionem suam, inchoaveratque annum Pontificatus quintum: quare die 16. ejusdem mensis concilio eorum congregato, in presbyterio videlicet, seu consistorio (quemadmodum fieri consuevit in momenti alicujus negotiis, convocato Clero urbico, & Episcopis, qui erant in comitatu, seu privatas ob causas Romæ commorabantur) legi mandavit literas, fecitque de sacris ordinationibus constitutum. Alloquens igitur congregatos Patres: *Si placet, Fratres*, inquit, *ea quæ ad ordinationem pertinent, juxta Divinæ legis praecepta, & Nicænorum Canonum constituta, ita jubente Domino, in omne ævum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel Divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare. Quia nos, qui potissimi Sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi.* Deinde tulit Decretum de ordinationibus rite faciendis, cui subscribere Episcopos voluit, post recitatas Hispanorum transgressiones; ac postremo notariis demandavit, ut plura ejus exempla conficerent ad Ecclesias omnes transmittenda. Ad Ascanium quoque, & reliquos Tarraconenses unum misit exemplum, quod suis adjunxit literis, ubi rescripsit superioribus, quinque & quadraginta post Decretum diebus, die videlicet 30. Decembris. Subscriptiones autem, confirmationesque Episcoporum minime reticendas puto, nam evidentius Summi Pontificis prærogativæ ex eorum verbis tenentur. *Hæc confirmamus, hæc docemus. Hæc tenenda sunt, hæc servanda sunt. Doctrinæ vestræ gratias agimus. &c. Autoritate vestra resistite huic rei per Apostolatum vestrum. Ut hæc emendentur rogamus. Ut hæc reeidantur rogamus. Ut disciplina servetur rogamus. Ut antiquitas servetur rogamus. Ut Canones custodiantur rogamus. Ut in præsumptoribus vindicetur rogamus. Ordinatio Apostolica inlibata servetur. Exaudi Christe. Hilaro vita, dignus Papa, Dignus Doctor.* Quæ Patrum acclamationes multoties juxta consuetudidinem repetuntur ab universis Episcopis, quos inter erant quatuor Gallicani, ac proinde Romanum hoc Concilium Patriarchale dici potest.

DISSERT. III. CAP. IV.

lati post lectas eas literas.

Christ. Lup. Synodic. ubi supra.

 Rem

Dissert. III. Cap. IV. V.

Ejusdem judiciale rescriptum Tarraconensibus.

Rem vero extra omnem aleam ponet rescriptum Pontificis ad utramque Tarraconensium epistolam. Ait S. Hilarus, se, post acceptas Ascanii, aliorumque binas literas, plures itidem epistolas Honoratorum ex provincia Tarraconensi cum multorum subscriptionibus accepisse, quibus Silvanus Calagurritanus excusabatur; at iisdem se minime esse motum, quia compererat violatos esse Nicænos canones ordinando Episcopos in civitatibus nonnullis inscio Metropolita Ascanio. Eas vero epistolas Honoratorum, quum minime recitatæ sint in Synodo, credibile est, non pervenisse Romam tempestive. At serius ocyus venerint, Hilarus in rescriptio, quod optaverant congregati Patres, sapientissime definivit, supremi controversiarum Judicis munere mirum in modum expleto. *Quæ*, inquit, *de ordinandis Episcopis secundum statuta Canonum, vel Prædecessorum meorum decreta sunt, perlecta sententia, gestorum, quæ pariter direximus, tenore discetis*. Hæc de constitutione multo antea facta in Synodo, quam confirmari a Patribus voluit, non quo majorem assequeretur autoritatem, sed quo, Sacerdotum seu Episcoporum accedente concordia, ab Episcopis absentibus facilius, ac citius susciperetur. Hinc sequuntur, quæ Patres enixe rogaverant, ut Pontifex pro Apostolica sua potestate decerneret. *Remoto*, Hilarus prosequitur, *ab Ecclesia Barchinonensi, atque ad sua remisso Hirineo, sedatis, per Sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam Ecclesiasticarum legum desiderant quod non licet obtinere, talis protinus de clero proprio Barchinonensibus Episcopus ordinetur, qualem te præcipue, Frater Ascani, oporteat eligere & deceat consecrare .... Ordinatos ergo nunc Episcopos, qui ante, te ignorante, provecti sunt, licet cum suis auctoribus meruerint submoveri, hac ratione firmamus, si & viduæ maritus quis non fuerit, &c.* Prosequitur generales regulas tum Conciliorum generalium, ac localium decretis, tum suorum Prædecessorum epistolis decretalibus, tum denique laudata sua ipsius constitutione inhærentes. In fine autem Rescripti deponendum pronunciat Irenæum nisi Barcinonensem sedem relinquat: *Quod si Hirineus Episcopus ad Ecclesiam suam, deposito improbitatis ambitu, redire neglexerit; quod ei non judicio, sed humanitate præstabitur, removendum se ab Episcopali consortio esse cognoscat*. Vides romanum Pontificem custodem canonum S. Sedis autoritate jam confirmatorum, vindicemque eorumdem acerrimum, dum Irenæum deponi mandat. Vides utique Romanum Pontificem *temporum necessitate perspecta* derogare conciliorum decretis, ratasque habere ordinationes non rite factas. Supremum igitur moderatorem Ecclesiæ, monarchico

chico jure ferentem, & antiquantem leges, ubi Ecclesiæ universalis pars aliqua ita sibi videatur exigere, primo ex hoc monumento veterum Hispanorum perspicue patet.

VI. Solus Romanus Pont. controversiar. Supremus Judex derogare Conciliis potest.

Ait Dupinius dispensare Romanum Pontificem a Concilii legibus in casu, quo etiam Concilium dispensaret. Ingeniosam, valdeque opportunam conditionem! Norat scilicet vir doctus, negotium aleæ plenum se suscepisse, quippe non Hispanæ tantum Ecclesiæ, sed locorum, nationumque omnium Christo subditarum antiquitas audaciam ejus prolatura erat. Quid igitur? Æqua primum lance Pontificem, & Concilium metitur, ut viam sibi sternat præferendo Concilio. Deinde animadvertens, innumera Pontificum exempla esse, autoritatem suam in Concilia exercentium; contra vero conciliorum nullum perinde facientium aut in Pontificem, aut ipsa in priora concilia, nisi accedat autoritas Suprema Pontificis, conditionem illam suam appingit, quæ hominis levitatem per se ipsa patefacit. Si enim ipso fatente Pontifex dispensat, nec ut dispenset congregat Concilium; ergo Pontifex Concilio superiorem potestatem habet, sive, ut planius loquar, quum sit ipse caput Ecclesiæ, dispensat solus; quemadmodum dispensaret, si membris Ecclesiæ omnibus cum eo legitime congregatis, quod est Concilium, decerneret. Id importat conditio illa Dupinii, neque ullus nostrum [illegible] hac in re. Doctrinam quoque illam suam non rejicimus, qua summas duas potestates vocat Pontificem, & Concilium; tametsi verius loquutus esse nobis videretur unam appellans summam potestatem modo extra Concilium, modo in concilio: at detestamur audaciam, quum æque summam potestatem velle eum deprehendimus in membris seorsim a capite, atque in ipso capite; deploramus inscitiam, quum membra Ecclesiæ prævalere ejus capiti contendit temere; ac vehementer miramur de re ista, tanquam de cæteris controversiis, disputari. Profecto si ulla, mihi videtur quæstio haud penitus contemnenda, ea est dum schismate laborat Petri sedes, verumque ac legitimum Ecclesia caput ignorat. Verumtamen vel hujus solutio facilis. Aut enim uterque Pontifex vitio est creatus, & tunc quorumcumque Episcoporum, omnium etiam qui sub Cœlo sunt, congregatio Œcumenicum concilium nequicquam appellatur (abscisso siquidem capite, inutilia membra fiunt) sed Ecclesia unanimiter congregata Pastorem divinitus sibi dari expectans potiori ratione dici potest, & debet, si consideretur electio, qualis nostra etiam ætate viget; si autem antiquior consuetudo reputetur, iidem congregati Episcopi electionis participes habendi erunt: *Cornelium*, ait Cyprianus Antoniano, *nobiscum verius noveris, non de malignorum, & detrahen-*

S. Cypr. Ep. 52.

trahentium mendacio, sed de Domini Dei judicio, qui Episcopum fecit, & Coepiscoporum testimonio, quorum numerus universus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Aut alteruter est legitime creatus; & tunc Ecclesiæ caput non deest, ac proinde Concilium quoque est legitimum; decernit de rebus Fidei, & morum, deque intrusi depositione statuit. Secus autem deliberata, non accedente veri Pontificis autoritate, nullius roboris sunt nisi tandem detectus qui hominibus non fuerat cognitus, siquæ salubriter deliberata sunt, confirmet, ut Ecclesiasticæ vim legis acquirant; improbetque adversantia suorum decretis Antecessorum, sacrisque canonibus, quorum est vindex. Romanus siquidem Pontifex (ad fastidium usque id ego urgeam) unus est Princeps Ecclesiæ, Unus doctrinæ catholicæ fons; unus supremus Ecclesiæ arbiter.

VII. Rom. Pont. esse supremum Eccl. Judicem demonstratur autoritatibus.

Inanem lusi operam, quum pauca illa dixi de Dupinii, seu mavis Quesnelii opinione super Romani Pontificis, & Concilii controversia; ea siquidem ab eo profluit levissimo fundamento, maximeque falso; quod Christus non Petro, sed Ecclesiæ claves dederit. Id vero quum diluerim prolatis Christi Domini vocibus audacter a Dupinio detortis in aliam sententiam, quæcumque ab eodem pendent, inania, nulliusque roboris sint oportet. Me igitur vertam ad roborandum Catholicum dogma supremæ in universam Ecclesiam Pontificiæ potestatis, quam nuper suspeximus in Hilaro manum medicam admovente Hispaniensi Ecclesiæ, Nicænis canonibus derogando, ipsorum Pontificum Prædecessorum Hilari decretis; doctrina enim illorum, vitæque sanctitas ab omni Novatorum calumnia apud omnes gentes eam vindicat. Primus omnium est S. Julius, qui de supremo judicio causarum Episcopalium declarata in Sardicensi Concilio, suis Legatis præsidentibus, confirmavit: deque ea re in superiori dissertatione satis multa. Julium sequitur S. Innocentius, qui in Decretali ad Victricium epistola de omnibus majoribus causis ita decernit: *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam (sicut Synodus statuit) post Episcopale judicium referantur* S. Zosimus in Decretali epistola ad Gallicanos Præsules: *Nisi magnitudo*: inquit, *causæ etiam nostrum requirat examen*. S. Bonifacius ad Gallicanos item Episcopos *Ep.* 2. *Quidquid autem*, ait, *vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, quum ad nos relatum fuerit nostra ut condecet, necesse est autoritate firmetur*. Denique S. Leo Magnus Anastasium Thessalonicensem suum per Illyricum Vicarium sic alloquitur: *Si forte inter ipsos: qui præsunt, de majoribus, quod absit, peccatis causa nascatur, quæ provinciali nequeat examine defi-*

S. Leo Ep. 84. cap. 7. & 11.

definiri, Fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere, &, si coram positis partibus, nec tuo res fuerit sopita judicio, ad nostram cognitionem quicquid illud est, transferatur. Præscribit deinde illi formam judicii, ut nempe advocet ternos ex singulis provinciis Episcopos, ac postremo addit: *Si autem in eo quod cum Fratribus tractandum, definiendumve credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum significatione referantur.* Audiamus nunc S. Hilarum, de cujus decreto agimus, Metropolitanos Galliarum admonentem. *In dirimendis sane gravioribus causis & quæ illic non potuerint terminari, Apostolicæ Sedis sententia consuletur.* (S. Hilar. Pap. Ep. 8.) Post Hilarum vero ante S. Gregorium M. (cujus non modo testimonium multiplex, sed & exercitium supremæ hujus potestatis in universam Ecclesiam ad dissertationem sequentem servare oportet) Vigilii apertissima verba nobis erunt instar omnium. Auxanium is Arelatensem Episcopum sic alloquitur: *Siquæ vero certamina aut de religione fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sua magnitudine terminari non possit, evenerint: totius veritatis indagine diligenti ratione discussa relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate.* (Vigil. Pp. Ep. 7.)

VIII. Causæ majores nemine adversante ad Rom. Pont. spectant.

Ex iis omnibus, quæ attulimus Pontificum Romanorum testimoniis postremum dumtaxat Vigilii inter causas majores recenset potissimam, controversias nimirum de Fide; alias enim causas tum ipse tum cæteri generatim appellant; quare ii, apud quos minus recte audit Summa Romani Pontificis potestas, ad arbitrium interpretati rem istam, tres tantum Causas Majores ad S. Sedem certissime referri olim consuevisse & docent, & contendunt. Ita Gerbasius, qui alium sibi scopum proponit, tres esse minime dubias majores causas a Summo Pontifice judicandas, definiendasque non fatetur modo, sed tribus S. Innocentii Epistolis prolatis demonstrat: eæ vero sunt laudata ad Victricium, alia ad Felicem Nucerianum, aliaque ad Concilium Milevitanum; quas huc afferre supersedeo, satis enim mihi est doctore, ac vindice uti Gerbasio trium majorum causarum, videlicet causarum Fidei; quæstionum dubiæ disciplinæ; ac depositionis Episcoporum. Quibus porro causis, ut minus aliam tribuamus originem, ab ævo S. Innocentii, seu ab initio quinti seculi, eam repeti oportere Gerbasius admonet. Tres igitur eas causas majores post Synodi localis examen ad Romanum Pontificem referri consuevisse, nec novas qui res moliuntur, negant. Qua in re quia benigne nobiscum agunt, æquum non est, ut nos minus benigne secum agere conquerantur. Ponamus, tres dumtaxat majores illas causas juxta veterem eam disciplinam

plinam tunc temporis obtinere, neque ullam utquumque certissimam iisdem adjungamus; dummodo hanc nobis veniam adhibeant, ut unam ex iis tribus, nimium angustis limitibus circumscriptam, rem nempe Episcopalem extendamus latius cum Dupinio, ita ut non depositionem tantum, sed quamcumque Episcoporum causam inter majores recenseamus: *Majores*, inquit, *sunt eæ, quæ vel ad Episcopos, vel etiam ad disciplinam aliquam graviorem spectant*. De causis igitur Fidei; de causis Episcoporum; de quæstionibus dubiæ disciplinæ, ut referrent demandatum fuerit a Pontifice Vicariis suis, ubiquumque gentium in oriente, aut in occidente illos constituerit; de iis majorum Urbium Episcopi, qui Ecclesiæ curam suscipiebant ampliorem, Patriarchæ scilicet duo, tresque Exarchi ad unam Petri sedem scripserint, ut nihil usquam a suo capite dissideret; de iis demum Hispaniarum Episcopi, de quibus res est, præque iis Ascanius Tarraconensis Metropolita, & Joannes Illicitanæ Ecclesiæ Episcopus ad S. Sedem, ut certo scimus fecisse, retulerint. Quid vero inde sequitur? Supremum nempe judicem controversiarum Fidei, Episcoporum, disciplinæ, unum esse Romanum Pontificem, aut per se ipse sententiam ferat, aut ferri jubeat ab Episcopis in Synodo congregatis: aut demum in Conciliis latam confirmet, ac probet. Quemadmodum enim ipse unus est autoritatis omnis externæ Episcoporum autor, qui claves unus aliis communicandas in Petro accepit; ita quidquid universæ Ecclesiæ regimini agnoscit conducere, ipse jure monarchico disponit, nullique, præter Christum, obnoxiæ sunt ejus leges, aut eæ sint de fide, aut de Episcopis, aut de disciplina. Probe id norunt, fassique aperte sunt Episcopi omnes Gallicani, Afri, Itali, qui Hilari constitutum, ita volente Pontifice, suis subscriptionibus confirmarunt, unanimique flagitarunt consensu ab eodem Sancto Pontifice, ut Apostolica sua autoritate disciplinæ Hispaniarum pessumdatæ remedium ferret, quemadmodum quinque & quadraginta post dies fecisse eum vidimus.

De discipl. diss. 2. præloq.

IX.

Præclarum Hispaniensium testimonium supremæ hujus potest.

Quod si tanta ab ævi altitudine, quum Hispanienses, Itali, Afri, Gallicani supremam Romani Pontificis potestatem optimo, meritoque jure venerabantur, per sequiora Ecclesiæ sæcula ad quintumdecimum descendatur, quum antea inaudita quæstio emersit, num Papæ, an Concilii prævaleret potestas; innumera sane exempla Pontificum suprema illa sua potestate utentium in majoribus causis erunt obvia, quæ ne Ecclesiæ quidem rerum tirones latent, nec mea interest, molestam eruditis rem, numerando ea recensere. Quæ vero spectant ad sæcula, quæ insolentem doctrinam illam sunt sequuta, certum mihi est, atque deliberatum omnino intacta relinquere, tum quia explorator antiquitatis sum, tum præser-

præsertim quia doctrinam priscis Ecclesiæ doctoribus, totque generalium Synodorum Patribus ignotam non ausim in sacram Ecclesiæ Hispanæ vetustatem inferre. Immo potius egregii Doctoris S. Isidori puram, Catholicamque sententiam Dupinio, & asseclis objiciendam amplector, & veneror. *Sic nos scimus*, de se loquitur, *præesse Ecclesiæ Christi, quatenus Romano Pontifici reverenter, humiliter, & devote, tanquam Dei Vicario, præ cæteris Ecclesiæ Prælatis, specialius nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere, contra quod quemquam procaciter venientem, tanquam hæreticum, a consortio fidelium omnino decernimus alienum.* (S. Isid. Ep. Claud. Duci.) Quamobrem conditionem illam Dupinii, qui in angustiis interceptus, faterique compulsus, Pontificem prævalere concilio, quippe quem dispensare ab ejus decretis negare non potuit, inserere & Concilium voluit, ut mille inter pericula duas summas sustineret potestates Ecclesiæ, quoad sibi blandiens evasisse omnia, suique immemor, immo impos, autoritatem Concilii Pontificiæ audacter præferret; conditionem illam, inquam, utpote Divino instituto contrariam, ab Isidoro edoctus tanquam hæreticam condemnarem, nisi arrideret magis eidem illudere; non enim hujusmodi sycophantiis exsufflandis argumenta, & disputationes esse opus pro certo habeo. *Theologi*, inquit, *nostri censent Romanum Pontificem a legibus a Conciliis etiam generalibus latis sapienter dispensare posse.* (De antiq. Discip. diss. 4. §. 3.) Hucusque nobiscum illi conveniit; at ecce conditionem ineptissimam: *Eo in casu, quo concilium ipsum dispensaret.* Profecto si ab excitatæ hujus controversiæ tempore cœpisset Romanus Pontifex jure isto uti, conticescerem; at supra biscentum Pontifices ante seculum quintumdecimum invenio, aut saltem centum septuaginta, si ab S. Innocentio ineam eorum numerum; Concilia autem Oecumenica vix quindecim celebrata esse video. Horum nullum a superiorum Conciliorum decretis dispensasse aliquam Ecclesiæ partem legimus; illos vero, ab Innocentio eodem sumendo initium, quotiescumque Ecclesiæ necessitas tulit, dispensasse compertum exploratumque est. Ab ea igitur conditione Dupinius poterat temperare. At ponamus conditionem procedere. Quæro: nisi Concilio accedat Pontificia autoritas, habetne potestatem summam? Minime: idque constat e supradictis. Ergo si a Pontifice dumtaxat supremam obtinet potestatem; ridicula conditio est; nam sonat: Pontificem per se solum dispensare eo in casu, quo in Concilio dispensaret. Objiciunt. Decreta Conciliorum ante etiam, quam a Pontifice confirmarentur, servari a nonnullis Ecclesiis cœpisse liquet. Non inficior: Eadem usi fortuna sunt Canones Tridentini apud Hispanos. Est tamen cur mirer, objectatores hujus-

 modi,

DISSERT. III. CAP. IV.

modi, non secernere vim legis ab arbitrio Episcoporum, quos religionis zelus prævenire autoritatem legis compulerit. Laudabiliter ii quidem gesserunt, at ita gerere non tenebantur. Prætereo illud neque honestum, nec liberale scribendi genus, dum Divinis oraculis audacter rejectis, in censum eos referunt quicumque aut inscitia, aut alia causa secus gerere coacti sunt, Ecclesiæ autem Doctorum, & Patrum testimonia de suprema Pontificis potestate aut silent, aut mutilant, aut detorquent: nam quæ mox dicam de Hispaniarum Ecclesia veteri, artificium illud futile in apertum proferent, magno cum doctrinæ istius novæ detrimento.

X. Joannis Illicitani ad Hormisdam literæ, & Hormisdæ decretum.

Duobus & quinquaginta annis post omnium provinciæ Tarraconensis Episcoporum ad S. Hilarum literas, Joannes Illicitanæ Ecclesiæ in provincia Carthaginensi Episcopus, de quo superius sum loquutus, ut olim fecerat S. Turibius Asturicensis, nullo motus officio, sed fidei tantum ac disciplinæ studio instigante (nam decreta Pontificum, & Canones Conciliorum negligi, conculcarique ægre ferebat) ad S. Hormisdam scripsit Epistolam, qua & conditionem ejus Ecclesiæ miseram, persequitur, & remedium ab unica Romana Sede afferri posse testatur. Epistola ista intercidit: at Rescriptum Hormisdæ, sententiam ejus nos latere non patitur. *Dum ea*, inquit, *quæ ad Regulas Patrum pertinent, & ad mandata Catholica, sine aliqua cupis transgressione servare; sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses Ecclesias Constitutis, quæ aut negligentius, aut irreligiosius fiunt, Ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus*. Videant Dupinii asseclæ, omnesque Gersonianæ scholæ alumni doctrinam valde contrariam suis præceptis. Non petit Joannes, ut Hormisda conculcatas societatis leges jure Primatus sui excitet; sed rogat ut *Ecclesiasticis disciplinis congruentia* sanciat, quæ universas Hispaniarum Ecclesias obligent, loquar clarius, rogat ut supremus Ecclesiæ moderator, & Monarcha leges ferat ab omnibus observandas. Leges autem ab Hormisda latas spectare oportet; factis enim, non verbis retundenda audacia est. Hormisdæ constitutio, sive Epistola decretalis hac occasione data continet tria capita: *I. De Sacerdotibus juxta statuta canonum ordinandis*: *II. Ut pro Episcopatu præmium non accipiatur*: *III.* demum *De Concilio per annos singulos celebrando*. Confirmat primo capite tum Prædecessorum suorum, tum Conciliorum, præsertim localium, decreta, quæ inde vim legis in universam Ecclesiam accipiunt. Prohibens autem fieri ordinationes laicorum & pœnitentium extra omnem aleam rem ponit. At enim de laicis non ordinandis Episcopis jam statutum erat in Concilio Sardicensi; de pœnitentibus Concilium Carthaginense III. al. IV. & Agathense decreverant, pro suis

S. Horm. Pap. Ep. 24.

Concil. Sard. c. 13. Carthag. 3. al. 4. c. 68. Agath. c. 43.

suis nempe provinciis, ne Clerici ordinarentur: Hilarus autem decreverat, ut ex iis Episcopi non assumerentur, quod nulla cautum erat Synodo; quum tamen inter Pœnitentes & Clerici essent, talibus ornati dotibus, quos regimen Ecclesiæ ad Episcopatum promovendos persuaderet. *Nec tantum*, inquit, *de Laicis consecrari inhibemus, sed nec de pœnitentibus quidem quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator adspiret*. Huc respexisse Hormisdam obtrectatores intelligant, ut æquo saltem gressu fateantur incedere decreta Conciliorum, & Pontificum; nisi persuasum illis est, Constitutiones Conciliorum appellari Pontificias, ut docet Leo X. in Concilio generali sic decernens plaudentibus cunctis: *Ut nefariæ simoniæ labes, ac pestis non solum a Romana Curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum dejiciatur, constitutiones per Antecessores nostros, etiam in Sacris Conciliis editas contra bujusmodi simoniacos innovamus, easque inviolabiliter observari præcipimus*. Et sane inter Constitutiones, quas Leo innovat, recensetur quam capite II. edidit Hormisda non confirmans aut instaurans Chalcedonensis Concilii; & Gelasii decreta, quemadmodum antiqua Patrum decreta de uniuscujusque Metropolitæ sollicitudine in sua provincia renovat; sed scripturæ interpretem gerens, novamque omnino legem ferens de simonia. Perinde legem novam condit Cap. III. quum Concilia haberi oportere statuit semel in anno, *quamvis non licuerit, sine ulla excusatione*: dispensans insuper a Nicæni, & Chalcedonensis Concilii decretis, quæ bis celebranda esse sanxerant. Non me latet, prælusisse huic legi Afros in Concilio Carthag. II. vulgo III. necnon Cæsarium Arelatensem Gallicanosque Præsules in Synodo Agathensi; at non semel dixi, quod nemo eruditorum ignorat, Concilia localia tunc universam Ecclesiam obligare, quum Pontifex Romanus statuta eorum adoptans autoritate sua legem condit pro universa Ecclesia.

DISSERT. III. CAP. IV.

Conc. Lat. V. c. 8.

Conc. Chalc. can. 2. Gelas. Decr. tit. 27.

Conc. Nic. Can. 5. Chalc. c. 19.

Conc. Agath. Can. 71.

XI. Vigilii decretal. ad Profuturum, & ejus ætas.

Præclaris adeo documentis illustrius quicquam addi posse quis crederet? attamen consultatio Profuturi Metropolitæ Bracarensis ad Vigilium Papam, hujusque rescriptum ad Profuturum ferent aliquid in rem nostram multo illustrius. Ex rescripto eodem Consultatio, quæ non extat, eruitur: quare nonnihil de eo dicendum mihi est, ne instabili videantur fundamento inhærere quæ sum allaturus; ac primum de illius ætate. Vulgatus rescripti character: *Cal. Martii Volusiano* (al. *Willisario*) *& Joanne VV. CC. Coss.* rejiciendus omnino est, quod æquus quisque veterum monumentorum æstimator fatebitur; nam præterquamquod Joanni aufertur agnomen, Collegium istud Consulum non reperitur in Fastis. Contra vero est accipiendus character alius, quem Baluzius in Codice

 Col-

Colbertino legit, suamque in collectionem Conciliorum retulit; videlicet: *Tertio Cal. Jul. Flav. Joanne V. C. Cos.* Die igitur vigesima nona Mensis Junii anno 538. quum erat Cos. Fl. Joannes datum est id Rescriptum. Contendunt eruditi, quod eo anno Vigilius adhuc S. Sedis invasorem gerebat; quare Pagius inter Epistolas Anti-Papæ idem rescriptum enumerat: quæ quidem res digna admiratione est; nam Pagius a Baronii Chronologia jure discedens, non anno 540. cum Annalium parente, sed anno 538. Silverium occubuisse mortem agnovit: de qua satis perspicue loquitur liber Pontificalis: *Quem suscepit Vigilius Archidiaconus in sua quasi fide, & misit eum in exilium in Pontias. Et sustentavit eum pane tribulationis, & aqua angustiæ. Qui deficiens mortuus est in eodem loco XII. Cal. Julii.* Mors igitur Silverii a Vigilii rescripto dies novem distat: a Pontia autem insula, ut Præsul Blanchinius docet, spatio ad summum quatridui percommode Romam nuncius pervenire potuit; celerius autem si advenisse dixero, qui rem Vigilio gratam afferebat, litem mihi moveat nemo: continear tamen lege quatridui, statimque Cleri ac populi suffragiis legitime electum sedere cœpisse Vigilium Papam pro certo habeam. Quamobrem tum Pagius rescriptum illud appellans tertiam Vigilii Pseudo-Papæ Epistolam; tum alii, quos inter Gerbasius, in ancipiti hoc relinquentes, ac petentes aliunde sententiam Pontificis de iis rebus, quas rescriptum continet, minus recte agunt. Iisdem hac in re prudentior fuit Dupinius, qua Vigilio legitime sedenti adscribit Epistolam; qua vero caput ejusdem septimum ab aliis, optimo jure rejectum amplectitur, ut falsam tueatur suam opinionem, causas nempe appellationum non cœpisse nisi post seculum quintum ad S. Sedem referri: *Omnium appellantium*, inquit ipsissimis Vigilio adscriptis verbis cap. eodem septimo, *Apostolicam Sedem judicia eidem S. Sedi reservata esse liquet*: errat tota via. Quare hunc ego testem, qua ipse tueor legitimum Pontificatum Vigilii, Antonio Pagio, & reliquis præfero; qua vero integrum id rescriptum ille amplectitur tanta levitate hominis patrocinio haud quaquam nitar, sed aliunde quæ septimum illius caput Vigilio abjudicent, mutuabor.

Anast. Biblioth. in V. S. Silver.

De discipl. diss. 2. c. 1. §. 4. & c. 2. §. ult.

XII. *Rescripti hujus cap. 6. falso assutum creditur.*

Exemplum illud Rescripti, quod Baluzio suppeditavit Codex Colbertinus, non modo charactere illo temporis sibi fidem conciliat, verum etiam variantibus identidem lectionibus, quas idem Baluzius diligenter subnotavit. At enim in Codice veterum Canonum Hispaniensi legere est: *De trina mersione. Epistola Vigilii ad Profuturum. Tit. 2.* Quam sane rem in vulgatis non deprehendes. At in Colbertino ipsis hisce verbis secundum caput, seu titulum Rescripti orditur; *De baptismo quoque renascentium trina mersione solen-*

Lib. 4. tit. 25.

solenniter adimplendo, &c. Desunt tamen in Codice Colbertino extrema duo Capita 6. & 7. quæ leguntur in vulgatis; nam in fine quinti capitis post verbum *adjuvandam* continuo sequitur: *Deus autem te incolumem &c.* Ergo, inquit Baluzius, ac sectatorum turba ingens, duo suprema capita assuta sunt. Facinus prædicandum! monumenta veterum ab arbitrio pendent Recentiorum, qui ea, quæ non assequuntur mente, rejiciunt; quæ vero pugnant cum suis, negant. Quæro ab hujusmodi hominibus: Ubinam sunt eæ regulæ, quas promittit Vigilius in præfatione: *De singulis*, ajens, *quid juxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ Sedis autoritas, subjectis* (Cod. Colb. *sublectis*) *aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum?* Ubi nam sunt alia illa decreta de Baptismate, quæ pollicetur Vigilius capite tertio? *Quid*, inquit, *per singulos ordines, vel ætates Antecessorum nostrorum decreta censuerunt, quæ multiplici sunt digesta ratione, e nostro scrinio relevata capitula bis subjecta direximus.* Equidem natura humilis, licet ingenuus, affirmare non ausim, data opera præteriisse Baluzium quæ certe subjunxit Rescripto Vigilius; attamen in laudato Cod. veterum Canonum, cui fidem integram negabit nemo, hæc leguntur: *Quod in nomine Trinitatis debeant baptizari. Epist. Vigilii ad Profuturum tit. 6.* Ergo post caput quintum Rescripti, quum satis Vigilius fecit consultationi Profuturi, adjunxit promissa decreta de baptismate, quæ scilicet in archetypo Hispaniensi faciebant caput sextum. Illud autem in vulgatis sic se habet: *Si quis Episcopus, aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed in una Persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de Ecclesia Dei.* Quidnam Pseudo-Isidoro, aut alii cuivis persuaserit, ut quemadmodum ex titulo secundo Rescripti, ita nunc e sexto Romanam consuetudinem baptizandi per trinam immersionem, teste Gregorio Magno, amandaret, non intelligo: & certe hanc ego religionem pii correctoris inscitiam aperte voco; meis quippe oculis vidi Benedictum XIII. felicis rec. Papam consuetudinem illam priscam instaurasse, tametsi recentiorem abluendi non antiquaverit, sed nullo alterutram discrimine adhibuerit. Quin etiam subiratus illius superstitionem condemno, quippe dubiam Codicis veterum Canonum fidem faceret, nisi S. Martini Bracarensis extaret Epistola ad Bonifacium Episcopum, quæ piæ illius fraudi illudit; *Et ego*, inquit, *manifestius hic cognovi quod de institutione baptismatis Metropolitanus hujus provinciæ ante hos aliquos annos ab ipsa beatissimi Petri Cathedra certissimæ autoritatis formulam*

DISSERT. III. CAP. IV.

Lib. 4. tit. 23.

S. Greg. l. 11 Ep. 41.

Aguirr. Coll. Concil. tom. 2. pag. 506.

lam postulavit; *cujus etiam exemplar curiosius legent*, *ita reperi scriptum*: *Ut in uno Trinitatis nomine is qui baptizandus est aut tertio perfundatur*, *aut mergatur*. Quæ satis superque vindicant titulum Rescripti sextum a Baluzio amandatum, & a Mercatore, seu alio, mutilatum.

XIII. Caput 7. vere assumentum est pii Scriptoris.

Hæc quum ita sint, plaudas Lector, te oro, non meæ sententiæ, sed curæ, sed studio veritatem rerum tibi indagandi. Quumque Baluzii mutilantis Pontificiam Epistolam eruditioni ut parum credas monuerim, sis etiam per me monitus, quod Autor Critices Cardin. Baronii semper cum metu est legendus, ubi legislatorem agens affirmat, negat, pronunciat. Eruditissimo huic viro non semel adversatus sum alibi; at silere hac etiam occasione non potui, absolute docentem audiens perspicue falsa: *Extat*, ait, *integra Profuturo inscripta in alio optimo*, *&* *antiquissimo codice ejusdem bibliothecæ*, *ex quo eam integram descripsit Baluzius*. Profecto is non semel & iterum venditasset integram Epistolam, cui Autor ipse Vigilius semel, & iterum Regulas Apostolicæ sedis, & Decreta Pontificum prædecessorum se additurum promittit, si pronunciaturus de veterum monumentis, ea primum sedulo expenderat. Cæterum uter magis damnandus sit, qui sextum illi Epistolæ demsit titulum, an qui septimum adjecit, ignoro. Quam enimvero inutile, quam intempestivum Episcopo S. Sedem consulenti, exaggerationem illam in fine literarum, quas amor paternus dictat, appingere? Præterea Vigilius tum in præfatione, tum titulo tertio Sanctas regulas, & decreta Prædecessorum se subjecturum ait super consultatione ipsa Profuturi, non super re a proposito alienissima. Hujusmodi assumentum non recito, Epistolam enim legere oportet integram, ut evidentius fiat: dico tamen, nil illud non continere, quod Innocentius, Gelasius, Leo, & ante eos Sardicense Concilium non decreverint. Fortean parva congessit pius hic sutor! De S. Sedis Primatu: de appellationibus undique ad Romanum Pontificem faciendis: de Vicariatu Apostolico: ac de majoribus causis agit capite seu titulo isto septimo. Longam meditari dissertationem te intelligo, ut omnia hæc Vigilio abjudicentur; mihi vero compendiaria semper via libuit incedere. Statuo hic testem, quo integrior nullus tota ex Hispaniensi antiquitate potest repeti, codicem nimirum veterum Canonum, ex quo sex tantum titulis constare Vigilii Rescriptum audire oportet. Agit primus titulus de Priscillianistis; eumque laudat Codex *lib.6. tit.5.* Secundus de dicendo *Gloria Patri &c.* idemque in Codice laudatur *lib.4. tit.14.* Tertius de his, qui ab Arianis iterum baptizantur; eo vero utitur Codex *lib.4. tit.35.* Quartus de instauratione Ecclesiarum; estque

Ant. Pag. a. 538. n.10.

estque in Codice *lib.*4. *tit.*4. & alibi. Quintus de Paschatis annunciatione &c. eum vero laudat non semel codex, præsertim *lib.*4. *tit.*5. Sextus denique de Baptismate, ac de eo nuper diximus. Septimum vero in nullo ex decem librorum tam multis titulis unquam contigit reperire; quum cæteroqui res tanti momenti in eo congestæ passim occurrant inhærentes Decretis SS. Innocentii, Cælestini, Leonis, Simplicii, Gelasii, Hormisdæ, & Conciliorum, præsertim *lib.*3. *tit.*23. ubi de judiciis sermo est; Decretales enim Epistolæ Innocentii ad Victricium, & ad Rufum; Concilia Sardicense, & Toletanum IV., atque excerpta Martini adducuntur, Vigilii ne nomine quidem prolato. Satisne est factum Dupinio Scriptori vaferrimo, qui piam non dubitavit fraudem amplecti, ut appellationum originem æquo recentiorem obtrudat? Pergo referre analysim consultationis.

XIV. Consultatio ipsa Profuturi ex Rescripto Vigil. educitur.

Quo tempore Gallæcia, sive Regnum Suevorum, cujus Ecclesiastica Metropolis erat Bracara, cæterarum instar provinciarum Hispaniensium Ariana hæresi laborabat; tum Priscilliani toties profligatus error feracius eruperat; tum alii plures gliscebant: præterea disciplina omnis Ecclesiastica pessum ierat. Itaque Profuturus in sede ejus Regni Metropoli constitutus Episcopus ubi tot, tantisque ærumnis Fidem, ac disciplinam agitari sensit; quum præsertim Catholici Comprovinciales Episcopi ob ignorationem errare compellerentur, ad Fidei ac disciplinæ omnis fontem, & radicem Apostolicam Sedem se vertit, accepturus inde, quid de Catholica Fide sentiendum recte esset, & quam disciplinam instaurari oporteret. Omnia liquent ex Vigilii Rescripto: *Directas*, ait, *ad nos tuæ caritatis epistolas plenas catholicæ inquisitionis, & sollicitudinis gratanter accepimus, ... qui regulam Catholicæ fidei iisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in Apostolica Fide cognoscis esse fundatam ..... Si quid ex his in Ecclesia, quæ tuæ gubernationi, Deo auxiliante commissa est, necdum plena luce claruerit, ad eumdem fontem, de quo illa salutaris manarat lympha, recurritis, quod debita caritate sumus amplexi, quia fiducialiter de his, unde apud eos observantiam esse dixistis ambiguam, nostra voluistis responsione firmari.* Defert primum Profuturus ad S. Sedem quosdam, qui obtentu abstinentiæ ab esu carnium temperantes, peste Priscilliani erant infecti, ut eos condemnet. *Quos Priscillianæ hæresis*, prosequitur Pontifex, *indicasti vitiis inquinari, sancta & convenienti Religioni Catholicæ detestatione judicas arguendos.* Deinde aliorum errores enarrat, tum qui juxta vulgatos Codices auferendo conjunctionem inter Filium, & Spiritum Sanctum, Macedonianos videbantur imitari, Spiritus Sancti Divinitatem quodammo-

Vigil. Pp. ad Profut. præfat.

Idem tit. 1.

dammodo negantes; tum qui iterum baptizandos rite baptizatos contendebant; ut secundo, & tertio titulo Rescripti Vigilius docet. Postremo quærit Profuturus, num diruta Ecclesia, post instaurationem debeat consecrari; de Paschate item, aliisque solennitatibus rite celebrandis, necnon de ratione Missarum, præcumque aliarum solerter interrogat. Quæ videsis titulo quarto, & quinto ejusdem Rescripti, ut plenam certamque habeas Metropolitæ Bracarensis consultationem de Fide, & disciplina ad S. Sedem optimo meritoque jure directam. Quum vero agnoveris, suo non defuisse muneri Antistitem; supremam nunc accipe potestatem Romani Pontificis absque ullo Concilio definientis tam de Fide, quam de disciplina.

XV. Decreta Pontificis super consultatione.

Laudat primum Pontifex veterum Patrum statuta, cumque iis confert Scripturas, æque enim interpres S. Scripturæ, ac custos Sacrorum Canonum est Romanus Pontifex; deinde legislatorem summum agens ex officio, tanquam Christi Vicarius, ita decernit de primo capite: *Nec abstinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui execrantur Domini Creaturam, recipimus in nostra societate*. Secundum caput consultationis duo amplectebatur: 1. de trina mersione in baptismate, & 2. de novo quodam errore circa divinitatem Personarum. Ad primum utpote de disciplina, in fine literarum Apostolicæ Sedis decreta, & observantiam se prolaturum promittit, ut regula sint Profuturo ad rite, recteque agendum. Partem vero alteram quæ de Fide erat, singillatim expendit, legeque lata condemnat. Error qui in Gallæciam irrepserat, juxta vulgatos codices, ut ajebam, videtur similis Macedonianorum; quum vero eum Vigilius ita non nominet, sed novum erroris genus appellet: *Illud autem novelli esse judicamus erroris*: evidens est, Codici Colbertino fidendum magis, qui conjunctiones ubique ablatas testatur: *Gloria Patri, Filio, Spiritui Sancto*: ita ut unam *personam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* designarent. Quare juxta eumdem Codicem latam a Vigilio sententiam audire oportet: *Quum*, inquit, *non dixerit* (J. Christus) *In nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti, sed æqualibus distinctionibus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum jusserit nominari; constat illos omnino a doctrina Dominica deviare, qui aliquid huic voluerint confessioni subtrahere. Hos itaque tua caritas modis omnibus ad confessionis rectæ studeat tramitem revocare. Quod si forte, quod absit, in errore parmanserint, socii nobis esse non possunt*. Vides quidem in duobus his Decretis de Fide summam Pontificis moderationem, ut decet bonum Pastorem, cujus sunt oves propriæ; juxta tamen audis eumdem ab unitate Catholicæ Ecclesiæ in errore per-

perseverantes abscindere. De iterum baptizatis quod est caput tertium consultationis, Antecessorum suorum Decreta instaurat, quæ literis subjuncturum se promittit: deinde id novi decernit ab omnibus Gallæciæ Episcopis servandum, ut quos vere pœniteat erroris, indulgentiam iis non negent. Ad Consultationis caput quartum, quod est de disciplina Consecrationis Ecclesiæ instauratæ, summus Legislator sic decernit: *Consecrationem cujuslibet Ecclesiæ, in qua Sanctuaria non ponuntur, celebritatem tantum scimus esse missarum. Et ideo si qua Sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, quum in ea missarum fuerit celebrata solennitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero Sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum repositione, & missarum solennitate, reverentiam sanctificationis accipiet*. Denique ad caput quintum de disciplina celebrationis Missæ tam die sancto Paschatis, quam ceteris festis tum mobilibus, tum immobilibus, reponit: *Ordinem quoque precum in celebratione Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum* (al. *diversum*:) *sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare*. Quid Romana Ecclesia soleret adjungere orationibus, quæ recitabantur in sacrosancto Missæ Sacrificio, solennitate aliqua recurrente eum docet: *Quoties*, inquiens, *Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula Capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solennitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus*: instruitque, quod præter hasce additiones, nihil Romana Ecclesia mutabat in quacumque solennitate: *cætera vero, ordine consueto prosequimur*. Ac denique ut rem melius teneat, una cum Decretis Pontificum de baptismate, canonem ipsum Missæ, & peculiarem ritum diei Paschalis, se huic Rescripto adjungere apertis verbis fatetur: *Ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione suscepimus..... Paschalis diei preces similiter* (al. *simul adjecimus*.) Quamobrem perperam Pagius cum Baluzio jactat integram Vigilii Epistolam, quæ sexto capite, ut Codex veterum Canonum fidem facit, decreta Pontificum comprehendebat, cæteris, quod creditu pronum est, citra Epistolam descriptis. Temere autem Dupinius adoptat Caput septimum manifeste suppositum.

XVI. Eadem in Gallæcia sancte custodita, & executioni mandata.

Prædicta omnia & transmissa in Gallæciam esse, & diligenter in Bracarensi Metropoli custodita, omni majorem exceptione testem habemus Concilium Bracarense I. tribus & viginti, post Vigilii Rescriptum, annis celebratum a Metropolita Lucretio, cum

DISSERT. III. CAP. IV.

Conc Brac. 1. interloc.

Ibid. cap. 4. & 5.

ſeptem Epiſcopis comprovincialibus. *Præcipue, inquiunt, quum & de cæteris quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos Sedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationes quondam vener. mem. prædeceſſoris tui Profuturi ab ipſa beatiſſimi Petri Cathedra directa eſt.* Et infra: *Placuit, ut eodem ordine miſſæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis autoritate ſuſcepit ſcriptum. Item placuit, ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum ſibi, & directum a Sede beatiſſimi Apoſtoli Petri ſuſcepit.* Quidquid ad diſciplinam ſpectat tum baptiſmatis adminiſtrandi, tum ſacrum Miſſæ Sacrificium peragendi, unanimi Patres conſenſu decernunt omnino ſervandum juxta infallibile Apoſtolicæ Sedis judicium; non enim aliud ſibi vult exaggeratio illa: *ab ipſa Apoſtolicæ Sedis autoritate*: *a Sede beatiſſimi Petri Apoſtoli*: ac ſi dixiſſent ab ipſo Eccleſiæ univerſalis Principe; ab ipſo infallibili arbitro diſciplinæ omnis, præter quem nulla in terris poteſtas excogitari major poteſt. Neque vero infallibile hujuſmodi judicium fatentur Patres Bracarenſes de rebus dumtaxat diſciplinam, aut mores ſpectantibus; ſed multo præclarius præbent teſtimonium de rebus Fidei. Acturi ſiquidem omnium primo de recta fide: *Prius*, ajunt, *ſi placet de ſtatutis fidei Catholicæ perquiramus; tunc deinde Sanctorum Patrum inſtituta recenſitis Canonibus innoteſcant*: Poſtea ne ulla remaneat dubitatio, quin ſtatuta Fidei tribuant infallibili Apoſtolicæ Sedis judicio, cœtera vero Conciliis, *Beatiſſimus Papa urbis Romæ Leo*, ait Lucretius, *contra impiam Priſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi &c. Regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim cum aliquibus Capitulis conſcribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt.* Ea porro Capitula a Patribus Concilii occaſione illa habiti, alia non ſunt præter ſeptemdecim illa, quæ Sanctus Leo in Hiſpaniam miſerat: *Dum ſimplicioribus quibuſque*, Reſpondent Patres Bracarenſis Concilii, *priſtina Sanctorum Patrum* (Carthaginenſium &c.) *ſtatuta panduntur, abominata jam olim a Sede beatiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcilliani hæreſis figmenta cognoſcant.* Idem urgent poſt recitata capitula, apertiſque fatentur verbis, ſe in ſimplicium atque ineruditorum gratiam breviori methodo declarare S. Sedis ſententiam: *Evidentius, & ſimplicius ea, quæ ſunt execrabilia, ita præpoſitis etiam Capitulis modo declarentur, ut qui minus eſt eruditus intelligat; & ſic ſub anathematis ſententia exploſa jam olim Priſcilliani erroris figmenta damnen-*

damnentur. Lectis autem Capitulis, quæ S. Sedis infallibile judicium de fide declarabant, ventum est ad Ecclesiasticas regulas sacris Canonibus stabilitas. *Quoniam ea*, prosequitur Lucretius, *quæ a Catholicis abominanda sunt, & damnanda, manifestius & apertius etiam ignorantibus declarata sunt; necessarium post hoc arbitror, si vestræ Fraternitati videtur, ut instituta nobis Sanctorum Patrum, recensitis antiquis Canonibus, innotescant*. Auditis Canonibus, merita prosequuntur laude tum generalia Concilia tum localia, eorumque exemplo unanimiter deliberaturi de Ecclesiasticis institutis, deinceps ab unoquoque servandis juxta eosdem Canones; præsertim novas aliquot Ecclesiasticas leges ab se declarari posse ajunt, quia S. Sedis instructionem ad Profuturum præsto habent. Hanc Lucretius recitari jubet, *pro firmitate testimonii, & instructione multorum*; deinde: *Manifestius patet*, inquit, *Apostolicam nobis opitulari doctrinam*.

DISSERT. III. CAP. IV.

XVII. Concil. Bracaren. testatur infallibilitatem Pont. Rom.

Operæ pretium feceram, si Capita omnia de Fide hoc in Concilio declarata omnium oculis subjecissem, S. Leonis epistolæ totidem capitulis ex adverso positis, ut unico aspectu Apostolicæ Sedis autoritas, & Episcoporum obsequium inspicerentur. At erit instar omnium caput utrimque primum de Trinitate decerpere, ut infallibilis definitio Pontificis ex declaratione Episcoporum teneatur. Ait igitur S. Leo *Primo itaque Capitulo* (literarum S.Turibii) *demonstratur, quam impie sentiant de Trinitate Divina, qui & Patris, & Spiritus Sancti, unam, atque eamdem asserunt, esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit: sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus de Sabellii opinione sumserunt: cujus discipuli etiam Patri-passiani merito nuncupantur: quia si ipse est filius, qui & Pater, Crux Filii, Patris est passio; & quicquid in forma servi Filius Patri obediendo sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit. Quod Catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est: quæ Trinitatem sic homousion confitetur, ut Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales: quia unitatem in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia*. Patres vero Bracarensis Concilii perspicua brevique hac sententia id declarant: *Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non confitetur tres Personas unius substantiæ, & virtutis, ac potestatis, sicut Catholica & Apostolica Ecclesia docet; sed unam tantum dicit, & solitariam esse personam; ita ut ipse sit Pater qui filius; ipse etiam sit*

S. Leo Ep. 93. al. 15. cap. 1.

Conc. Brac. 1. cap. 1.

Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit. Quæ ſcilicet anathemata ſingulis Capitibus adjuncta videre eſt; S. enim Leonis, ſive, ut melius dicam, Romani Pontificis doctrina, quam vocant Catholicam & Apoſtolicam, inhærentes, quicquid ille damnavit, condemnant, quicquid probavit affirmant. Præclarum ſane documentum Pontificiæ Infallibilitatis ſumma cum religione creditæ a veteris Eccleſiæ Præſulibus, cujuſmodi exempla plurima ex aliis regionibus ſuppetunt; quæ fortaſſe aliquando proferam adverſus id genus hominum, qui inter Calviniſtas, & Catholicos media incedentes via, neque adimunt omnino infallibilitatem Pontifici, neque concedunt: quaſi vero potiores Theologi, quos illi curiales dictitant, non fateantur, Pontificem tamquam privatum Doctorem errori obnoxium eſſe. Præter hos autem caſus, quum nempe non perfunctorie ſcribit, aut loquitur, at Chriſti Vicarium gerens, quod vulgo dicunt *ex Cathedra*, de fide, aut moribus decernit, infallibile ejus judicium eſt: ita enim Petro & ejus Succeſſoribus promiſit Chriſtus Dominus, quum nunquam defecturam eſſe ait illius fidem; ita eveniſſe nos ſeri poſteri mille & ſeptingentorum annorum experimento novimus, quidquid hæretici, & Novatores contra Divinum oraculum ſint moliti; *portæ* enim *inferi non prævalebunt adverſus eam*; ita demum uſque ad finem mundi *futurum eſſe* pro certo habemus; non enim ratiocinia, *non* Theologica facultas, non humana ſapientia, illibatam in S. Sede doctrinam tot ſeculis conſervarunt; in ea quippe non ſemel ſanctitate, quam doctrina præſtantiores, quandoque etiam minus literatos ſediſſe homines compertum eſt; ſed ſapientia infallibilis tota cœleſtis, quæ uno in Chriſti Vicario divinitus infunditur, ut recte, ſancte, infallibiliter definiat tum de fide, tum de moribus, illudet ſemper, ſemperque illuſit humano cuivis ingenio.

Hic vero finem volumini huic imponam; quamquam de Monaſteriorum fundatione, ac de inſtitutis Monachorum diſputatio valdequam prolixa huc pertineat. Nolo enim terreri aliquem mole voluminis. Ingratum non erit arbitror, totam de re monaſtica diſputationem continuatam legere in ſequenti volumine; quæ uno ductu originem, inſtituta, & jura Monachorum ſuppeditet, qualia in Hiſpaniis erant, non qualia conjecturis ante hunc diem referebantur accepta. Multa interim conjicientur ab eruditis ex Codice Veterum Canonum, quem præmiſi, pugnantia cum P. Mabillonii aliorumque virorum Clariſſimorum doctrina de eadem re. Neque ego expectari patiar diu, quæ prælis jam commiſi.

INDEX



I N D E X

Rerum aliquot præcipuarum.

A

C

Cru-

D

E

F

G

H

I

L

M

N *Nar-*

N

O

P

T Tar-

T

V

X

FINIS.